

Bibliothecæ
M. Hyacinthi Theodori Baron,
Antiqui Facultatis Medicinæ
Parisiensis Decani, nec non
Castrorum Regis et Exercituum
Protomedici.

N°. 3004.

46781/C/2
Vol. 6
J. VII. Sca
Dupl.

42550

JO. FRANCISCI SCARDONÆ
PHIL. ET MEDIC. RHODIGINI
APHORISMI DE COGNOSCENDIS ET CURANDIS MORBIS

Uberrimis commentariis, atque animadverſionibus illuſtrati,

Quibus quæſtiones ſingulæ, quæ cum in theoriam, tum in praxim medicam cadunt, hodie maxime illuſtres, ſedulo pertractantur, diſcutiunturque

DE MORBIS MULIERUM.



PATAVII, Typis Seminarii. MDCCLVIII.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

TRIUMVIRO LITTERARIO PRÆSTANTISSIMO

MARCO FOSCARENO

EQUITI, ATQUE ÆDIS DIVI MARCI

EX MERITO PROCURATORI.

Jo. Franciſcus Scardona
F.

QUoniam vulgari, communique omnium conſenſu decretum eſt, eos qui ſcripta ſua publici judicii aleæ committunt, poſſe eadem Egregiis Viris, quibus aut plurimum debent, aut quos ſumma veneratione proſequuntur dicando, commendandoque grati animi officia perſolvere, vel cultus, atque obſervan-

tiæ ſuæ diuturnitati conſulere, & quantum fieri per eos poteſt ad immortalitatem producere, non immerito putavi fore, ut te unum præ cæteris deligerem, Senator Ampliſſime, cujus Illuſtri, ac Magno Nomini vigiliarum huncce mearum fructum inſcribendo, utramque adimplere partem mihi liceret. Cultum, atque obſervantiam virtutibus tuis debeo præclariſſimis, gratitudinem beneficiis. Hæc autem, aut illa percenſere numerando, aut explicare dicendo eo libentius prætermitto, quod ſolius Nominis celebritate omnia in conſpectum prodeant. Simul enim ac libro aperto Lectores in illud inciderint, alii continuo legationem Viennenſem illam tuam commemorabunt, alii & Romanam adjungent, & alteram alii ad Sardiniæ Regem, quibus tibi ex Auguſtiſſimi Senatus Veneti Decreto commendatis, ſumma cum laude, & communi omnium adprobatione perfunctus es: alii & morum elegantiam prædicabunt tuam, ſincerum Reipublicæ amorem, doctrinæ copiam, atque ſelectiſſimæ eruditionis, eloquentiam ſummam, litterarumque, quibus ſingularem in modum inſtrueris, & exornaris cultum inſignem: ac teſtabuntur hiſce de meritis Civium omnium ſtudio Procuratoria dignitate inſignitum eſſe, & Venetam Hiſtoriam (vetus jam tuæ Gentis decus, & ornamentum) ſcribere juſſum, & graviſſimos Magiſtratus indeſinenter occupare, & maximam optimarum diſciplinarum curam gerere: immo propter naturæ unionem, & virtutis de tuo quoque Genere recordabuntur, cujus Nobilitas in primordiis Reipublicæ latet, de Majoribus quoque tuis, qui nobilibus editis ingenii, & doctrinæ monumentis, qui pace, qui bello, qui religionis cultu clariſſimi effecerunt, ut nulla prope Ætas non aliquo Foſcarenorum exemplo floruerit. Me quoque fortunatum nuncupabunt, quod in tua me clientela eſſe facile intelligent, quæ quidem gloria non aliunde profecto, quam

ex

ex ſingulari humanitate tua originem duxit, propter quam Nobiliſſimæ jam tuæ Domus Emphyteuta noviſſimo dominio firmatus inter addictiſſimos tui ſervos benigne receptus ſum, cui propterea nulla re honorifica magis, ac decora perfrui datum eſt, quam tua liberali protectione, favore, benevolentia. Illud igitur abs te enixe obſecro, atque obteſtor, ut munus hocce meum, licet ſplendore, atque amplitudine tua minus dignum, in qualecumque obſervantiæ erga te meæ, ſummæque debitionis argumentum humaniter excipias, atque eo ſaltem minime deſpiciendum putes, quod tuo Nomine decoratum. Vale, & Reipublicæ Venetæ, & Litteris diu te incolumen ſerva.

Dat. Rhodigio idibus Novembris an. 1758.

AD

AD LECTOREM.

CUM in publica litterarum, & facultatum Academia Rhodigina non ita pridem Auguſtiſſimi Senatus Veneti Decreto confirmata, Præclariſſimorum Præſidum, Sociorumque omnium conſenſu, Medicinam tradendi munus mihi ſit demandatum, diſſertationes habui quaſdam de Mulierum morbis cum ob alias cauſas, tum ob hanc potiſſimum elaboratas, ut ineditum a me aliquod, quodque præ manibus hominum haudquaquam eſſet recitando, Audientium aures minus fatigarem. Hacce de re factum eſt, ut totam eorum Ethiologiam, ac Therapeiam trium fere annorum curſu penitus abſolverim. Ubi id pleriſque Amicorum innotuit, ut jam in aphoriſmos eaſdem digererem, eoſque commentariis illuſtrarem eadem plane ſervata methodo, quam in editionibus aliorum librorum de morbis cavitatum, & febribus adhibui, ſicque prælo ſubjicerem, typiſque committerem authores mihi fuerunt. En veterem illam cantilenam in ſcenam denuo, qua non gravium modo rerum, ſed etiam leviſſimarum Scriptores uti ſolent: cui cauſæ parcendum eſſe, quod eam nimis multi occuparint, & in fidei ſuſpicionem adduxerint egregie nos admonuit eloquentiſſimus Jacobus Abbas Facciolatus; cujus quidem ſententia nihil adhuc magnificentius dictum. (a) Altera eſt igitur aſſignanda, & quidem potior. Eam paucis habeto. Cum priorem Morborum editionem evulgarim, vidi in catalogo librorum, qui quot annis prodire ſolent in Trevoux memoriis ex Gallico in Italum ſermonem traductis (b) animadverſum, defectu aliquo rem mihi propoſitam laborare. Cum enim de morbis capitis, pectoris, & imi ventris agere pollicitus fuerim, nonnullorum æthiologiam ſilentio de induſtria prateriiſſe viſum fuit: ſpeciatim affectionem hyſtericam, Chloroſim, Tympanitidem, ac propterea dictum affectionem hyſtericam æque ac hypocondriacam conſiderandam, Chloroſim eſſe delirii melancholici ſpeciem, de quibus actum eſt: Quoad Tympanitidem vero ſpectat, quæ atrociſſima hydropis ſpecies eſt, cujuſque cauſas quærere non parum negotii ſubtilioris ingenii Medicis faceſcit, optandum eſſe, ut ejus tractationem unico capite comprehenderem, atque in eam ſpem facile adduci, me febrium, aliorumque morborum tractationi intentum (quod jam in priore editione declaraveram) poſſe tandem hominum curioſitatem explere. Expleta jam erit propriis capitibus, ut videre unuſquiſque facile poteſt ſequenti pagina: ac de Tympanitide ſpeciatim loquendo, Capite ſeptimo, in quo de tympanitico uteri hydrope agendo, inſignem quæſtionem de Tympanitidis cauſis generalibus ad trutinam, ut ajunt, revocavimus, & noſtram, quæcumque fuerit, mentem aperuimus. His quoque addas velim in morbis medii ventris de Cordis palpitatione, de Syncope allatas ob cauſas minime egiſſe; in iiſdem vero imi ventris, de cęliaco fluxu, de ani hæmorrhoidibus, aliiſque,

ne

(*a*) Jacobi Facciolati Orationes. Patavii 1729. Typis Seminarii. Ad Lectorem.

(*b*) Tomo 55. Parte 2. n. 218. pag. 94. In Venezia Appreſſo Antonio Groppo 1747.

ne verbum quidem ; quibus morbis cum gravidæ præſertim Mulieres obnoxiæ ſiant , neque inutile prorſus , neque injucundum viſum fuit eorum morborum cauſas , & remedia , & in non gravidis contemplari , ut inde noſtram in gravidis ſententiam afferremus . Qua ſorte viderint alii . Illud interim abs te , Lector Optime , oro , atque obſecro , ut cum nonnulli errores M. S. deſcriptionis defectu in hanc editionem irrepſerint , non prius ejuſce lectioni te dedas , niſi aliquo modo præcipuos ſaltem correxeris , ut in ſequentibus correctionibus . Sic enim fiet , ut quæ nullo aut ſermonis lepore , aut exquiſitioris doctrinæ elegantia conſcripta ſunt , minus tibi diſpliceant . Vale .

IN-

INDEX CAPITUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

I. De Menſtruo ſanguinis fluxu in genere. 1
II. De Menſium ſuppreſſione. 12
III. De uteri hæmorrhagia. 45
IV. De fluore albo benigno, & virulento, & prolapſu uteri. 74
V. De affectione hyſterica. 102
VI. De uteri inflammatione, ulcere, ſcyrrho, cancro. 130
VII. De furore uterino, Chloroſi, uteri hydrope ſeroſo, & tympanitico. 163
VIII. De ſterilitate, & molis veris, ac ſpuriis. 194
IX. De præcipuis quibuſdam gravidarum morbis, & abortu. 234
X. De partu difficili, fœtu mortuo, & Secundina retenta. 274

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. Fr. Franceſco Antonio Mantoa Inquiſitore Generale del Santo Officio di Padova*, nel Libro intitolato: *Jo. Franciſci Scardonæ, Aphoriſmi de cognoſcendis & curandis morbis Uberrimis commentariis, atque animadverſionibus illuſtrati, quibus quæſtiones ſingulæ, quæ cum in theoriam, tum in praxim medicam cadunt hodie maxime illuſtres ſedulo pertractantur, diſcutiunturque De Morbis Mulierum*; non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per Atteſtato del Secretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giovanni Manfrè Stampatore di Venezia*, che poſſa eſsere ſtampato, preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 25. Marzo 1758.

(*Gio. Emo Proc. Ref.*
(
(*Alviſe Mocenigo IV. Cav. Proc. Ref.*

Regiſtrato in Libro a carte 33. al num. 271.

Giacomo Zuccato Segr.

Adi Primo Aprile 1758.
Regiſtrato nel Mag. Eccell. degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Franceſco Bianchi Segr.

JO.

APHORISMI
DE COGNOSCENDIS, ET CURANDIS MORBIS.
DE MORBIS MULIERUM.
CAPUT I.
De Menſtruo ſanguinis fluxu in genere.

I. MEnſtruus ſanguinis fluxus feminis familiaris ut plurimum in ſecundo ſeptenario critico quaſi naturæ motu incipit, & deſinit in ſeptimo.

II. Solet autem eum præcedere in puellis præſertim nondum purgatis dolor lancinans, & diſtendens partium vicinarum ad lumbos, ad pubem, ad inguina, crurum laſſitudo tenſiva, & gravativa, arteriarum pulſatio, anhelitus gravis, inſolita quædam motio in pulſu, & mammarum turgentia.

III. Comitatur vero in ſanis Mulieribus ſanguinis rubicundi, & floridi plus minus ad unciarum XX pondus excretio, quæ triduo plerunque abſolvitur, citiuſque, aut ocyus pro temperamenti, regionis, victus, motus, & ætatis varietate revertitur, niſi gravidæ fiant, aut lactan-

laſtantes, in quibus aut plane deſinit, aut mirum in modum minuitur.

IV. Hæc fere omnia evenire ob peculiarem quamdam plethoram in feminis elaboratam cum peculiari uteri, ejuſque vaginæ conſtitutione conjunctam, qua ſanguis ad capillaria hujuſce, aut illius partis vaſa majore impetu, atque velocitate feratur, eaque facilius diſtendantur, aperianturque facile judicaverim, cum probe noverim Aortam deſcendentem, omneſque inferiores partes latius patere in feminis, quam in viris, vaſorum laxitatem inſignem, & miram tortuoſitatem.

V. Si parem vaſorum hæmorrhoidalium conſtitutionem, & habitum ſortiantur viri, quid mirum ſi ſingulis fere menſibus & ipſi ſimilem ſanguinis excretionem patiantur?

COMMENTARIA
ATQUE ANIMADVERSIONES IN APHORISMOS
DE COGNOSCENDIS, & CURANDIS MORBIS.
DE MORBIS MULIERUM
CAPUT I.

I. MEnſtruus ſanguinis fluxus feminis familiaris .] Fluxus ſanguinis ab utero ſingulis menſibus periodice emanans menſtruæ potiſſimum purgationi nomen dedit , quæ a nonnullis etiam appellari ſolet , quod ejus ope feminarum corpora a ſuperfluo , & inutili ſanguine exonerantur . Earum quoque flores ab aliis dicuntur analogia egregie ſumpta ab arboribus , quæ cum fructus non edant , niſi prius flores emiſerint , ita Mulierem nunquam gravidam fieri , niſi menſtruas purgationes , quaſi flores habuerit , perhibetur . Quod autem ſolæ Mulieres peculiarem excretionem ſanguinis per uterum , eamque magis opimam , quam ſimiæ aut alia Animalia patiantur , docere olim viſus eſt Ariſtoteles . (*a*) Immo ſi Plinium audimus (*b*) ſolas feminas præ cæteris omnibus Animalibus menſtruis obnoxias eſſe certo certius affirmare non dubitavit . Idque ita verum ſucceſſu temporis viſum eſt pleriſque , ut nullum hac de re ſuſpicioni locum reliquerint .

Ut plurimum in ſecundo ſeptenario &c.] Quod menſtrua in ſecundo ſeptenario , ſeu decimo quarto anno puellis veniant , & deſinant in ſeptimo , anno ſcilicet 49. non ita conſtans eſt , ut naturæ luſus hac in re minime ſequantur . Obſervationes tamen de virginibus novem aut decem annorum menſtruatis rariſſimæ ſunt , quemadmodum & illæ de Mulieribus , quarum menſes ultra quinquaginta producantur . Quæ leguntur de menſtruis in ætate annorùm 62. & 65. in A. N. C. (*c*) 72. in Bartholino (*d*) 78. in Hildano (*e*) 81. in Kerkringio (*f*) 82. in Lanzono (*g*) 84. in Schenchio (*h*) 90. in A. N. C. (*i*) 103. in Saxonia (*k*) & Solenandro (*l*) parvi faciendæ , cum evacuationes , quæ ultra ſeptimum ſeptenarium , aut quinquageſimum quintum annum ut ſummum producuntur menſium nomine inſigniri nullatenus debeant , ſed irregularium , quæ a morbo aliquo proficiſcuntur , quæque propterea ſym-

 pto-

(a) *Hiſt. animant. lib. 9. cap.* 2. (b) *lib.* 7. *cap.* 15. (c) *Dec.* 2. *an.* 1. *obſ.* 165. *Dec.* 3. *an.* 5. 6. *obſ.* 91. (d) *Epiſt. Cent.* 2. *epiſt.* 86. (e) *Cent.* 2. *obſt.* 61. (f) *Obſ. anat.* 88. (g) *Animadverſ. var.* 33. *p.* 178. (h) *Obſ. lib.* 4. (i) *Dec.* 2. *an.* 6. *obſ.* 145. (k) *Prælect. Patav. p.* 3. *cap.* 23. (l) *Conſ. Med. ſect.* 15. *n.* 41.

ptomaticæ ſunt, ac illæ quæ vel ad menſes, & annos plures perdurant nulla interpoſita mora, ut illius Mulieris profluvium, cujus mentio fit in Sacra Scriptura a Salvatore noſtro per vim miraculi profligatum; ut præ cæteris cl. Mauriceau teſtatus eſt, (*m*) Qua in re ſane quamvis fit probe conſideranda cujuſque mulieris idioſyncraſia, & temperamentum, unde pituitoſæ, frigidæ, & melancholicæ ſerius hoc fluxu laborant, citius e contra ſalaciores, vegetioreſque, concipere tamen oportet machinam hominis viventis, ejuſque partes ita conſtructas, ut cum ſeptenario numero notabilem ſemper, & illuſtrem interdum cum ſanitatis periculo junctam mutationem ſubeant: hinc ter ſeptima hebdomade fœtus ſeſe in utero movet, ſexies ſeptima ad exitum paratus eſt, ſeptimo menſe dentire incipit, ſeptimo ætatis anno dentes decidunt: vigeſimo primo corpus debitam ſtaturam acquirit, reliqui anni tantum ad ejuſdem robur acquirendum, & animi perfectionem impetrandam inſerviunt, in nono ſeptenario ſenectus incipit cum virium languore, corporis macie, memoriæ debilitate, ſenſuum hebetudine cum diſpoſitione ad chronicos morbos, ac mortis periculo: hinc etiam infantes ſeptimo, & decimo quarto menſe in magnum vitæ diſcrimen ob variorum dentium eruptionem adduci videmus: ſeptimo anno lumbricis facilius laborare: annum vigeſimum primum ad trigeſimum uſque quintum juvenibus valde infenſum: ingraveſcentem ætatem, & decrepitam certis quibuſdam morbis obnoxiam, ut de criticis diebus, ſive decretoriis mentionem relinquam, qui mutationem quamdam in pejus, aut melius afferunt, & pari ratione ſeptenario numero continentur. Quid igitur mirum videatur decimo quarto anno plerunque Menſtrua puellis comparere, non ſecus ac in virilibus teſtibus ſemen generari incipit, eaſque ad generationem aptas reddi, unde maximam in toto corpore patiuntur alterationem, vel ex eo maxime conſpicuum, quod non ſolum lanugo in Veneris monte apparet, vox gravior efficitur, mammæ turgent, & unà cum ſanguinis per pudenda excretione libidinis æſtu conflagrant: e contrario ſeptimo ſeptenario Menſium fluxum cum generandi impotentia ceſſare; unde iis morbis obnoxiæ fiunt, qui a perturbato motu ſanguinis proficiſcuntur. Cujuſce cauſæ defenſionem nolim credas ita me ſuſcipere, ut aliquid efficaciæ ſeptenario annorum numero tribuam, quemadmodum Pythagoras arbitratus eſt, aliique ipſum ſequuti obſervationibus ducti ſeptem eſſe planetas, ſeptem metalla, ſeptem ultra pedes hominem minime excreſcere, ſeptem opus eſſe Menſibus, ut fœtus in utero Matris perficiatur; ut ſeptem Græciæ Sapientes ſilentio præteream, ſeptem Mundi admirationes, ſeptem ludorum Circenſium ſolemnitates, ſeptem Duces conquirendis Thebis ſelectos, aliaque id genus a Varrone commemorata ad hanc ipſam ſententiam confirmandam. Haud enim ignoro vim omnem, quæ mutationem in corpora inducit non a numero ſeptenario, ut numero provenire; qui & forma caret, & ab omni materia abſtractus nec agere quidquam poteſt, nec pati: multo minus ab Aſtrorum potentia, & malignorum planetarum conjunctionibus, præſertim Saturni, qui ſingulis ſeptem annis ad quadraturam, vel ſaltem ad contrarium ſuæ naturæ ſignum pervenit, quæ futilia Aſtrologorum figmenta ſunt nec ratione, nec experientia confirmata, ſed a quadam mutatione, quæ neceſſario in corporibus per certum ac determinatum motum efficitur, quique motus ſal-

(m) *Oper. Med. Chirur. to. 1. cap. X.*

ſaltem ſenſibilis nonniſi certo ac determinato tempore abſolvitur, voluitque Sapientiſſimus rerum Conditor numero ſeptenario adſtringere. Hinc eum circa decimum quartum annum major alimenti copia ingeratur, atque in ſtomacho citius ſubigatur, & multo major copia ſanguinis ingeneretur, quam quæ nutriendo corpori inſerviat, ſolent plerunque Menſes prodire: Cum circa quinquageſimum fibræ rigidiores evadant, minima capillarium vaſorum oſcula occludantur, atque oſcillatio prompta vaſorum langueſcat, a qua fluidorum motus, omneſque excretiones proficiſcuntur, plerunque deficiunt. Sed hac de re ſi quis curioſius doceri velit Fridericum Hoffmanum adeat (*n*), qui argumentum ſic pertractavit, ut omnem eruditionis aviditatem valeat explere.

II. *Solet autem eum præcedere in puellis præſertim nondum purgatis dolor &c.*] Nihil Aſtrorum potentiæ, & malignorum planetarum conjunctionibus tribuendum eſſe paulo ante animadvertimus: idque utile quamprimis eſt, & neceſſarium ad confutandam illorum ſententiam, qui cum Ariſtotele Menſtrui fluxus periodos a Lunæ motu, ejuſque actione, & dominio, quod habere creditur in corporibus humidis, cujuſmodi fere eſt Muliebre, commenti ſunt juxta vulgatum illud: *Luna vetus vetulas, juvenes nova Luna repurgat:* Præterquamquod non in ea rationum inopia verſamur, ut non aliunde ad afferendum in Lunæ Phaſibus refundendum non eſſe Menſtruum ſanguinis fluxum, argumenta conquirere valeamus. Si enim a Lunæ actione produceretur, omnes Mulieres eodem die afficerentur hoc fluxu, ſiquidem Luna eodem modo ſe haberet reſpectu ad omnes Mulieres hujus, aut illius Civitatis, & loci: quod tamen experientiæ minime reſpondet, cum menſtrui fluxus periodus in aliis ſit quindecim dierum, in aliis viginti, in aliis triginta, quadraginta, & ultra. Deinceps qua ratione, aut modo dicamus Lunam agere in feminas, ſi preſſionem velimus excipere a ſua potiſſimum gravitate inductam, qua Maris æſtus a plurimis explicatur? Verum tali hypotheſi admiſſa, ecquis explicare ſe poſſe credat, quomodo ſuppreſſis Menſtruis, innumeris ſymptomatibus vexentur Mulieres, cum hæc ſolum tempore alterius Lunæ prementis ſævire deberent. Hiſce adde Lunæ dominium in corporibus ſolum femineis admittere velle, nullum fere in viribus, & præcipue in iis, qui vitam agunt ſedentariam, & quaſi femineam, ridiculum eſſe. Quibus ſane rite perpenſis ex Recentioribus plerique Graafius, Bayleus, Etmullerus, quos ipſe cl. Mauriceau ſequutus eſt (*o*) eo facile adducti ſunt, ut crederent menſtruæ purgationis cauſam eſſe ſanguinis fermentationem præter naturam auctam, qui velocius circulationem efficiens viarum uteri extrema ita diſtendat, ut eorum oſcula aperiendo in uteri ipſius cavitatem tandem exoneretur. Fermentationem porro vi cujuſdam liquidi ex ſanguine in uteri partibus derivati excitari facile ſibi in animum inducunt, quod a calore naturali, & inteſtino motu particularum, ex quibus conſtat periodice exaltatum, & vires idoneas adeptum ad ſeſe inſinuandum, altiuſque vias ſanguinis penetrandas, univerſam maſſam exagitat, perque vias uteri ad ſeſe aperiendum aptiores exitum parat, ut in muſto, aliiſque fermenteſcentibus liquoribus experimur, qui fermentationis tempore ex debilioribus dolii partibus facile elabuntur. Perbelle concinnata hypotheſi omnia fere phænomena declarare nituntur. Neque arduum ipſis,

(*n*) *Diſſert. Phyſ. Medic. XIII.* (*o*) *Loc. cit.*

pſis, atque inſolens viſum unquam fuit explicare ope ejus fermenti, quomodo ſolæ Mulieres, non viri Menſtrua patiantur, & quomodo periodice eadem recurrant, quia videlicet ſpatio unius Menſis idem fermentum ad eam turgeſcentiam pervenit, ut in ſanguine eam valeat excitare fermentationem, qua vaſa ſanguifera aperiantur, & ſanguinis ſequatur expulſio: Ubi obſervationibus edoceantur impedita quacumque ex cauſa circa uterum excretione ſanguinem turgeſcentem periodice per nares, vomitum, pulmones, hæmorrhoides, mammas, aliaque loca prodire, ac Mulieres antequam Menſtrua compareant, dolore lancinante, & diſtendente circa lumbos corripi, crurum laſſitudine tenſiva, & gravativa, arteriarum hypogaſtricarum tenſione, aliiſque ſupra enarratis ſymptomatibus, nec non eorum fluxum iis potiſſimum medicamentis cieri, quæ ſanguinis turgeſcentiam, atque orgaſmum concitant, uti ſunt acria, ſalina, volatilia, valde amara, aloetica, aliaque id genus: deficere e contra, aut plurimum ſaltem retardari a viſcidis acidis, aliiſque, quibus ſanguinis fermentatio cohibetur, in cacheticis, ac melancholicis ſanguine ad turgeſcendum minus prompto præditis, aut penitus ſiſti, aut inſigniter diminui, ita in opinione recreantur, foventur, confirmantur, ut alias non facile amplexuros eſſe polliceantur. Cum ita res habeat, vereor ne quæ adverſus Williſium, & Chymicos alibi attulimus (*p*) nullum in ſanguine fermentationis veſtigium apparere oſtendentes deinceps ejus principia dubia adhuc eſſe, & controverſa circulationem ſanguinis maximo eidem eſſe impedimento, nullum demum ejus effectum, quantumvis connitaris conſpici poſſe, eorum ſtomachum moveant, atque indignationem. Verum cum mihi potiſſimum propoſitum ſit ea, quæ ſi vera non ſunt (quænam autem ejuſcemodi?) ad veritatem ſaltem propius accedunt, conjecturis perſequi, cur iis blandiar nullatenus video. Nulla enim ratione tale ſpeciale fermentum probatur, aut anatomice demonſtratur, nec quid cauſæ eſſe poſſit, cur prægnantes, nutrices, & juniores puellæ fere nunquam purgentur, declaratur, ut alia plura mittam, quæ contra fermenta commentus eſt Charletonus (*q*), qui a curioſioribus conſulendus. Utinam cum ſuam ſententiam exponit non aliis præterea rationibus præter eas, quas ex Bayleo accepit, uteretur. Sic enim omnis eorum memoria evanuiſſet, nec nobis liquor ille objiceretur, qui in glandulis uteri ſeparatus, ac ſtato tempore turgeſcens, atque in velociorem motum adigens, & rarefaciens, uterique vaſa plus æquo diſtendens viam Menſibus aperit, qui ſi rite ad trutinam, ut ajunt, revocetur, cum iis æque, ut egregie notat Freindius, a veritate abhorret, ideoque iiſdem fere rationum momentis, quæ contra fermenta afferri ſolent ejiciendus. Sed ut omnia paucis complectar, ſymptomata quibus Menſtruantes Mulieres exercentur ita ne nos in eas anguſtias compellant, ut ſecluſo quocumque ſpeciali fermento, aut liquore in utero genito explicare nullatenus valeamus? Niſi ob aliam cauſam aliter ſentiant in eam ſpem facile adducor, ut credam, ubi aliam ſententiam noverint, quam cum veram eſſe ratio evincit, tum anatomicæ obſervationes confirmant, in eam quoque priore relicta ſint pedibus ituri. Sed hanc infra videbimus.

Comitatur vero in ſanis Mulieribus ſanguinis rubicundi, & floridi &c.] Ga-

(p) *Aph. de cogn. & cur. mor. lib. 4. com. XI.*
(q) *Lib. de Catam.*

Galenus, aliique illum ſequuti (r) in ea fuerunt opinione, ut crederent, ſanguinem menſtruum eſſe maſſæ ſanguineæ excrementum, unde oriri exiſtimarunt a caloris debilitate, qui cum in feminis minor ſit, quam in viris, in illis propterea potius, quam in iſtis generari ſunt arbitrati. Quod diligenter tenentes nonnulli Plinio addicti ſanguine menſtruo nil monſtruoſius haud dubie affirmarunt, quoniam ſolo ipſius vapore, aut contactu vinum recens aceſcere facile contingit, ſemina ſterilia reddi, arborum germen perire, fructus exſiccari, molles plantas areſcere, ſpeculorum cryſtalla ſolo feminarum aſpectu fędari, cultri acutiem contundi, nitidas eboris opes vileſcere, apes emori, æs, ferrum derepente rubiginem contrahere, aerem inſici, & Canes, qui eodem veſcuntur, rabie corripi. Quæ ſane omnia ſi vera eſſent, egregie conjicit laudatus Mauriceau futurum fore, ut homines ad feminarum conſuetudinem, ac familiaritatem non tam facile, ut moris eſt, ſe adjungerent, excretionis, quæ fit ex utero impudicę, ac celtica lue inſigniter infectæ meretricis cogitatione, animus exhorreſceret. Verum præterquamquod Veterum opinio ejici poteſt hoc uno, vel altero, quod ſi menſtrui ſanguinis generatio a calore debili copioſe cumulante excrementa proficiſceretur, aliqui etiam viri ipſis feminis frigidiores menſtruo fluxu corriperentur. Accedit præterea per ſe corruere obſervatione certa, conſtantique excreti ſanguinis menſtrui, qui non eſt pravis qualitatibus refertus, ſed ejuſdem plane conditionis in ſanis Mulieribus, ac omnium venarum, & arteriarum, ideſt perfecte concoctus, ſubactus, & ad naturam puri ſanguinis redactus, valde rubicundus, & floridus, & qualis, ut notat Hippocrates, (ſ) e vena ſecta victimæ recenter mactatæ cruor effluit, inquiens: *Procedit autem ſanguis velut a Victima, & cito congelatur, ſi ſana fuerit Mulier*, cum notum omnibus ſit, planeque perſpectum ſubitam ſanguinis congelationem bonum eſſe ſanitatis inditium, illudque Victimarum, quoniam ad ſacrificia, quæ & bene valerent, & pulchritudine excellerent Animalia ab Antiquis adhiberi ſolebant, optimum erat, ut Ariſtoteles ipſe teſtatus eſt. Quod ſi aliqua interdum in qualitate diverſitas contingit, ut ad lympham propius, quam ad ſanguinem accedat, aut ſi ſanguinis formam adhuc retinet, pravus tamen ſit, & vitio aliquo coinquinatus, & ferme inter venena referendus, ut Plinius pretendit, cur id potius non repetas ex admixtione nonnullarum ſordium, quas ſecum trahit potiſſimum, cum in uteri cavitate aliqua de cauſa plus æquo moratur, atque vix ac ex propriis vaſis effluit, minime excernitur, ſeu aliunde ducto contagio, ut viri cl. Mauriceau, Freindius, Hoffmannus aliique teſtati ſunt.

Plus minus ad unciarum XX. pondus excretio, quæ triduo plerunque abſolvitur &c.] Certa ſanguinis periodice ex utero fluentis quantitas determinari nequit. Hippocrates, qui in Græcia ſcripſit, *Moderati*, inquit, (t) *ſunt Menſes in omni Muliere ſana prodeuntes, ut duarum Heminarum Atticarum menſuram excedant, paulo plures, vel parciores*. Cum hemina juxta Varandæum ſit novem unciarum pondus, cum quo ferme conſentit Verheienius unciarum circiter decem efficiens, patet ad unciarum XX pondus ſanguinem menſtruum plus minus excerni. Idem Hippocrates loco citato triduo etiam plerunque abſolvi ſtatuit. Verum quemadmodum quoad quantitatem, ita quoad

(r) *Lib.* 2. *de ſem.* & 14. *de uſu part.* (ſ) *Lib.* 1. *de morb. Mul. ſect.* 15.
(t) *De morb. Mulier. lib.* 1. 5. 15.

quoad durationis tempus & recurſionis varii interdum naturæ luſus ſolent contingere. Differentia potiſſimum deſumitur a temperamento. Sanguineæ enim, & bilioſæ plus ſanguinis effundunt citiuſque, quam obeſæ, & frigidiores naturæ feminæ. Idem dicendum de iis, quæ calidiores regiones incolunt præ iis, quæ frigidiorem: De iis quoque, quæ gulæ deditæ ſunt, & otio liberius indulgentes præ iis, quæ tenui victu, aut multo exercitio utuntur. Si ætatis florem nondum adeptæ ſint, eo major ſanguinis quantitas evacuatur, quod magis ad ipſum properant, permanet æqualis florente ætate, ætate vero declinante ſenſim ſenſimque minuitur. Neque ſane obſervationibus obeſt, quod cum rationibus firmis validiſque minime conſentiant. Cum enim in temperamentis ſanguineis ſanguinis motus placidus, & æquabilis ſit, neque plus æquo lenteſcens, aut vehemens, ipſius vero partes optime inter ſe mixtæ ſint, ac temperatæ, fibræ vero mediocris tenſionis, & duritiei, quid mirum ſi facile quoque ſecretiones omnes, excretioneſque peraguntur? Multo vero facilius peragentur, ſi celerior, & vehementior ſit ſanguinis motus; ejus vero conſiſtentia ad tenuitatem vergat, atque ad exiliſſima quæque vaſorum orificia pervadenda, aut ſubtiliſſimos quoſque meatus, ac poros permeandos idonea, quod temperamentis bilioſis ſolemne eſt, in quibus cum partes ſulphureæ ſint exaltatæ, & copioſæ, ſpiritus agiliores, acrioreſque, ſalaces facile evadunt. Mulieres, biſque propterea in menſe, ut obſervat Duretus (*u*) & aliquando abſque ſanitatis noxa purgantur. Quod æque affirmari non poteſt de obeſis, & frigidioris naturæ feminis, in quibus cum vaſa parva ſint, fibræ vero teneræ, & laxæ, hinc tardior, & ſegnior ſit ſanguinis motus, humoreſque craſſi, viſcidi, & lenti, difficilius quoque per meatus, & poros ſecretionibus, excretionibuſque dicatos elabi contingit, atque extra corporis confinia educi. Si de regione ſermo ſit, in qua aer calidus prædominatur, cum elaſticæ humorum partes, ac præſertim aereæ ab exteriore aere, ſibique contranitente parum comprimantur ſeſe facile expandunt, agilius moventur, cæteraſque commovent, exſolvunt, attenuant, diſſipant, unde expanduntur, turgent, atque ea ratione agitantur, ut non ſolum ſubtiliores earum partes diffientur, ſed craſſiores etiam, & ipſe ſanguis per vaſa facillime elabatur. Si vero regio ea ſit, ut frigidus aer eam claram faciat, humores denſiores fieri perſpicuum eſt, tardioreſque ad motum, unde difficilior eorum excretio. Si de cibo opiparo loquimur, ecquis neſciat plus alimentitiæ ſubſtantiæ ingeri; quam ad ſolidarum partium attritionem, fluidarum abſumtionem præcavendam ſpirituumque jacturam reparandam ſit neceſſaria, ideoque plenius corpus nutriendo materiem ſanguini ea ratione ſuppeditare, qua copioſius per vaſa uteri excernatur? Quid ſi otio indulgeant mulieres, & vitam agant prorſus ſedentariam, unde ſeri ipſius perſpirabilis excretio plurimum imminuatur? Cum vero tenui victu utuntur, & quantum ſatis eſt ad vitam ſuſtentandam, non ad ſatietatem, aut famem ipſam ſedandam; an cumulari poſſit ſanguis ea quantitate, ut copioſiori ſanguinis excretioni impetum det, viderint alii. Quid ſi nimis exerceantur? Jam vero ſpiritus diſſipari, partium robur infringi, fluidiores mitioreſque humorum partes diſperdi, hinc langueſcente fibrarum elatere, craſſioribuſque remanentibus humorum particulis non promptam, ac facilem eorum excretionem, ſed congeſtiones potius, atque infar-
ctus

(u) *In Holler.* 255.

ctus uteri ſubſequi manifeſtiſſima res eſt. In ætate, quæ pubertatem ſequitur, adoleſcentia nimirum, quæ ad vigeſimum quintum annum extenditur, cum cordis impetus, & inde conſequens ſanguinis celeritas in dies ſingulos augeatur, quid mirum, ſi major quoque ſanguinis quantitas evacuetur, quo magis ad juventutem properatur, in qua ſolet plerunque ea vis, atque impetus ſolidarum partium, atque inde conſequens fluidarum motus ſervari, qui in conſiſtente ætate ſenſim, ſenſimque langueſcit, unde excretio quoque, quæ æqualis antea dictis de cauſis permanebat, paulatim diminuitur.

Niſi gravidæ fiant, aut lactantes in quibus &c.] Si Rodericum a Caſtro (*x*) Hildanum (*z*) Stalpartium vander Wiel (*a*) Columbum (*b*) Deventerum (*c*) Cummium (*d*) Dionis (*e*) Mauriceau (*f*) alioſque eximios ſcriptores conſulimus, exempla mulierum contemplanda Phyſicis exhibuerunt, quæ licet prægnantes interdum uſque ad ſeptimum menſem, & toto gravidationis tempore ſanguinis fluxui obnoxiæ fuerunt, qui cum moderatus fuerit, nec ultra conſuetos dies extenſus nec matri, nec fetui quidquam attulit detrimenti: unde Hippocratis aphoriſmus dicentis (*g*) *Si Mulieri utero gerenti purgationes eant, impoſſibile eſt fetum eſſe ſanum*, ad eas Mulieres referendus videtur, quæ plenius, & uberius, quam par eſt menſtrua patiuntur, ut facile principes ejuſdem interpretes Hollerius, Heurnius, Valeſius, De Gorter, Mauriceau, Dionis, De Graaf egregie oſtenderunt. Quin imo ſi mulier multo ſanguine abundet, & matri, & fetui conferre ſupra laudati Mauriceau, de Gorter, nec non cl. Tozzi teſtati ſunt, unde egregie conjicit cl. Paſta (*h*) Solenandri mulierem, quæ gravidationis tempore majorem ſanguinis copiam, quam ante ejiciebat, quin de perturbata ſalute conquereretur in illum ordinem eſſe cooptandam. Quod enim cum multis ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus obſervationibus compertum eſt, clare aperit juxta ordinarias naturæ leges in gravidis mulieribus menſtrua deficere, aut ſaltem tertio elapſo menſe non reperiri. Neque hujuſce rei ratio in arduo poſita. Cum enim conceptione peracta vaſa uteri turgere incipiant, copioſioremque ſuccum effundere, qui a calore loci motuque ad eam partium tenuitatem redigitur, qua ſeſe in fæcundatum ovulum nulli uteri parti adhærens inſinuare poſſit, atque ejus ſubſtantiam altius penetrando ipſum diſtendere, & augere, embryonemque in eo contentum nutrire, perſpicuum eſt, quo major nutritii humoris quantitas ad uterum affluit, eo magis in univerſa ſanguinis maſſa id ipſum deficere, quod cruentæ excretioni impetum dabat, ſicque ſanguine per turgida, ac diſtenta uteri vaſa circulum ſuum libere conficiente menſtruorum fluxum ceſſare, aut ſaltem eo uſque ſolum diminuta progredi, dum ovulo in dies ſingulos increſcente placentæ rudimenta conſpicua fiunt, uteri capacitas ipſius mole impletur, tenuiſſima vaſcula ab utero ovulo circumquaque applicato admittuntur, & nutritus ſuccus ab eodem tranſcolatus in fetus umbelicalem venam tranſmittitur pro majore fetus nutritione neceſſarius. Quæ ſi minus arrideant iis, qui nutritionem fetus aliquam ſaltem magnitudi-

B nem

(x) *De morb. Mulier. lib.* 2. *cap.* 11. (z) *C.* 5. *obſ.* 41. (a) *Obſer. cent.* 1. *obſ.* 76. (b) *De format. fet. l.* 12. (c) *De art. obſtetric. p.* 1. *cap.* 33. (d) *Medic. ſept.* 37. (e) *Traité des accouchemens liv.* 2. *chap.* 12. (f) *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 20. (g) *Sect.* 5. *aph.* 61. (h) *Diſcorſo Medic. Chirur. n.* 1.

nem adepti a liquore Amnii, cui circumfunditur ore hauſto, vi ſtomachi concocto, ſucciſque bilioſo, pancreatico, & inteſtinali in Chylum ſubacto per vaſa lactea in ſanguinem tranſeunte, reliquo in fæces lentas inteſtinorum motu ad anum uſque propellendas abeunte repetunt, ii ſane egregiis obſervationibus minime deſtituuntur, Graafii præſertim afferentis liquorem illum in membranis ovi diu ante conceptum exiſtere, poſt factum conceptum accreſcere, primis menſibus copioſiorem eſſe, inſtante partu imminui, & interdum penitus abſumi: nec non Heiſteri in fetu æſophagum, & ventriculum eodem refertum vidiſſe haud dubie affirmantis: auctoritate demum Hippocratis, qui in libro de carnibus hæc habet: *Si quis, inquit, interroget quomodo hoc quis ſciat, quod, fetus in utero trahit, & ſugit, illi ſic reſpondendum eſt: Pueri naſcuntur ſtercus in inteſtinis habentes, & ubi nati fuerint, celerrime ventrem tum homines, tum pecudes exonerant, atque non haberent ſtercus, niſi in utero ſuxiſſent.* Quibus quamvis reſponderi poſſet, fetus interdum ſine capite in lucem edi, & nonnullos infantes ore, naribuſque obturatis, quo ſatis ſuperque conſtat, fetum per os ſolummodo non nutriri, ut præclare notat Freindius; non eſt tamen cur multum pugnemus, præſertim cum & Harvæus & laudatus Graafius docentes huncce humorem in Amnio reperiri, antequam fetus & mingere, & ſudare queat ſuſpicionem de excrementitia ejuſdem natura, ut Veterum plerique crediderunt, tollant omnem; At & illi mihi concedant quod volo neceſſe eſt, liquoris hujuſce materiam ex univerſa ſanguinis maſſa in vaſa uterina derivari, præparari ibi, ſenſim ab utero per poros membranarum in cavum Amnii adigi, humorem ibidem contentum ſimilem ſeparare, vaſa embrii replere, ampliare, extendere, donec membris organiſque digeſtionis perfectionem nactis ab ore fetus hauriatur, ideoque deficiente ea ſanguinis copia, quæ ad vaſa uterina delata menſtrua ciebat, eadem deficere. Idem plane dicendum de lactantibus. Quamvis enim Schenky, Pecqueti, Hoffmanni aliorumque opinionem libens complectar, qui lactis materiam non ex ſanguine, ſed ex Chylo derivari ſtatuunt præclaris ducti obſervationibus, quibus compertum eſt eam lactis copiam a nutricibus emitti, quæ cum ſanguinis diſpendio conciliari vix poteſt, deinceps ſi non multo poſt a paſtu calidus potus ab iiſdem ſumatur, inſignis lactis ad mammas excurſus ſenſum percipi, paucas vero horas a paſtu optimum reddi, purgantia demum infantem purgare, crocum flavo colore chylum lacteum inficere, aliaque plura in cibis aſſumpta ad nutricum mammas deferri, cur iis tamen blandiar, cum ad credendum vehementer adducuntur, antequam Chylus ſanguini commiſceatur in ſubclaviis immediate per ramum ductus thoracici, qui non in ſubclavio canali, ſed quaſi furtim axillam verſus inter Thoracis muſculos divertens ad mammas tendit, illuc deferri, nullatenus video, cum res aliud monſtret. Videmus ſiquidem omni alimento jamdiu in perfectum ſanguinem mutato, nihilominus Lac in mammis generari ex inedia nutricum, & obſidionibus, ut Hoegelandius teſtatus eſt: deinceps lacti ſæpe ſanguinem ſuccedere, cum in nimia lactione nutrices exſuguntur, argumento prope certiſſimo materiam lactis non per vias peculiares, ſed una cum ſanguine ad mammas deferri, ac conſueta ratione per mammarias glandulas ſecretionis gratia a natura mirabili ſtructura conditas ſeparari. Cui quidem ſententiæ vel ex eo plurimum ponderis accedit, quod Hippocrates: *Si Mulier*, inquit, *quæ nec peperit,*

neque

neque gravida eſt lac habet, huic menſtrua deficiunt. Cur enim deficiant, niſi ſanguis eidem materiam præbeat convenientiſſimam? Cum autem ſanguis lacti materiam præbeat, quid mirum ſi in lactantibus ob inſigne Chyli, & ſanguinis diſpendium, menſtrua non reperiantur?

IV. *Hæc fere omnia evenire ob peculiarem quamdam plethoram &c.*] Quæ hactenus diximus apprime faciunt ad illorum defenſionem, qui non aliam præter plethoram menſtrui fluxus cauſam agnoverunt: quæ quidem doctrina novum inventum non eſt, cum Galenus in libro de venæ ſectione adverſus Eraſiſtratum primus omnium, eamdem medicis contemplandam reliquerit. Quoniam obſcura, & mutila ſucceſſu temporis ſubtilioris ingenii medicis viſa fuit, in ea potiſſimum illuſtranda multorum voluntas non defuit, ac Pitcarnii (*i*) Hoffmanni (*k*) Boerhaavii (*l*) Freindii (*m*) ſolertia plurimum enituit. Et ſane vix in oppoſitam ire poterit ſententiam, qui illud vel leviter tantum mente volutaverit, ſanguinem in feminis magis redundare, quam in viris, ac facilius in iis accervari: quod quidem ſuadere videtur longe mollior, ac laxior feminarum habitus, quam ſit virorum, ut egregie docuit Hippocrates, (*n*) unde omnes cavitates, cellulæ, & vaſa in his facilius diſtenduntur, replentur, humoreſque aggregantur, ut idem alibi oſtendit (*o*). Cujuſce rei argumentum præclariſſimum præbet membrana adipoſa in feminis craſſiſſima, ac citius earum incrementum, quam fiat in viris, non aliunde repetendum, quam ex majore liquidi copia, ex qua ſolidæ partes conflantur, ita ut minori tempore, æquale, vel æquali tempore amplius nutrimentum inde hauriri queat, ut idem Hippocrates arguit (*p*), ac luculenter demonſtravit Pitcarnius (*q*). Quoniam vero fibræ quo molliores, laxioreſque ſunt, eo etiam minore efficacia ſunt inſtructæ ad impellendum, quo vero magis firmæ, & ſolidæ, eo etiam ad impellendum ſunt magis idoneæ, ſequitur hinc, ut in feminis tardior ſit, & languidior fluidorum progreſſio, ac propterea debilior, mollior, ac minor pulſus, quam ſit in viris, ut ipſe Galenus teſtatus eſt. (*r*) Quæ languida fluidorum progreſſio dici vix poteſt, quantum eorum copiæ aggregandæ tribuat, atque excretionum parcitati. Hanc autem parcitatem excretionum efficit etiam vaſorum, quibus donantur mulieres, anguſtia. Qualis enim eſt vaſis ſecretorii capacitas, talis eſt materiæ, & humidi conſumptio; hinc cum major ſit capillarium vaſorum anguſtia, nil mirum videri debet longe minus perſpirare mulieres, quam viros: Cum vero minus perſpirent, longe majorem ſanguinis, & humorum copiam aggregare Hoffmannus egregie animadvertit. Hiſce addas velim mulieres minus corpus exercere ſolitas, quam viros, ideoque plethoram etiam ob hanc cauſam excitari, ut Hippocrates, & Galenus ſtatuerunt, ſi Sanctorium (quem quis non audiat?) audimus (*ſ*) cujus experimentis compertum eſt exercitio corpora leviora fieri: ſolidæ enim partes robuſtiores fiunt, ſanguinis, & ſpirituum motus augetur, hinc partes excrementitias ad cribra glandularum facilius expelli contingit, ibique ſeparatas, præcipitatas, & a ſeroſo latice abſortas vel per urinam, vel per ſudorem extra corporis con-

B 2

(i) *Obſer. de fluxu menſtruo*. (k) *Medic. ſiſt. T. 1.* (l) *Inſtitut. Medic. de Menſtr.* (m) *Emmenolog. Cap. 3.* (n) *De natur. puer. 5. 6.* (o) *De morb. Mulier. 1. s. 11.* (p) *Ibidem*. (q) *Loc. cit.* (r) *De cauſ. pulſ. 3. 21.* (ſ) *s. 5. 9.*

confinia educi, unde optime Hippocrates (*t*) labore aliquid humoris abduci adnotavit. Hiſce igitur de cauſis ubi feminæ adeptæ fere terminum ſui incrementi plus boni humoris conficere incipiunt, quam alendo corpori requiritur, magis etiam implent vaſa uterina, diſtendunt, atque ea ratione afficiunt, qua ſanguis ex ipſis in cavitatem ſtillet, lubricetur os uteri, laxetur, & eo uſque profluat, quo diminuta ejus copia minus premantur, magis propterea ſeſe contrahentibus vaſis, ſanguis retineatur, ſola pars ſeri craſſior dimittatur, tandem lympha lubricandis partibus a natura comparata, atque ſucceſſu temporis majore ſanguinis, & humorum copia aggregata in vaſa ſemel dilatata deponatur, & hinc vario in variis tempore menſtrua ſubſequantur, ut præ cæteris Boerhaavius opinatus eſt. Quod hæc plenitudo menſtrui fluxus ſit cauſa, præterquamquod ea omnia ſuadere videntur, quæ in explicatione quarumdam affectionum, quæ menſtruantibus mulieribus propriæ eſſe ſolent, ſupra attulimus, cur videlicet feminæ copioſius nutritæ, minus exercitatæ, macilentæ, & mollioris texturæ copioſiorem ſanguinis copiam fundant, contra vero obeſæ, multum exercitatæ, & ruſticæ parciorem habeant hujuſmodi fluxum, quoniam ſcilicet minorem iſtæ præ illis congerant ſanguinis copiam; cur incipiant plerunque Menſes circa decimum quartum annum, quia videlicet hoc tempore plus ſanguinis ingeneratur, quam nutriendo corpori inſerviat, ceſſat circa quinquageſimum deficiente plenitudine cruentæ excretionis cauſa; cur gravidæ, & lactantes ut plurimum non purgentur, niſi ſanguine plurimum turgeant, quod ſcilicet ſanguinis plenitudinem efficiens in prolis alimentum impendatur, alia etiam in promptu ſunt. Atque his quidem intelligi facile poteſt cur eæ, quæ largiores hæmorrhagias, longam inediam, puerperium, vel inſignes evacuationes antea paſſæ ſunt, aut quæ diuturniori morbo convaluerunt, quibus omnis plenitudo tollitur, vel parcius, vel nihil omnino purgentur; cur retentus menſtruus cruor dilatatis aliis vaſculis varias ſibi vias faciat, atque ex iis periodice exeat.

Cum peculiari uteri, & vaginæ conſtitutione conjuncta. Ex quibus canalibus utrum ex iis, qui ad uterum, an qui ad vaginam feruntur, ſanguis menſtruus affluat, lis eſt inter Medicos, & Anatomicos longe maxima. Quæſtionem de medio omnem ſuſtuliſſe ſibi viſi ſunt olim Hieronimus Mercurialis, & Daniel Taurius, qui rem prorſus abditam, atque incertam eſſe affirmare non dubitarunt. Quibus tamen acquieſcere non potuerunt ſcriptores magni, & docti, quorum alii ſanguinem menſtruum ab utero ejuſque parietibus prodire ſunt arbitrati, alii vero e vagina deſtillare rem ſatis claram, atque obſervationibus ſuffultam haud intuto pronuntiarunt. Priorem ſententiam tenent Veſalius, Higmorus, Spigelius, Graafius, Littrius, aliam vero Primeroſius, Columbus, Ronſincius, Bonhius, Bergerus, Verducius, aliique. Atque ii quidem concinne ſibi dicere videntur, cum imaginantur fetus nutrimentum, quod toto geſtationis tempore a materno ſanguine deſumitur, per uterum potiſſimum percolari, eodemque ex loco illum ipſum ſanguinem, qui poſt partum locorum nomine inſignitur foras elabi, atque illum quidem ex vaſis, quorum oſcula in utero, non in vagina hiare compertum eſt. Quibus ſane de rebus fieri facili negotio poſſe conjiciuntur ut inſtante menſtruorum fluxu lumborum dolore Mulieres exerceantur, quem mi-

(*t*) *De morb. Mul.* 1. 11.

minime eo loco perciperent, ſi vaſa vaginæ non uteri afficerentur. Cum Hippocratis aphoriſmum, quem ſupra attulimus (*Si mulieri utero gerenti purgationes eant, impoſſibile eſt fetum eſſe ſanum*:) ſedulo contemplantur, continere ſe vix ulla ratione poſſunt, quin abortus metum irrideant, quotieſcumque ſanguis in prægnantibus erumpit. Si enim menſtrua ex vaginæ vaſis evacuentur, tantum abeſſe exiſtimant, ut fetus periclitetur, ut dempta nimia ſanguinis copia magis magiſque in utero firmetur, ea prorſus ratione, qua matura venæ ſectione in plethoricis mulieribus abortus præcavetur. Cum Morgagnium præclariſſimum audiunt, (*u*) qui in Virgine menſtruo ſanguine profluente interempta, pluribuſque aliis cadaveribus, quibus non ita pridem menſtruus ſanguis profluxerat accuratiſſima obſervatione inſtituta nihil in vagina, aut uteri cervice deprehendiſſe teſtatur, quod cruorem ex ejus parietibus prodiiſſe ſignificaret: contra vero uteri fundum ſanguineis maculis ita undique conſperſum, ut mediocri expulſione cruentas guttas elicere nihil prorſus negotii eſſet, cum vero id in vagina, aut uteri cervice pari prorſus ratione tentaretur, rem votis minime reſpondiſſe; aut Graafii (*x*) aut Sanctorini (*z*) obſervationes legunt, quin alia hujuſce rei argumenta percurrant, ſatis ſe habere ſibi in animum inducunt, ut ſanguinem menſtruum ab uteri vaſis tamquam rivulum a fonte promanare non ad ſuſpicandum, ſed ad credendum vehementiſſime adducantur. His vero quemadmodum explicandæ ſint obſervationes illorum, qui contrariam ſuſtinent opinionem, Columbi præſertim, qui (*a*) in anatome publice inſtituta cujuſdam feminæ, cui menſtrua fluebant, quod filium vita interfecerit capitis ſupplicio damnatæ, vaſa omnia, quæ in uteri cervicem deſinunt ſanguine plena, ac magis turgida, quam quæ ad uteri fundum deferuntur, deprehendit, viderint alii. Quid de Govey ſentire poſſint (*b*), qui cum ſuſtineat ſanguinem menſtruum ex ſola vagina prodire, illud ſe in cadaveribus obſervaſſe ſcribit, plane non aſſequor. A vagina certe interdum ſtillare menſtrua præclare oſtendunt prægnantes mulieres, quæ periodice primis ſaltem menſibus purgantur, quæ cum ſanguine abundent nullam non modo noxam percipiunt, nec ullam fetui inferunt, ſed melius, quam ante & ipſæ habere ſolent, & prolem erigere, ut ſupra animadvertimus. Periodicam hanc purgationem velim adverſarii probe diſtinguant a ſanguinis profluviis, quæ & multo copioſiora eſſe ſolent, & ſæpe grumis, deliquiis, aliiſque moleſtis ſymptomatibus comitata, quibus fit, ut toto gravidationis tempore, præſertim vero extremis ipſius Menſibus ſint eadem diſcriminis plena, atque periculi. Illam enim non a fundo uteri erumpere cenſendum eſt, qui a placenta ipſius parietibus adhærente clauditur perfectiſſime (ut infra videbimus) ſed a ramis quibuſdam provido naturæ conſilio a vaſis ſpermaticis provenientibus, quorum alter ad uteri fundum excurrit, ut menſtruis gravida non exiſtente muliere viam paret, alter vero in ipſius cervicem terminatur, ut concurrente ſimul aliquo alio ramo, qui a vaſis hipogaſtricis proficiſcens illuc defertur gravidationis tempore plethorica exiſtente muliere, eadem commode, & citra abortionis periculum erumpant, ut cl. Mauriceau, quem cl. la Molne, aliique graviſſimi Scriptores ſectati ſunt, de-

(u) *Adv. Anat.* 1. *pag.* 4. 5. (x) *Eph. Nat. Cur. Cent.* 5. *ob.* 24.
(z) *Morg. adver. anat.* 4. *p.* 48. (a) *Lib.* 6. *Anat.*
(b) *Veritab. Chirurg. p.* 398.

demonſtravit (*c*). Quæ cum dico facile conjicio non defuturos, quibus hæc philoſophandi ratio diſpliceat, atque Dionis præſertim, qui prædictos ramos a cl. Mauriceau commemoratos non ſolum libens minime concedit, verum etiam non omnibus uteri partibus, ſed alterutri tantum adhæreſcere placentam, ut ipſe Graafius teſtatus eſt, exiſtimat, hinc ſanguinem, ſi copia peccet ex iis ipſis vaſis effluere poſſe, ex quibus menſtruatim excernitur in non gravidis], quin fetus ullum detrimentum patiatur, ſi moderate effluat, & per illam uteri partem, quæ omnino a placenta libera eſt, ad credendum vehementer adducitur. Cum tamen Derelincurtius (*d*) certis obſervationibus compertum habuerit internæ uteri ſuperficiei chorium ubique adhærere viribus inſigne, ut Littrius oſtendit (*e*), nihil ſane ſuppetit, cur priorem ſententiam relinquam. Si enim in utero fiat ſanguinis eruptio, fieri minus vix poſſe videtur, quin effuſi in eodem ſanguinis fluctuatio fetum a placenta divellat, atque inde conſequens ſuccedat abortus. Atque hinc peti poteſt ratio cur periodice fluentibus menſtruis in gravidis Mulieribus, quæ ſanguine abundant minime abortiant, abortiant utique, & interdum in mortis diſcrimine prope certiſſimo conſtituantur, ut ipſe Dionis oſtendit, (*f*) ſi ſanguinis profluviis corripiantur, quoniam illam a vaginæ vaſis, hæc vero ab uterinis demittuntur. Quæ omnia obſervationibus quoque Joan. Heurny (*g*) ita egregie reſpondent, ut pro ſingulorum opinionibus aperiendis fulciendiſque neceſſe non ſit argumenta repetere, quæ penes ſuos auctores ſatis exculta inveniuntur, ſed ex iis, quæ in qualibet probabilia maxime ſunt veritati propiorem eruere, atque citra ullius erroris ſuſpicionem affirmare, cum plura ad uterum excurrant vaſa, quam ad vaginam, & ſpermatica, quæ ovarium perreptant valde flexuoſa ſint, uberius quidem ex uterinis vaſis, præſertim in iis, quæ pepererunt propter vias liberius patentes, ſed ex vagina quoque uno eodemque tempore menſtrua fluere poſſe, interdum ex ſola vagina, ut egregii viri Mauriceau, Morgagnius, Vaterus, Heiſterus, Freindius, Hoffmannus ſunt arbitrati.

Qua ſanguis ad capillaria hujuſce, aut illius partis vaſa.] Num vero ex arteriolis, an ex venis prodeant ardua quoque, atque difficilis quæſtio eſt. Si nonnullos audimus, qui arteriolarum evaneſcentium anguſtiam ſedulo contemplantur, qua ſanguinem in latera vehementius impelli contingit, ii ex arteriis potius, quam ex venis menſtrua prodire arbitrantur, quæ latiores cum fiant, majus ſanguini ſpatium ad excurrendum concedunt, quam ut eorum orificia recludant, hinc ſanguis floridus, & rubicundus egreditur, quique ad apertas venas referri minus apte poſſe videtur. Alii e contra animadvertentes guttatim fluxum ſuccedere, ex venis potius, quam arteriolis deducunt, præſertim cum flatus venis uterinis immiſſus in cavum uteri, & vaginæ impelli commodiſſime poſſit, & venarum tunicæ facilius, quam arteriarum latera aperiantur, ut Fantonus experimentis didicit (*h*). Quid hac in re ſentiam pronuntiare vix audeo. Utcumque tamen alii venas, alii arterias accuſaverint, ex ipſo fluxu, qui guttatim ſuccedit, haud crediderim intutum pronuntiare cum laudato Freindio ex capillaribus certe,

(c) *Lib.* 1. *de morb. gravid.* (d) *De fetu hum. chor.*
(e) *Mem. del' Acad. Pariſ.* 1701. (f) *Loc. cit. ch.* 13.
(g) *Com. lib.* 5. *aph. Hipp.* 60.
(h) *Anat. corp. hum.*

te, non ex majoribus ramis propelli, nihil intereſſe judicans utrum venis, an vero arteriis ſanguis foras egrediatur.

Majore impetu, atque velocitate feratur.] Sententia de menſtruo ſanguinis fluxu a plethora repetendo, quamvis & certis, & intellectu facillimis principiis ſit innixa, ſuis tamen oppoſitionibus & ipſa non caret. Has præ cæteris labore, atque induſtria excogitavit Charletonus, ut ſuam conjecturam firmaret. Eæ autem ſunt fere, quas trado. Menſtruantur interdum profuſa ſanguinis evacuatione, interdum conſueta macilentæ, & tabidæ, in quibus aut plenitudo infra mediocritatem conſiſtit, aut plane deſinit, & ſi in nonnullis ſit valde inſignis, non ſolum impedimento ipſa ſit, quo minus Menſes emanent, ſed nulla ratio ſit, propter quam aliis hæmorrhagiis per vaſa ventriculi, pulmonum, aliaque occaſionem non præbeat. Ita rationes quæcumque excogitari poſſunt pro plethora videtur ſubvertiſſe. Verumtamen quamvis liceat ingenioſo viro objicere primum ex iis, quæ in OEconomia Animali tradidit (*i*) magnam ſibi contradictionem involvere, cum macilentos magnis venis, plurimoque ſanguine donari docet, ideoque liberaliorem venæ ſectionem ferre, Animalia vero fame enecta, hominesque tabe conſumptos plurimum ſanguinis etiam poſt obitum in venis habere: dum hiſtoriam affert (*k*) ab Hippocrate relatam de viro, qui morbo ad extremam uſque maciem extenuatus, & in dies magis magiſque tabeſcens repetita venæ ſectione cum fructu fuit pertractatus: plethoram per ſe ſpectatam nequaquam Menſes ſupprimere, ſed tunc ſolum, cum aut vaſa anguſtiora ſunt, & majus proportionaliter impedimentum afferunt fluento ſanguini, unde ſegniter moveri cogitur, atque hinc lenteſcere ea ratione, qua tenuiores ejus partes cum craſſioribus firmiter adhæreſcentes capillarium obſtructionem pariant, vel quod lentior cum ſit ſanguis ſuapte natura, & ejus particulæ tenaciter inter ſe cohæreant, adeoque magnitudine excreſcant, per oſtiola capillarium vaſorum minime traduci poſſit, unde eorum obſtructio exoritur, atque hinc menſtrui fluxus ſuppreſſio excitatur: ubi demum obſtructio altas radices egerit, aut plus quam par eſt plethora increſcat, ſanguinem per alios canales puta ventriculi, narium, pulmonum viam ſibi ſternere: ſed quoniam id muneris ab aliis Scriptoribus, præſertim vero a Freindio impletum eſt, alia volens prætermitto, atque cum ex allatis rebus conſtet ſanguinem in feminis magis redundare, quam in viris, atque in iis facilius accervari, meæ debitionis potiſſimum eſſe ſentio demonſtrare, cur ſanguis ad uteri vaſa majore impetu, & velocitate feratur in feminis, quam in viris, & vaſa facilius diſtendantur, recludanturque, quam cetera omnia inferiorum partium vaſa. Ubi enim harum rerum rationes invenerimus, jam confecta res erit: difficultates, quæ contra plethoram afferri ſolent, aut ſubtilius excogitatæ Menſium cauſæ per ſe corruent.

Cum probe noverim Aortam deſcendentem, omneſque inferiores partes latius patere in feminis, quam in viris &c.] Id autem me nulla meliori ratione aſſequi poſſe ſum arbitratus, quam ſedula contemplatione Aortæ deſcendentis, quæ multo amplior in feminis, quam in viris reperitur, pluresque in illis, quam iſtis habet ramorum diviſiones provido quidem naturæ conſilio, cum ſanguinem ad uterum ferre debeat, quod in viris non

(i) *Exercit.* 5. *ſect.* 3. (k) *Sect.* 6.

non accidit, & ad reliquas circa ipſum, & infra ipſum partes, quæ in Mulieribus multo ampliores obſervantur. Si pelvis capacitatem inſpicias, majorem eam facile deprehendes: os enim ſacrum, & os cocygis latiora natura efformavit, & magis extrorſum porrecta, uti & oſſa innominata, quæ a ſe invicem quoque remota ſunt, & eminentiæ inferiores oſſis pubis magis extrorſum vergunt. Si crura intuearis pro cæterarum partium ratione craſſiora in feminis, quam in viris facile apparebunt. Quæ quidem omnia maximi eſſe momenti ad efficiendum, ut ſanguis ad inferiores partes majore impetu, & velocitate feratur in feminis, quam in viris etiam me tacente facile omnes intelligunt: impetu quidem quia majore copia ob plures ramorum diviſiones ſanguis defertur. Cum enim impetus ſit maſſa multiplicata per velocitatem, ut alibi oſtendimus, (*l*) liquido conſtat, quo major ſanguinis copia ad inferiores partes velocius accurrit, eo etiam accurrere majore impetu: velocius autem eo fluida accurrunt, ubi minorem inveniunt reſiſtentiam, quæ pro ratione capacitatis vaſorum, & partium eadem prementium minuitur. Cum igitur Aorta deſcendens amplior ſit, ampliorefque partes omnes, quæ circa uterum, & infra ipſum locantur, velocitatem, quam per Aortam deſcendentem ſanguis acquirit eundo, eamdem fere ſemper æqualem ſervare, dum inferiorum partium vias remetitur manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Quod ſi uteri vaſa contempleris tam arterioſa, quam venoſa ex ſpermaticis, & hypogaſtricis orta, quæ non recto curſu, ſed varie contorta, curva, & quaſi ſerpentinis ductibus perreptant, non ſolum eo ſaluberrimo naturæ artificio, ut in gravidis Mulieribus ſenſim utero creſcente, uterus ipſe ſine vaſorum diſruptionis metu diſtendi poſſit, ſed ut expeditus ſanguinis regreſſus per venas non parum impediatur, cur ambigas, quin conſtituendum ſit, uteri vaſa præ ceteris facilius diſtendi, & aperiri oportere? Quid quod membranæ quæ internam, & externam uteri ſuperficiem cingunt, & in quas vaſa varie inſeruntur, atque diſſeminantur adipe omnino carent, & craſſitie, atque inde conſequens omni fulcro deſtituuntur, quo validiori diſtenſioni obſiſtant, & difficilius aperiantur, ut cætera inferiorum partium vaſa muſculis munita, atque pinguedine, aut quorum extremitates libero aeri exponuntur? Neque ſilentio præteriri debet pendulum eſſe uteri ſitum, & ipſius venas valvulis carere, quibus ſane ad credendum vehementer adducimur, quemadmodum omnem fluidi perpendicularem aſcenſum, ita ſanguinis per longum venarum ductum varie contortum, & curvum ad ſuperiores partes perpendiculari via curſum valde eſſe difficilem, & ſicut a valvulis in aliis corporis partibus expeditior ſanguinis progreſſus per venas cietur, ita per uterinas iis deſtitutas non parum impediri, atque hinc ſenſim ſenſimque in utero, aut vagina tamquam commodiſſimo diverticulo aggeſtum, eorum minima vaſa ſic diſtendere, ut aperiantur tandem, & viam ei ſternant convenientiſſimam. Hinc nil mirum ſi inſtantibus Menſtruis purgationibus dolor, calor, pondus perſentiantur in lumbis ad pubem, ad inguina, febricula, aut inſolita quædam motio in pulſu excitetur, ac demum turgeant mammæ. Hæc enim omnia ex vaſorum uteri, & adjacentium diſtenſione oriri, cum quibus mammaria vaſa communionem habent adeo manifeſtum eſt, ut nil ſit manifeſtius.

V.

(l) *Lib.* 1. *aph. cap.* 9. *com.* x.

V. *Si parem vaſorum hæmorrhoidalium conſtitutionem , & habitum ſortiantur viri &c.*] Qui plethoram menſtruæ purgationis cauſam non eſſe pugnaciſſime ſuſtinent, habent id etiam, quo eamdem oppugnent, quod ſcilicet viri ſani otioſe, & opipare viventes obnoxii non fiant ſimili ſanguinis excretioni per hæmorrhoides, & ſi deficiat excretio cur iiſdem, vel confimilibus hæmorrhagiis, & malis non corripiantur , quibus feminæ afficiuntur , quæ conſuetis temporibus non menſtruantur, quas non per hæmorroides tantum purgari frequentius accidit, ut cl. viri Sennertus (*m*) & Bonettus (*n*) deprehenderunt, ſed etiam per nares, per poros cutaneos , per urinam , per tuſſim, per pollicem , indicem , per digitos demum, ut Borrichius (*o*) Dolæus (*p*) Salmuthius (*q*) Hoecchſtetterus (*r*) Platerus (*ſ*) Zacutus (*t*) Mercatus (*u*) aliique in philoſoph. Tranſact. (*x*) certis obſervationibus compertum habuerunt. Qui quanta in obſcuritate verſentur vix explicari dicendo poteſt. Licet enim ab illis fuerim, viros otioſos, & opipare viventes hæmorrhoidalem fluxum interdum non pati , non tamen propterea omnino conceſſerim aliquam per certa intervalla plenitudinem minime habere, qua eorum corpora pondere augentur, quæ ut notavit eximius Sanctorius circa finem menſis per urinam copioſiorem , & turbidiorem ſolvitur , qua reddita & corporis laſſitudo, & capitis gravitas, aliaque fluxum iſtum præcedentia ſedantur . Pæterquamquod deerunt ne exempla virorum , qui periodicis ſanguinis profluviis correpti fuerunt ? Eximios teſtes profero Amatum Luſitanum (*z*) Bartholinum (*a*) qui per hæmorrhoides ſtatam evacuationem adnotarunt, Salmuthium (*b*) qui non ſolum periodicæ hæmophtoe, & mictus ſanguinei meminit , ſed eodem prohibito virum in ſummam pectoris anguſtiam, & compreſſionem, maximamque ſpirandi difficultatem incidiſſe, eaque paucos intra dies extinctum eſſe teſtatus eſt. Quid quod periodica evacuatione in ejuſmodi viris ſuppreſſa non modo ſanitas pervertitur, ſed eadem prorſus, ac quæ in feminis , quibus menſtrua deficiunt mala excitantur , & ſi ſuppreſſio diutius perſiſtat plane hyſterici fiant, ut egregie animadvertit Freindius ? Quapropter illud citra ullius erroris ſuſpicionem cum Friderico Hoffmanno affirmari poſſe videtur, ſi viri laxiorem, flexiorem, ac molliorem fibrarum ſtructuram , vaſorumque exilitatem æque ac feminæ ſortiantur , cum plus humoris conficiant , quam alendo, & nutriendo corpori requiritur, non ſolum juniores adhuc narium hæmorrhagiis obnoxios fieri, vel etiam ad hæmophtiſim proclives , ſed adultiores factos hæmorrhoidalem fluxum experiri, qui non minus largus, & frequens eſt, quam ſalutaris, ſi inſignis ſanguinis copia in vaſis aggeritur , dummodo tamen ex prava viſcerum Abdominis conſtitutione minime proficiſcatur, nec cachexiæ, malo hypochondriaco , aut hydropi ſuperveniat , quo caſu noxius ſæpe eſſe conſuevit.

C CAP.

(m) *Prax. lib.* 3. (n) *Med. ſept.* 36. (o) *Med. ſept.* 37.
(p) 636. (q) *c.* 3. *obſ.* 36. (r) *Dec.* 2. *caſ.* 6.
(ſ) *Obſ. Medic. lib.* 3. (t) *Prax. hiſt.* 1. 3. (u) *Morb. Mulier.* 469.
(x) *n.* 171. & 272. (z) *lib.* 5. 3. (a) 1. 3.
(b) *cap.* 2. 3. & 18. & *cap.* 3. 47.

CAPUT II.

De Menſium ſuppreſſione.

I. QUemadmodum ſanguine menſtruo moderate fluente optima incolumitas feminarum exſurgit, ita eodem præternaturaliter deficiente, aut exeunte plurimi morbi præſto ſunt.

II. Defici autem præternaturaliter contingit primo vitio ſanguinis, ſi nimia copia peccet cum viſciditate, & lentore conjuncta, vel ſi ſola craſſitie, viſciditate, & lentore, vel contra etiamſi fluidus, ac ſolutus acribus tamen, ac pungentibus particulis imbutus ſit: deinceps vitio vaſorum ſi obſtruantur a materia craſſa, viſcida, & mucoſa, ab acri nimis tenuique convellantur, comprimantur a tumore, nimia pinguedine, ſi coaleſcant, ſi plus æquo craſſa & compacta ſint, ſi laxitate peccent.

III. His porro occaſionem præbent aer valde frigidus ſuſceptus, immerſiones corporis in aqua frigida, aquæ frigidæ copioſæ potio; e contra aer cloacarum, & paludum effluviis infectus, humidus, ſi ſicciori præſertim aſſuetæ ſint, ciborum acidorum, craſſorum, viſcidorumque abuſus, exercitationes vehementes, & diuturnæ, ſomnus immodicus, ſubitus timor, mœror animi, triſtitia, evacuationes quæcumque ſanguinis, & humorum.

IV. Suppreſſis præternaturalirer menſibus floridus faciei color pallidus, & fœdus evadit, de doloribus vagis queruntur Mulieres, de pulſationibus in regione uteri primis ſaltem temporibus, de tumore, qui minime durus, nec valde extenſus eſt, quemque interdum inferiorum partium tumores excipiunt, de reſpiratione anheloſa præſertim in Scalarum aſcenſu, cordis palpitatione, de laſſitudine totius corporis, de mœrore, triſtitia, caloris, & frigoris viciſſitudine, aliiſque ſymptomatibus, quæ in dies ſingulos augentur, quo diutius ſubſiſtunt menſes.

V. Præternaturalis menſium ſuppreſſio a graviditate probe eſt diſtinguenda: in hac enim & color plerunque naturalis ſervatur, & ſi nauſea, aut vomitu, aliiſque jam dictis ſymptomatibus vexentur Mulieres, in dies paulatim miteſcunt, quo magis ad nonum accedunt menſem, dum interim & venter æqualiter attollitur, & in maximum durum tumorem elevatur, motus & ſitus infantis admota ad ventrem manu

ſen-

ſenſibiliter percipitur, & os uteri peritæ obſtetrici clauſum apparet.

VI. Si Mulierem videris carnoſam, rubicundam, atque opipare viventem, venis admodum diſtentis in fronte, brachiis, cruribus donatam, pulſum pleniorem habentem velocioremque cum dolore circa uteri regionem tenſivo, eam nimia plenitudine ſanguinis cum vaſorum tenacitate laborare certo certius tenendum: inanitate e contra ſi venis vix conſpicuis prædita, ſi contumaces morbos, diuturnam inediam, ciborum faſtidium paſſa fuerit.

VII. Si temperamenti melancholici, aut pituitoſi ſit femina, eaque alvum ſtypticam habeat, urinas crudas, appetitum proſtratum, in ſomnum proclivitate, obtuſo capitis dolore vexetur, eam vitio ſanguinis craſſi, viſcidique ægrotare facile judicandum.

VIII. Temperamentum calidum, & ſiccum, æſtus inſignis corporis, urinæ rufæ, croceæ, diarrhœæ bilioſæ, urentes capitis dolores, vigiliæ intenſæ, aliaque ejuſmodi acredinem, ac fuſionem ſanguinis deſignabunt.

IX. Sputum ſanguinis, hæmorrhagia narium, hæmorrhoidum perturbatum ſanguinis motum patefacient.

X. Suppreſſio menſium ab externa aliqua cauſa tolli facilius plerunque ſolet, quam quæ ex mala ſanguinis conſtitutione, aut ſolidorum vitio enaſcitur.

XI. Ubi noveris nimiam vaſorum plenitudinem cum eorumdem adſtrictione conjunctam, fomenta tepida ventri applicentur, balnea pedibus inſtituantur, eaque herbis, & floribus emollientibus alterata quatuor vel quinque dies ante conſuetum purgationis tempus, frictiones lenes, & humidæ coxis adhibeantur, clyſteres emollientes injiciantur.

XII. Si dolores urgeant, etiam venæ ſectio primum ex brachio, mox pede celebretur, nec non oleum amygdal. dul. s. i. r. e. ad ℥ 6. aut ad ℥ 1. quotidie exhibeatur. Idem faciendum ſi acres nimis, ſummeque tenues peccent humores.

XIII. Ubi e contra ex inanitate ſola nutrientia, atque corpus inſtaurantia adhibenda ſuaderem, neque ad alia deveniendum, niſi contumaci jam reddita ſuppreſſione aliquod aliud ſanguinis, aut ſolidorum vitium ſe prodat.

XIV. Ubi ſanguis craſſitie peccet, viſciditate, & lentore, aut vaſa uteri a materia mucoſa ſint obſtructa, præmiſſa venæ ſectione ex brachio primum, mox pede, purgans ex tartar. ſolub. ʒ 2. rhabarb. el.

 pul.

pul. ʒ 5. ſacchar. rubr. q. ſ. ex juſculo tenerioris pulli exhibeatur : addito ſi fortiori opus ſit dejeƈtione diagrydio ad gr. X circiter. Infuſio in hunc fere modum parata ſubſtitui poteſt. ℞. Rhabarb. el. pul. ʒ 2. Tartar. ſolub. ʒ 1. aq. font. q. ſ. f. ſ. a. infuſio: colaturæ addat ſyrup. roſat. ſolut. ad ℥ 2. vel 3. circiter.

XV. Sequentibus vero diebus decoƈtio theiformis ex radic. rub. tinƈtor. fœnicul. petroſel. ſerpil. pule. diƈtam. cret. cum pulverib. ex arcan. duplicat. tartar. vitriol. ſal. artemiſ. tamariſc. a ℈ 1. ad ʒ 5. addito ſyrupo capillor. vener. vel melius ſyrupo Fernel. cum rhabarb. per VIII. circiter dies quotidie horis medicis propinetur.

XVI. Tum prædiƈta infuſio, aut pulveres purgantes repetantur, nec non ſucceſſive alterantia pro ſecunda, & tertia vice ſi opus fuerit.

XVII. Hiſce martialia ſuccedant in ſubſtantia quidem aloeticis, & gummoſis mixta cachexia vigente, & pulſus languore. E. G. ℞. Limatur. mart. ſ. ſuper lapid. porphyrit. lævig. ʒ 2. croc. optim. pul. ℈ 2. gum. ſagapen. ʒ 3. alo. ſuccotrin. ʒ 2. S. M. cum ſyrupo de cichor. cum rhabarb. q. ſ. f. pillulæ n. XXXX. dentur IIII. quotidie cum prædiƈta decoƈtione.

XVIII. Levior erit in gracilioribus tinƈtura martis tartariz. a ℈ 1. ad 4. ex aqua pule. vel capill. vener. ad Lib. ſ. purgando qualibet oƈtava die pillulis de tribus cum rhabarb. vel eleƈtuar. de hiera cum croco.

XIX. Eorum loco ſi hyſtericis ſpaſmis, aut hæmorrhagiis obnoxiæ ſint Mulieres boli ex ſal. volat. ſuccin. borac. miner. a. ℈ 1. ex traƈt. ſabin. ʒ 1. mane quotidie ad pondus ſemiſſæ dracmæ præſcribantur, vel ex ſapon. venet. ʒ 2. bulb. recent. ar. as. fætid. ʒ 5. f. pillulæ ad idem pondus exhibendæ ſuperbibendo decoƈtionem theiformem artemiſ. centaur. baccar. juniper. addito ſyrup. artemiſ. aut capillor. vener. q. ſ. ad gratum ſaporem.

XX. Aquæ acidulæ in pertinaci morbo opportuno tempore præſtantiſſimæ.

XXI. Hæc omnia penitus proſcribenda, ubi acres nimis, ſummeque tenues peccent humores. Tunc enim præter oleum amygdal. dulc. & clyſteres emollientes ſola juſcula alterata herbis refrigerantibus portulac. cichor. endiv. borragi. taraxac; Vere autem earum ſucci ex juſculo pulli, vel cum ſero laƈtis deſtillati viſa ſunt convenire: Æſtiva tempeſtate balnea aquæ dulcis, aquæ Nocerianæ, autumnali tandem

lac

lac ex decoctione radic. chin. diu uſurpandum opportuniſſima. In hoc caſu cibi ſint juſcula avenacea, hordeacea, potus aqua ſimplex, vel ſiti urgente ſucco limonum, ribeſiorum, berberum alterata: vigiliis vero urgentibus emulſiones ſemin. quat. frigidor. & ſimilia.

XXII. Si a tumore comprimantur vaſa debitis remediis auferendus.

C A P U T II.

De Menſium ſuppreſſione.

I. *QUemadmodum ſanguine menſtruo moderate fluente optima incolumitas feminarum exſurgit &c*] Quamdiu moderato, & libero ſanguinis motu per vaſa aptum redditur humanum corpus ad actiones omnes obeundas, tandiu ſanum reputatur, ut propterea ſanitas ea corporis conſtitutio, qua actionum omnium integritas conſervatur, definiri jure merito poſſit. Hinc quo liberior, & moderatior eſt ſanguinis circuitus, non ſolum felicius, alacrius, & promptius functiones omnes exercentur, ſed ſanguis ipſe ad munera ſua edenda, & ad vitam conſervandam per ſuum huncce circularem motum idoneus redditur, quatenus ſcilicet ejus particulæ variis virium momentis novum continuo motum acquirunt, niſum, rotationem, nec non attritionem, attenuationem perpetuo patiuntur, atque inter ſe homogeneæ maxime evadunt; unde totius maſſæ fluiditas, calor mitis, & benignus, rubicundus color, atque ea tenuitas emergit, qua omnibus vaſis accommodari queat, capillaribus præſertim quæ vel levi quacumque de cauſa ob mutuam particularum ſanguinis concretionem obſtruerentur ea prorſus ratione, qua ſanguinem e venis eductum, licet nil ei deeſſe ſinamus, quod antea habebat, ceſſante cordis, & arteriarum motu concreſcere, atque in teterrimam putredinem abire deprehendimus. Liber autem ſanguinis circuitus cum a certa proportione inter ſanguinis ipſius quantitatem, & vaſorum, ac fibrarum robur dependeat, ita quidem, ut ſi nimis ille abundet, hæ plus æquo diſtrahantur, atque propterea eidem regendo, ac debita velocitate pellendo pares non ſint, ſi vero nimium deficiat ob ſpirituum inopiam motrices fibræ ita langueſcant, ut fluidorum motus ferme ſiſtatur, perſpicuum eſt, ſi prædicta proportio per ſuperflui ſanguinis evacuationem in feminis menſtruantibus ſervetur, earum quoque ſanitatem ſe bene habituram, ut Galenus ſupra laudatus adverſus Eraſiſtratum ſcribens teſtatus eſt, inquiens: *Nonne natura ipſa Mulieres cunctas evacuat ſanguine ſuperfluo ſingulis Menſibus foras effuſo? quippe muliebre genus, quod domi ageret, neque vehementibus laboribus exerceretur, neque ſub claro ſole viveret, & propterea quamplurimos humores coacervaret, oportebat, opinor evacuationem hujuſce plenitudinis, tamquam remedium a natura datum accipere:* atque alibi a nobis eſt demonſtratum (c). Ea vero ex adverſo ſublata & plenitudine ob ſuppreſſam evacuationem inducta liberum ſanguinis circulum impediri contingit, cordis vaſorumque contractionem infringi, atque hinc humorum ſtagnationes, congeſtiones, viſcerumque obſtructiones ſubſequi, atque contumaciſſimos morbos pro differentia partium differen-

(c) *Aph. lib. 4. cap. 6. com. 3.*

ferentes oriri, ut Jo. Lanoius (*d*) de puellis menſtruam purgationem ſe- rius, quam par eſt patientibus præclare oſtendit, atque Hoffmannus omni- bus etiam provectioris ætatis feminis accidere teſtatur, quotieſcumque men- ſium fluxus quacumque ex cauſa ſufflaminatur, & ſanguis, qui per uterum excerni debebat, aut in capite ſtagnat, & graves dolores, vertigines, deli- ria, & interdum apoplexias concitat, aut in præcordiis, & aſthma, tuſſim, ſanguinis ſputum, ſyncopem parit, aut in ventriculo, & inteſtinis, & vo- mitus cruentos, præcordiorum anxietates, inflationes producit, aut in imi ventris viſceribus, & cachexiam, icterum, ſcorbutum, hyſtericam affectio- nem, aut in aliis & alios morbos procreat, quos non ſolum percenſendo numeravit explicavitque diligentiſſime per ſolam plethoram Freindius, & Hoffmannus ipſe loco citato, ſed de iis omnibus, iiſque medendi methodo ex inſtituto egit in nobili diſſertatione (*De ignorantia uteri ſtructuræ multo- rum in praxi errorum fonte*) quibus quemadmodum iterum recenſendis im- morari non decet, ita brevitatis cauſa alia volentes, ea de induſtria præ- terimus. Quid enim ſi fluant immoderate? Cum nimirum una cum ſangui- ne pars aliqua ſucci nutritii, aut ſaltem proxima ejuſdem materia ſecerna- tur, corpus in tabem, & maraſmum incidere crebris obſervationibus com- pertum eſt, ut Mortonus in nobili ſua pthiſiologia demonſtravit; cum vero conjunctio partium ſanguinis, & ſpirituum auferatur, ita quidem ut ille, modo in unum, modo in alium muſculum confuſe, & inordinate influat, hi vero aut tremorem, & oſcillationem nervorum non excitent, aut mo- tum a rebus ſenſibilibus impreſſum ad Cerebrum deferre non valeant; & motum, & ſenſum depravari, interdum aboleri adeo manifeſtum eſt, ut ex- plicatione minime indigeat. Quid ſi neutrum horum contingat, ſed volati- libus, ſubtilibuſque particulis e maſſa ſanguinea extra corporis confinia edu- ctis, ac ſpiritibus diſſipatis ſolidarum partium, ac præſertim ad chyli ela- borationem perfectionemque concurrentium tonus vel penitus labefactetur, vel plurimum ſaltem langueſcat, ideoque chylus primum, tum ſanguis ſe- roſus aqueuſque generetur, cordis vero ac vaſorum omnium robur, vis, at- que elaterium labefactetur, atque hinc congrua tollatur ſanguinis mixtio, ſeroſæque partes a reliquarum nexu ſecedant, atque per laxatas tunicas tran- ſudent, & in cavitates effundantur? Cachexiam, hydropem, aliaque ejuſ- modi mala exoriri adeo clara res eſt, ut nulla ſit clarior. Hinc rectiſſime ab Hippocrate dictum: (*e*) *Si menſtrua plura fiant accidunt morbi*, *& ſi non fiant ex utero morbi contingunt*; ſapienterque ad eumdem Hippocratem ſcripſit Democritus (*f*): *Huic autem vicina mater puerorum vehemens illud malum infinitarum ærumnarum in muliere cauſa uterus ipſe latitat*.

II. *Defici autem præternaturaliter contingit primo vitio ſanguinis, ſi ni- mia copia peccet cum viſciditate, & lentore conjuncta &c.*] Naturaliter, & præternaturaliter menſes ſupprimi ſolent. Naturaliter ſupprimuntur in convaleſcentibus, in quibus maſſæ ſanguineæ quantitas non ſolum mi- nuitur, ſed ſpirituoſis, ac mobilibus partibus diſſipatis ejus velocitas ad uteri vaſa plane languefcit. Idem dicendum de aliquibus virginibus reli- gioſis, ac longa inedia & jejunio extenuatis, quæ lautioris victus ratione ſunt gubernandæ. Poſt largas quaſcumque humorum evacuationes, & potiſ- ſimum

(d) *Epiſt. med. lib.* 1. 21. (e) *Aph.* 57. *ſec.* 5.
(f) *lib. de natur. human.*

ſimum ſanguinis hæmorrhagias menſes quoque deficiunt. Deficit enim ea ſanguinis copia, qua fluxus promovetur. Hinc duas vel tres periodos poſt partum menſes intermittunt, quia nempe, ut adnotavit Freindius, pene exhauſti ſunt humores & tunc maſſa ſanguinea ſolum reſtat reſtauranda. Idem dicendum de largis ſudoribus, de ulceribus, de fonticulis, quibus non immediate quidem, ſed mediate ſanguinis maſſa imminuitur, & inſuper quædam illius excrementitiæ ſordes expurgantur, quo caſu iis occurrendum. In ſenioribus demum, in gravidis, & lactantibus, ut ſupra animadvertimus ſupprimuntur, & ſatis recte is loqui videatur, qui in omnibus hiſce caſibus ſuppreſſos menſes minime promovendos eſſe affirmet, cum citra ullius noxæ periculum ſupprimuntur. Menſium igitur ſuppreſſio præternaturalis adeſſe dicitur, quando in femina, ut notat Riverius, ætate matura, quæ nec lactat, nec gravida eſt, ſanguinis per uterum evacuatio, quæ naturaliter ſingulis menſibus fieri conſuevit, rarius, aut parcius procedit, aut omnino ſupprimitur. Quoad cauſas vero præternaturalis menſium ſuppreſſionis duplex eſſe videtur, ſanguinis nempe vitium, & vitium vaſorum. Sanguinis vitium quod attinet, non defuere Scriptores magni, & docti, quos inter Riverius, & Etmullerus eminent, qui in quantitate, qualitate, motu conſtituerunt. Quantitate quidem peccare viſum iis fuit aucta vel imminuta. Aucta ſi nimia copia in venis redundet: tunc enim venas nimium diſtendit, ut ſeſe contrahere nequeant ad expulſionem, quemadmodum Iſchuria nonnunquam oritur a nimia, qua veſica diſtenditur, urina. Quæ omnia etſi ſatis probare videantur hanc ſuppreſſionis cauſam non commentitie aſſignatam fuiſſe, attamen non levia ſunt, quæ eidem nos quoque acquieſcere non ſinant. Primo enim qui rem paulo diligentius expenderit, difficillime eo adduci poterit, ut credat id, quod veſicæ contingit ab urina nimium diſtentæ, vaſis uterinis ſanguine turgidis, & valde plenis evenire. Veſica enim membrana ex fibris carneis inſignis roboris varie contexta firmatur, quæ ad cervicem copioſiores muſculum formant ſphincterem dictum ad opportunam ejuſdem conſtrictionem, hinc difficillime perrumpenda. Vaſorum uteri latera non ſolum non muſculoſa, ſed ne muſculis quidem munita, ideoque rupturæ facile obnoxia. Id paulo accuratius penſitanti patere facile poteſt, veſicæ latera etiamſi nimia urina diſtendantur, minime perrumpi poſſe, perrumpi utique debere uterina vaſa a ſuperfluo ſanguine impetu, & velocitate ea decurrente, ut ſuperiore capite oſtendimus, quæ abeſſe omnino in urina ad veſicam delata tam nota res eſt, quam quæ notiſſima. Ea enim ſola vi agit, qua fluida quævis pollent latera ita diſtendendi, ut ea ſe contrahendi virtutem amittant, atque per ipſius orificium urinam foras ejiciendi, non prius denuo acquirendam, quam tunicæ muſculoſæ vis urinæ ponderi præpolleat, aut urina, quæ eamdem infringit cathetere eliciatur. Quibus de cauſis nulla ſententia tot ſectatores mereri viſa eſt, quot ea invenit, qua ſtatutum fuit duce Freindio cauſam ſuppreſſionis huiuſce deberi aut vaſis plus æquo adſtrictis, atque illud fluenti ſanguini impedimentum afferentibus, quo conſiſtere in iiſdem cogatur, & obſtructiones parere, (de quo infra) vel alicui qualitatum cum plethora conjunctæ, e quibus nulla æque ad hanc rem inſtructa videtur, ac viſciditas, & lentor, ut ſupra a nobis eſt demonſtratum. De imminuta quantitate nihil longius dicendum videtur, cum pauco, & imminuto ſanguine in corpore retento ad illius nutritionem, menſes

ſes ſupprimi debere lippis æque, ac tonſoribus notum ſit plus, quam ipſorum digiti, & ungues.

Vel ſi ſola craſſitie, viſciditate & lentore.] Quomodo ſola craſſities, viſciditas, & lentor præternaturalem menſium ſuppreſſionem ciere valeat, facillime innoteſcet, ſi ejuſmodi qualitatum naturam prius explicuero. Craſſos igitur humores eos eſſe cenſendum eſt, qui particulis conſtant majoribus, quam poros, & meatus corporis a natura definitos pervadere poſſint, altiuſque ſe inſinuando extra corpus elabi: lentos & viſcidos, qui repugnantiam ad fluendum ſortiuntur majorem, quam eorum natura requirat. Illi ob niniam partium magnitudinem inepti ad penetrandum peranguſtos meatus, & poros corporum conſtituuntur: hi vero non ob ſolam partium magnitudinem, ſed etiam ob earum ſuperficiem, figuram, denſitatem materiæ, aliaſque ejuſmodi cauſas ad libere fluendum impares. Quibus differentiis accuratiſſime, & per varia experimenta deſcribendis, quia decora ingenia non defuerunt; quæ incredibili contentione, atque improbo labore quæſiverunt, inveneruntque aquam multo lentiorem eſſe aere, meatus tamen corporis aeri impervios pervadere, hydrargyrum & aere, & aqua multo viſcidiorem eſſe, meatus tamen pervadere, quos neque aer, neque aqua ipſa tranſire valet, argumento prope certiſſimo fluida aliis multo fluidiora, ac penetrantiora eſſe poſſe, ſimul tamen viſcidiora, atque denſiora, ideo ſatis erit memorare ſanguinem craſſitie peccantem minimis noſtri corporis vaſis, ac ductibus permeandis idoneum non eſſe, lentore vero ac viſciditate per vaſa etiam majora ſegniter admodum, tardeque moveri, hinc cum ad ſecretiones, excretioneſque cujuſvis generis uberes, & perrenes mediocri fluidorum tenuitate, & æquabili, moderatoque ſanguinis circulo opus ſit, ad ſanguinis vero excretionem per uterum etiam majore ejus velocitate, & impetu ad uterina vaſa, ſanguine nimis craſſo, & viſcido exiſtente priores imminui, hanc vero ſupprimi debere luce clarius apparet.

Vel contra etiamſi fluidus, ac ſolutus, acribus tamen, ac pungentibus particulis imbutus ſit.] Craſſis, viſcidiſque humoribus nimis tenues, fuſi, ac ſoluti contrarii ſunt. Tenues quidem humores eos eſſe nemo ignorat, qui partibus conſtant minoribus, quam anguſtiſſimorum meatuum, ac pororum capacitas requirat, quos citiſſime permeando nec contineri in vaſis poſſunt, nec ſuis fungi muneribus: fuſos vero, qui ad fluendum promptiores ſunt, quam muneris, quo fungi debent, neceſſitas velit. Illi ob partium tenuitatem per anguſtiſſimos poros corporum, ac meatus facillime elabuntur: hi vero non ob ſolam partium tenuitatem, ſed ob earum ſuperficiem, figuram, raritatem materiæ, aliaſque cauſas ad libere fluendum apti conſtituuntur. Quo loco quæri a multis poteſt, utrum ſanguis nimia tenuitate peccans, & fluiditate menſtruo ſanguinis fluxu ſiſtendo, aut ſaltem inſigniter retardando ſit opportunus, an vero eidem vehementer promovendo. Si enim perpendamus ſanguinem nimis tenuem, & fluidum per tunicas vaſorum facile tranſmitti, habemus quæ protenſo veluti digito commonſtrant non ſolum excretiones ſanguinis, ideoque etiam menſtrui ex apertis vaſorum orificiis oriri oportere, ſed etiam in lateralia lymphatica ſeſe inſinuando, altiuſque penetrando inflammationes, abſceſſus, ulcera ſubſequi. Cum vero nimis velocem per vaſa fluere penſitamus, extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur incaleſcere debere, & per inſenſibilem tran-

tranſpirationem exſolvi, hinc eam plethoram facile tolli, a qua menſtrui ſanguinis excretionem repetendam eſſe dictum eſt, ut ſiccitas corporis, macies, phthiſis, aliaque mala, quæ ejuſmodi ſanguinis conſtitutionibus ſuperveniunt abunde ſatis, atque evidenter oſtendunt, quæque alimenti licet in modica quantitate non ſolum ad partes delati, ſed quod appoſitum iiſdem eſt continenter abrepti inditio ſunt manifeſtiſſimo, ſi quod aliud. Quæ licet plurimum veritatis in ſe continere videantur, quid ni tamen liceat aſſerere cum ad ſecretiones, excretioneſque cujuſvis generis, ut paulo ante a nobis dictum eſt, mediocri fluidorum tenuitate, & æquabili, moderatoque ſanguinis circulo opus ſit, illud facile conſequi, ut tenuitate peccante cum ſumma ejus velocitate conjuncta, ſecretiones excretioneſque omnes imminuantur, aut etiam omnino cohibeantur? Quid quod velocius quam par eſt fluente ſanguine, ita teratur, fundaturque, ut tenues, volatiles, ſubtiles, pungenteſque particulæ a reliquarum nexu ſecedant, ſuique juris factæ nerveas vaſorum fibras mordeant, irritent, convellant, eorumque extremitates anguſtiores efficiant, quam ſanguini libera circulatione trajiciendo ſufficiant? Ad probandum autem ulterius rem hancce ita ſe habere, favent potiſſimum obſervationes cum multæ ac frequentes, tum certæ ac conſtantes, quibus compertum eſt, menſes ſæpiſſime ſupprimi in mulieribus aduſti ſtrigoſique corporis, ad iram ſumme proclivibus, verbo dixerim, bilioſi temperamenti, in quibus ea adeſt fibrarum tenſio, robur, ac vis elaſtica vaſorum, ac viſcerum, quibus ſanguis magna velocitate movetur, teritur, funditur, unde ſulphureæ, agiliores, ſubtiliores, acrioreſque partes exaltantur, quæ nerveas fibras mordendo, ac proritando inſignes ubique ſpaſmos, ac convulſiones excitant, atque hinc graviſſimos morbos tolli neſcios, niſi effrænes ſolidorum impetus ſedentur, atque humoribus placida tranquillitas concilietur.

Deinceps vitio vaſorum, ſi obſtruantur a materia craſſa, viſcida & mucoſa, &c.] Cum de febribus] ageremus (g) oſtendimus ſanguinis curſum in hepate ob peculiarem vaſis advehentis ſtructuram, quod vena eſt arteriæ munus gerentis minus promptum, & expeditum eſſe. Hinc ab hoc difficili tranſitu ſanguinis per venam Portæ ad Hepar ſtagnationes, infarctus, alioſque innumeros morbos lentos, & chronicos in viſceribus cum ea vena communicantibus proficiſci: ſanguinem, qui per celluloſam Lienis ſtructuram movetur difficilius progredi, non ſecus ac in omento, & utero ob frequentes vaſorum plexus. Nil ergo facilius contingere poſſe videtur, quam ut lentæ, mucoſæque quiſquiliæ ſanguinem conſpurcantes extrema vaſculorum uteri capillamenta penetrare, ac libere trajicere nequeant, aut in minimis glandularum folliculis ſubſiſtant; aggeranturque, atque hinc eorum obſtructiones excitent, quæ menſtrui ſanguinis excretionem ſingulis Menſibus eo uſque impediant, quo referentur.

Ab acri nimis tenuique convellantur.] Vid. quæ paulo ante de ſanguine plus æquo tenui, & ſoluto dicta ſunt.

Comprimantur a tumore.] Vel ſi in ſolis viſceribus imi ventris utero excepto obſtructiones altas radices egerint, fieri minus poſſe videtur, quin vaſculorum, aut folliculorum tunicæ diſtendantur, diſtentæ vero tumorem efficiant, qui partis magnitudinem augendo uteri ipſius vaſa ea ratione compri-

D

(g) *Lib.* 4. *com.* 4.

primere valet, qua libera ſanguinis excretio præpediatur.

Quid ſi in utero ipſo eadem fere contingant? Pro varia nimirum infarcientis humoris conditione variam tumoris naturam proficiſci ſcirhoſi ſcilicet, cancroſi; quorum ille duritie & renitentia in uteri regione illius circumſcriptionem referente, atque dolore acerbiſſimo, punctorio, & lancinante ſe prodit, alter vero prædicta ſymptomatum ſævitie comitatus ægram exercet, perſpicuum eſt. Si vero obſtructiones uteri vaſorum ſæpius excitant menſium ſuppreſſiones, ſi tumores etiam aliarum partium ad eam magnitudinem adaucti, qua vaſa eadem comprimantur, quanto magis ipſius partis tumores?

Nimia pinguedine.] Inter præcipuas ſterilitatis cauſas adnotante cl. Mauriceau interni uteri orificii anguſtia major, quam peni virili admittendo ſufficiat, aut ejus coarctatio inſignis ob membranam internam aliquam, aut externam ibi appoſitam ob tumorem, callum, aut aliquod aliud uterum ea ratione comprimens, qua ſatis apte dilatari nequeat ad ſemen recipiendum, eminent. Quod poſtremum mulieribus valde pinguibus accidere ratione omenti ad inſignem molem adaucti teſtatus eſt Hippocrates (*h*) inquiens: *Quæ præter naturam craſſæ non concipiunt, iis os uteri ab omento comprimitur, & priuſquam extenuentur, non concipiunt.* Quid igitur vetat, quominus exiſtimemus ab hac eadem cauſa capillaribus uteri vaſis compreſſis, etiam ſi congeſta ſit in feminis major ſanguinis copia, quam vaſorum capacitas poſtulet, in iis tamquam commodo ipſi diverticulo nequaquam colligi poſſe, accumulari, atque ea ratione eodem replere, atque infarcire, qua eorum extremitates diſtentæ aperiantur tandem, & ſanguinem effundant?

Si coaleſcant, ſi plus æquo craſſa, & compacta ſint &c.] Idem dicendum ſi vaſa coaleſcant (quod deterrimum morbi genus conſtituit) ut dilatari non poſſint, quemadmodum opus eſt ad ſuperfluum ſanguinem recipiendum, nedum certo, ſtatoque tempore aperiri. Quid ſi plus æquo craſſa, & compacta ſint, vel laxitate peccent? Cum nimirum vaſa, ac viſcera adeo denſa, & dura ſint, ut a fluido, quod in iis continetur, parum, aut nihil contrahantur, aut ſint adeo mollia, ut dilatata ab eodem fluido ſe contrahere non valeant, in utroque caſu vaſa ſanguinem ciere eo motu non poſſunt, per quem ſanguis per arterias ad uteri vaſcula deferatur, eaque aperiat pro opportuna menſium effuſione.

III. *His porro occaſionem præbent aer valde frigidus ſuſceptus &c.*] Uti aere æſtuante, & calido, minuſque gravi, & elaſtico non ſolum fibras relaxari contingit, atque per minutiores ſanguiferorum truncos lentius ſanguinem progredi, atque propterea iis magis diſtentis per laterales ramulos humores difficilius ſecerni, ſuiſque ex loculis exprimi, ſed expandi eos quoque, turgere, ac ſi nimius fuerit, vehementius agitari, ita ſi moderate frigidus ſit, noſtri corporis fibras mirifice intendit, & roborat, hinc robuſtius idem evadere, actioneſque omnes vegetiores fieri experimur. Cum vero omnis fibrarum vis, omniſque actio in fluida exerceatur, circularem, & inteſtinum eorum motum moderando, ſecretioneſque item, excretioneſque promovendo, aut retardando, illud plane conſequitur, ut moderate frigido exiſtente aere, ſolidaſque partes intendente, ac roborante, ſanguinis circuitus per pulmones, & reliqua viſcera expeditior, atque celerior fiat, ſecretioneſque omnes,

(h) *ſect. 6. 46.*

mnes, atque excretiones etiam ſanguinis ex utero felicius peragantur. Si ergo immodicum frigus fuerit, nimiam fibrarum tenſionem oriri, arctius vaſa conſtringi, & rigeſcere neceſſe eſt, & ſanguinem, humoreſque denſiores fieri tardioreſque ad motum, unde facilior eſt eorum in vaſis ſtagnatio, atque inde conſequens minor vis, atque impetus in eorum extremitates, ut aperiantur, diſſiliant, & cruorem effundant. Non alias ob cauſas paucitatem, ſuppreſſionemque menſium aeri frigido Hippocratem tribuiſſe facile judicaverim, quam & in ſeptemtrionalibus popularem eſſe tradidit. (*i*)

Immerſiones corporis in aqua frigida, aquæ frigidæ copioſæ potio.] Neque ad alias cauſas referri aptius poſſe videtur ſuppreſſio menſium, quæ immerſioni in aqua frigida, vel aquæ frigidæ potioni ſupervenit. Licet enim a frigida aqua externis corporis partibus, utero illæſo, infeſta, atque cutis poros obſtruente inſenſibilis perſpiratio cohibeatur, atque hinc major humorum copia per uterum excernenda ſuppeti debere videatur, difficillimum tamen eſt (ne vix ulla ratione fieri poſſe dicam) ut unius partis obrigeſcentibus fibris, aliæ quoque licet longe diſſitæ ſimili vitio non afficiantur, & ſi per rigeſcentes poros cutis nonnullarum ſordium maſſam ſanguinis conſpurcantium evacuatio impeditur, eadem ratione uteri vaſis conſtrictis menſtrui ſanguinis excretio non præpediatur. An novum videatur immerſione pedum in aqua tepida emollientibus plantis alterata, relaxatiſque inferiorum partium fibris, ac vaſis majorem capacitatem adeptis ſanguinem ad eas vehementius allici, atque hinc menſium ſuppreſſiones ab dictis fontibus prodeuntes feliciſſime profligari? Quid quod & a capite, aliiſque ſuperioribus partibus iiſdem de cauſis avocato ſanguine, ac nimia fibrarum tenſione ceſſante, quamplurimi capitis morbi, deliria, convulſiones, aliique ægros dire exercentes præcaveantur? Obrigeſcentibus vero vi frigoris externis partibus uteri, vaſa ea ratione intacta manere, ut copioſior habeatur ſanguinis menſtrui evacuatio haud equidem tutum crediderim pronuntiare. De noxis copioſæ aquæ frigidæ vix ulla ſuppetunt quæ dicam, cum eadem fauces, guttur, ventriculum, inteſtina, vicinaſque partes affici, atque minimas capillares arterias eaſdem partes perreptantes convelli, anguſtioreſque fieri, quam ſanguini utcumque couſtituto rapida circulatione trajiciendo ſufficiant, atque hinc faucium, aliarumque partium inflammationes, alioſque graviſſimos morbos ſubſequi alibi oſtendimus (*k*). Iliacæ paſſiones, cardialgiæ, dyſenteriæ cum torminibus ii fere ſunt morbi, quos æſtuante præſertim corpore aqua frigida ingurgitata adnotarunt viri clariſſimi Rhodius, Bonettus aliique in M. N. C. ut mortem ipſam a' Boyleo, & Foreſto commemoratam ſileam non ad alias cauſas, quam ad ſpaſmum, & conſtrictionem vaſorum tantam, ut non ſolum per ea libere ſatis moveatur ſanguis, ſed ipſius motus, in quo vita conſiſtit plane ſiſtatur, referendam. Quid igitur mirum, ſi a potione copioſæ aquæ frigidæ uteri ipſius vaſa ea ratione conſtringi dicamus, ut ſanguini menſtruo exitus denegetur, unde lentor poſtea, ac viſciditas ipſius ſanguinis proficiſcitur, qua ſuppreſſio menſium excitatur, ut Hippocrates teſtatus eſt (*l*).

E contra aer cloacarum, & paludum effluviis infectus, humidus, ſi ſicciori præſertim aſſuetæ ſint &c.] Nemo ignorat optimum eſſe aerem ad valetudinem

D 2 con-

(i) *De aere* 48. (k) *lib.* 2. *cap.* 1. *com.* 3. *lib.* 3. *cap.* 4. *com.* 2.
(l) *De aq.* 5. 7.

conſervandam, qui purus eſt, & in omnibus ſuis qualitatibus temperatus. Purum autem eſſe, ſi nec ſtagnorum, nec paludum, nec mineralium pravis qualitatibus infectus ſit, neque ex cloacis, neque ex alliorum, aut legumi- num putredine, aut fimo vitium contraxerit, manifeſta res eſt. Quibus pro ſingulari in homines providentia permotus D. O. M. (*m*) omnia ea quæ labe quadam forte aerem inficere poſſunt ceu impura, ac vitio aliquo coinquina- ta profcripſit, eorumque uſum interdixit. Quo etiam ſpectant quæ de in- ſpectione Sacerdotali leproſorum (*n*) proponuntur. Hæc enim ob metum, ne ex pravis halitibus, qui ex corporibus eorum, qui lepra premuntur ve- luti a magna humorum corruptione prodeunte aer infectus ſimili vitio vici- nos afficeret a cętu hominum ſeparatus fuit. Ut autem feminis menſtruanti- bus ſit maxime infeſtus aer prædictis qualitatibus inſtructus facit non ſolum ſalinarum, acidarum, acrium, atque erodentium particularum copia, qua- rum illis ſolidæ partes adſtringuntur, & coagulatio fluidis conciliatur, aliis e contra ſolidæ partes vellicantur, aut roduntur, fluidæ vero acriores fiunt, attenuantur plus quam par eſt, & diſſolvuntur, & a quibus menſium ſup- preſſio oriri poteſt, aut immodicum eorum profluvium, ſed minor ejus e- laſticitas, & gravitas, qua ſolidas partes relaxari contingit, & infirmiores reddi, atque hinc ſanguinis circuitum per pulmones, & reliquas partes, præſertim vero per minutiores ſanguiferorum truncos lentius procedere, ſed humores ipſos, & ſanguinem denſiorem fieri, tardioremque ad motum, unde facilis eorum in vaſis ſtagnatio, congeſtio, atque inde conſequens menſtruorum defectus. Quod eo magis evenire cenſendum eſt, ſi Cęlum mu- tarint mulieres, atque ab aere ſicciori, tenuiorique C. M. fere eſt ille, qui in locis montanis a ventis perflatur, ad humidiorem ſe craſſioremque con- tulerint, quique cloacarum, & paludum effluviis inficitur. Dici enim vix poteſt in aeris delectu quantum proficiat non ſolum temperamenti, & mor- borum cognitio, ſed ipſius conſuetudinis. Hinc quemadmodum frigidiores, humidioreſque temperamento in aere ſicco, & tenui ſalubriter vivunt, qui calidis, & ſiccis infeſtus eſt, & ſiccitas, ac tenuitas aeris quibuſdam mor- bis eſt ſalutaris, quibus nocet ſummopere ejus craſſities, atque humiditas, ita qui in ſicciori, tenuiorique commode vixerunt, ſi ad craſſiorem denſio- remque tranſierint non parum læduntur. Clara hæc detrimenta fecit No- ſtalgia morbus Helvetiorum maxime proprius, per quem longe a patria profecti redeundi in patriam deſiderio fere incredibili tenentur, & niſi fa- cultas detur mœrore primum capiuntur ſummo, & perpetuo, ad hunc ac- cedunt ſomni interrupti, vigiliæ, virium proſtratio, innappetentia, nau- ſea, mox febres, quibus facile cotabeſcunt. De eo quidem, ut alibi dictum eſt (*o*) latino ſermone ad Academiam Bononienſem ſcripſit Jo. Jacob. Scheuchzerus, atque ejuſce morbi cauſam ad aeris preſſionem, & tempe- riem, qua ſit, ut perturbetur fibrarum corporis, indeque fluidorum mo- tus, unde animi, & corporis ægritudo, aptiſſime retulit.

Ciborum acidorum, craſſorum, viſcidorumque abuſus.] Optima ac temperata alimenta ea communiter reputantur, quorum principia eadem ſunt, quæ ſanguinis, & chyli, aut parum ab ipſis natura, & mixtionis modo diſcre- pantia. Ejuſmodi ſunt vitulinæ, bovinæ, aliæque ſimiles animantium præ- ſer-

(m) *Levit. XI. v.* 35. (n) *Ibid.* 13. *v.* 8.
(o) *Aph. lib.* 1. *cap.* 6. *com.* 13.

ſertim juniorum carnes, quæ ex partibus oleoſis, & ſubtiliore terræ, & aquæ portione ſcatent, quæ mixta inter ſe, ac temperata gelatinam quamdam ſubtiliſſimam ſanguini analogam conſtituunt, unde facile a ſtomacho ſubigi contingit, bonumque ſanguinem ingenerari. Si quis quærat utrum acida in horum cenſu ſint reponenda, ei ſit pro reſponſo, acida mitiora, & moderate exhibita languentem appetitum excitando, nec non nimium humorum fervorem compeſcendo, eique debitam temperiem, ac denſitatem conciliando in iis præſertim conſtitutionibus, in quibus humores ad fuſionem, & colliquationem ſunt proni, non parum proficere. Ceterum ſi valde acida ſint, & plus quam deceat aſſumantur, humores facile coagulando non parum eſſe infeſta, cum ea humoribus tarditas, atque coagulatio conciliētur, a qua inter ceteros morbos ipſa menſtruorum ſuppreſſio proficiſcitur. Infeſta hac eadem de cauſa ſunt craſſa, ac viſcida c. m. ſunt carnes vetuſtiorum animantium fumo induratæ, ſalitæ, & ſimilia; quibus compactior eſt, & nimis arcta, & rigida partium textura, quæque nonniſi difficulter a ſtomacho teruntur, & ſubiguntur, unde crudus in ſtomacho, viſciduſque chylus elaboratur, qui ſanguinem ingrediens eumdem ſimili vitio inquinat, atque propterea materiam ſpiritibus ejuſdem plane indolis præbens illud tandem omnino efficit, ut ſegnius hiſce ac tardius in fibras influentibus ea ratione imminuatur ſanguinis circulatio, ac vaſa laxentur, ut menſes ſupprimantur.

Exercitationes vehementes, & diuturnæ.] Commoda, quæ ex moderata exercitatione in homines emanant plurima ſunt, atque eximia. Partes enim ſolidas robuſtiores fieri experimur, quemcumque ſanguinis, & ſpirituum motum augeri, hinc virium robur intendi, nutritionem, augmentationem facilius perfici, ſanguinem ab excrementis per emunctoria a natura comparata eductis expurgari, hinc graviſſimos morbos præcaveri. Quod Eccleſiaſticus docere viſus eſt inquiens (*p*) *In omnibus operibus tuis eſto promptus, & ulla infirmitas non obveniet tibi*. Unde Paulus iis qui exercere ſe nolunt, ciborum uſum diſſuadet inquiens: *Quod ſi quis non velit operari, neque comedito*. Si vero de magnis laboribus, atque exercitationibus ſermo ſit, quamvis muſculis ſeſe nimis frequenter, & fortiter contrahentibus & relaxantibus ſanguis exagitari, & fundi videatur, atque hinc menſium profluvium promoveri, ſi tamen eæ vehementes ſint, ac diuturnæ, ſpiritus facile diſſipantur, partium robur infringitur, fluidiores, mitioreſque humorum particulæ diſperduntur, ſanguis craſſus, ac lentus evadit ea ratione, qua in capillaribus ſtagnans menſtruorum ſuppreſſionem procreet.

Somnus immodicus.] Moderati ſomni utilitates neque ſatis explicare dicendo poſſumus, neque percenſere numerando. Spiritus enim, & vires reſtaurari contingit, coctiones perfici, humores benigniores fieri, omneſque ægritudines obliviofe deleri, id quod Hippocrates indicavit (*q*) inquiens: *Labor articulis, & carnibus, cibus vero, & ſomnus viſceribus*, atque Eccleſiaſticus ipſe (*r*) *Dulcis eſt ſomnus illius, qui ſervit*: quibus verbis ſi peritiſſimum morum Magiſtrum Syracidem conſulamus, ſignificatur potiſſimum ſomnum iis præſertim, quorum vires diuturnis, aſſiduiſque laboribus ſummopere fatigatæ ſunt dulcem eſſe, ideſt vires corporis mirifice recreantem. Ab immodico

(p) *Cap.* 31. *v.* 25. (q) *In Epid.*
(r) *Cap.* 5. *v.* 12.

dico ſomno torpidi, & minus expediti ad motus ſpiritus evadunt, ut ſegnities, & torpor corporis, mentis ſtupor, & memoriæ læſio clare evincunt, humores torpeſcunt, & magna excrementorum copia in univerſo corpore accumulatur, quibus imminuto ſanguinis motu, & oborta viſciditate, atque lentore, menſes ſupprimuntur.

Subitus timor, mœror animi, triſtitia &c.] Cum inſignis ſit animi vis ad ſpirituum animalium motum, atque influxum in nervos, & ad omnes, quę inde in univerſo corpore conſequuntur actiones firmandas, nihil eſſe opportunius ad efficiendum, ut functiones omnes corporis peragantur, animi tranquillitate perſpicuum eſt. Hinc egregie ſapientiſſimus Salomon (*ſ*) *Animus lætus bene afficit vultum*: & alibi (*t*): *Læti animo ſunt convivium juge*, perinde ac ſi diceret, qui læto ſunt animo melius ſe habere, quam ſi lautiſſimis epulis fruerentur: unde Eccleſiaſticus ipſe: *Lætitia cordis eſt vita ipſa hominis, & exultatio producit dies vitæ*. Mirum autem ſubito animi terrore non ſolum ſic diſſipari ſpiritus, ut cor viribus deſtitutum ſanguinem ſegniter admodum, lenteque moveat, atque hinc quamplurimos morbos ab imminuto ſanguinis motu, atque impetu prodeuntes progignat, cujuſmodi fere eſt menſium ſuppreſſio, de qua loquimur, ſed cęco furore hac illac ruentes convulſionem fibrarum cerebri ea ratione excitare, ut ductus, ac meatus ſecretioni, ac derivationi ſpirituum comparati occludantur, unde Apoplexia, & mors, ut præclaris obſervationibus ducti Aretæi, Galeni, Bonetti, Fidelis, Plinii, Raygeri, Valerii Maximi & Sacrarum litterarum alibi a nobis eſt demonſtratum. Vis ſpirituum ſecretionem, & ſanguinis motum retardandi maxime elucet in triſtitia, ac mœrore, unde partes debito eorumdem influxu deſtitutæ langueſcunt, circulatio ſanguinis pervertitur, atque hinc menſium ſuppreſſio inter innumeros alios morbos ab hoc fonte prodeuntes, oboritur. Hinc apte Hippocrates: (*u*) *Si timor, ac mœſtitia diutius perſeverent, melancholiam adeſſe* pronuntiat, in qua pulſus rarus, & facies pallida obſervatur, imminuti ſanguinis motus, ejuſque impetus inditio manifeſtiſſimo, ſi quod aliud. Hinc fateor me juſtis laudibus æquare non valere, quod adverſus animi męrorem triſtitiamque tradidit Salomon (*x*). Dolore animi ſpiritus frangitur. *Sicut tinea veſtimento, ita triſtitia nocet cordi*: ut illud ſilentio prætercam, quod in eamdem rem tradidit Syracides: *Ne tradas triſtitiæ animum tuum, neque angas te ipſum conſilio*: *Dilige animum tuum, & conſolare cor tuum, triſtitiamque procul a te pelle*.

Evacuationes quæcumque ſanguinis, & humorum.] Vid. cap. 2. com. 1.

IV. *Suppreſſis præternaturaliter menſibus floridus faciei color pallidus, & fœdus evadit &c.*] Sabella Romana, ut ex Martiali liquet a ſole cavebat diligentiſſime propter ceruſam, qua ſibi vultum pingere ſolebat; Fabulla autem a pluvia, propterea quod emplaſtro veluti quodam faciem oblinire; Poppea demum quamdam oleoſi fuci ſpeciem invenit, quod ejus vultum cooperiret perfectiſſime, cruſtaque obduceret tandiu duratura, quamdiu lacte, quod eam paulatim avelleret ablueretur, mirabili prorſus candore relicto, unde ubique vel in ipſo exilio inſignem aſellarum cętum ſecum advehendum curabat, eoque nobili comitatu, inquit Juvenalis, vel ſubter polum

(ſ) *Proverb. cap.* 15. *v.* 13. (t) *Ibid. ver.* 15.
(u) *Aph.* 6. 23. (x) *Cap.* 13. *&* 15.
(y) *Cap.* 30. *pſal*. 21.

lum Iperboreum videri facile ambiiſſet. Niſi igitur cum iis feminis res ſit, quæ eo nervos induſtriæ omnes intendunt, ut pulchritudine excellant, etiamſi aut naturæ defectu, aut morbi vi parum ſpectabiles ſint, Romanas illas peſſimo conſilio imitantibus, pallidus, & fędus faciei color, ſubflavus ſcilicet, ſubviridis, aut alio modo depravatus raro fallit in diagnoſi præternaturalis menſium ſuppreſſionis, in virginibus præſertim, quæ nondum eoſdem expertæ ſunt, aut inordinate, & parcius quam par eſt patiuntur. Id ubi contigerit Chloroſis emergit, ſeu ut aliis placet morbus virgineus, & febris alba, de qua maxime egit Hippocrates (*a*) nihilque aliud eſſe videtur, quam cachexiæ ſpecies, iiſdem fere, quibus cachexia ſignis ſe prodens (qua de re erit infra dicendi locus) atque pro cauſa potiſſimum agnoſcens inſignem viſcidorum, lentorumque humorum copiam a præpedito libero ſanguinis per vaſa primum uteri, mox univerſi corporis excurſu, quo omne ſecretionum, atque excretionum opus labefactari penitus contingit, aut plurimum ſaltem imminui: hinc variæ indolis ſordes excrementitias extra corporis confinia ſecundum naturæ leges ejiciendas intus retentas ſanguinem, ſerum, ac ſuccum nutritium inficere, unde pallidus, ſubviridis, aut flaveſcens color cum nutritionis depravatione.

De doloribus vagis queruntur Mulieres, de pulſationibus in regione uteri &c.] Non poſſunt autem ſubſiſtere menſes quin ob impeditum liberum ſanguinis excurſum uteri vaſa plus æquo diſtendantur, atque hinc tremor nervearum fibrarum, quibus eadem contexta ſunt vehementior excitetur, atque inde conſequens triſtis ſenſatio, ac dolor in regione uteri ſubſequatur, qui pulſativus plerunque eſt, quia videlicet vaſa majoris capacitatis, ac diametri in violenta diſtenſione diu manere non poſſunt, quin eam ægre ferentia contrahantur, impediantque ne ſanguis per vaſa minima fluat, unde nitens ille quaquaverſus arterias validius urgeat, ſicque pulſatio percipiatur. Quod autem primis ſolum temporibus id contingat facit ſanguinis redundantia, qui nondum vitium contraxit lentoris, ac viſciditatis, atque inde conſequens validior ejus in latera vaſorum impulſus. Viſcido lentoque evadente ſanguine, licet ejus copia eadem permaneat, aut parcius ſeparari ſpiritus perſpicuum eſt, aut non ejus energiæ, ut a cerebro per nervos in affectas partes influentes eas valeant motiones ſolidarum partium inducere, quibus ſanguis majore vi, atque impetu in tunicas nitatur, ſed languidas ſolum, ac debiles, unde temporis ſucceſſu pulſationes evaneſcunt.

De tumore qui minime durus, nec valde extenſus eſt.] Turgidis ſanguine vaſis fieri minus poteſt, quin uterus diſtendatur, atque intumeſcat, unde tumor in Abdomine apparet, qui quoniam a reſtitante ſanguine ortum traducit, nec valde durus, nec valde extenſus eſt, niſi ſanguinis particulæ langueſcente earum circuitu tenacius inter ſe cohæreant, & vaſculorum, aut folliculorum tunicas ita diſtendant, ut tumorem aut ſcirhoſum, aut cancroſum procreent, quem duritie, & renitentia in uteri regione illius circumſcriptionem referente dignoſci ſupra animadvertimus. Quod autem inferiorum partium tumores ſubſequantur in cauſa eſt potiſſimum difficilior, & tardior ab his ſanguinis ad cor recurſus, minor ad humores illuc delatos diſcutiendos, impellendos cordis, & arteriarum vis, unde hærere facile coguntur, hinc tumores.

De

(*a*) *Lib. de virg. morb.*

De reſpiratione anhelofa præſertim in ſcalarum aſſenſu cordis palpitatione .] Reſtitante jam ſanguine in uteri vaſis , atque in dies ſingulos tota maſſa lenteſcente , in ipſis capillaribus pulmonum vaſis hærere eumdem facile contingit, aut ſerius quam par eſt moveri , hinc veſiculis bronchialibus ea ratione compreſſis , qua aer ingredi libere , & expelli nequeat difficilem , & anhelofam reſpirationem , præſertim in ſcalarum aſcenſu exoriri . Diaphragma enim ſurſum intra thoracem protruditur , atque pectoris cavitas in anguſtius ſpatium redigitur, unde pulmones ægre admodum , nec quantum ſatis ad aerem facile recipiendum , emittendumque expanduntur , unde reſpirationis difficultas . Fit hinc , ut ſanguinis circulatio perturbetur , cumque parcius e. g. ab auricula in ſinum cordis infundatur , deficiente ejuſdem ſanguinis adverſus cordis impetum reſiſtentia major ille fit , & pectus magis urgeat , unde cordis palpitatio .

De laſſitudine totius corporis , de mærore , triſtitia .] Lenteſcente ſanguine , & ſegnius quam par eſt circulum ſuum per univerſa vaſa corporis conficiente , ea non ſolum mirum in modum diſtendantur neceſſe eſt , atque membranæ , quibus eadem contexta ſunt , diſtrahantur , doloriſque ſenſus excitetur univerſum corpus exercens , ſed cum parcior fiat ſpirituum in Cerebro ſecretio , & per nerveos ductus in partes omnes influxus , in omnibus actionibus tarditas inſignis , & difficultas oboritur , graveſque , melancholicæ , & meditabundæ evadunt Mulieres.

Caloris , & frigoris viciſſitudines .] Aptius ne , quam ad toties inculcatum lentorem retuleris , qui quandoque a vi cordis , & arteriarum reſolvitur reficiturque eo prorſus modo , quo intermittentes febres oriri alibi a nobis eſt demonſtratum . (*b*) Immo ſi Freindium audimus hæc ipſa caloris , & frigoris viciſſitudo nihil aliud eſſe videtur , quam febricula gradu licet multo remiſſiore , intermittens , ſanguinis in iis , quibus ſupprimuntur menſes argumentum prope certiſſimum : unde in tertiis menſibus ſi mulieri non prodierint , febrem erraticam , & horrorem accedere ſcribit Hippocrates (*c*) ac quartanam ſubſequi teſtatur Foreſtus (*d*).

V. *Præternaturalis menſium ſuppreſſio a graviditate probe eſt diſtinguenda : in hac enim & color plerunque naturalis &c.*] Deficientes menſes ex relatione ęgrotantium tutiſſime innoteſcunt , niſi res forte ſit cum callidis Mulieribus , quæ ſui criminis conſciæ Medicos decipere nituntur oppillatas eſſe haud dubie affirmantes , in eam ſpem adductæ remediis aperientibus , & Menſes revocantibus pertractatas facile immaturum fętum edituras , ſicque intactas virgines judicari , cum adeo impudicæ fuerint , ut viros fere ad coitum invitarint . Quapropter præternaturalis menſium ſuppreſſio a graviditate probe eſt diſtinguenda . Quæ res licet ardua , ac difficilis ſit , cum omnia fere ſymptomata , quæ præternaturalem menſium ſuppreſſionem comitantur , & in gravidis obſerventur , nec prorſus deſint obſervationes de virginibus lac in mammis habentibus , ſtudioſo tamen , ac circumſpecto Medico abeſſe non poteſt , quo tuto veniat in cognitionem erroris , atque de illibato candore judicium ferat . Si enim in præternaturali menſium ſuppreſſione color corporis ad cachexiam vergit , in gravidis ſolet eſſe naturalis , cum ſanguis in nutrimentum fętus abſumptus eam plenitudinem minime inducat , qua ipſius circui-

tus

(b) *Lib.* 4. *de feb.* (c) *De Mul. morb.* 14.
(d) 3. 34.

tus perturbetur, ac lentæ pravæque ſordes cumulentur ſanguinem ipſum, ſerum, & ſuccum nutritium inficientes, ſpirituum vero ſecretio præpedia-tur, aut plurimum ſaltem langueſcat, unde etiam ad actiones promptitu-do, & hilaritas eadem ſervatur. Si vero forte contingat, ut aliqua ſit ſu-perflui ſanguinis copia, cum totus primis ſaltem menſibus abſumi non poſ-ſit, quæ vaſa plus æquo diſtendens, aut nerveas eorum fibras varia ratione afficiens, & cæteras humorum ſecretiones aliquatenus lædens, unde ſuccus præſertim digeſtivus nimis craſſus, acris, aut ſalſus evadit, nonnulla excitet ſymptomata, ut nauſeam, vomitum, malaciam, picam, aliaque ejuſmodi, eo facile res cedit, ut fetu grandiore jam facto, ac multo plus ſanguinis ab-ſumente, omnis diſtenſio, irritatio, morſus, aut alia ſimilis affectio tolla-tur, ſecretiones reliquæ, excretioneſque reſtaurentur, ſicque omne id quod gravidis oneri eſt, atque moleſtiæ penitus evaneſcat.

Dum interim & venter æqualiter attollitur, & in maximum durum tumorem elevatur &c.] Mulieris graviditas ſi proprie ſumatur adnotante cl. Mauri-ceau, nil aliud eſſe videtur, quam tumor a fetu in utero contento excita-tus. Tumor in conceptus primordiis ne vel lynceo quidem oculo apparere poteſt, cum id quod utero continetur adeo mole exiguum ſit, ut pro nihi-lo haberi jure merito poſſit. Id quod etiam puellis, quibus menſtrua defi-ciunt commune eſt: hoc tamen diſcrimine, quod augeſcens in dies ſingulos in hiſce mollis eſt, nec valde extenſus, in gravidis vero quoniam a fetu dependet carne, & oſſibus conſtante durus percipitur, & habita ratione tem-poris maximus evadit. Ad probandum autem ulterius rem ita ſe habere, nemo a nobis merito poſtulaverit, ut pronuntiemus, quid debeatur infantis motui, & ſitui. Cum enim ſenſibiliter, admota ad ventrem manu, perci-piatur, dubitationem graviditatis omnem tollere manifeſta res eſt. Vel enim totus moveatur infans, univerſo ſcilicet corpore, vel aliqua ſui parte, ca-pite nimirum, brachio, pede, is motus percipitur, qui in obſtructis ob men-ſtruorum defectum adeſſe non poteſt. Licet enim inter initia valde exiguus ſit, & ei ferme ſimilis, quem paſſeres edunt, dum exitum ſibi ex teſtis o-vorum parant, in dies tamen ſingulos ſic augetur, ut fœtu magnitudinem adepto, uterus ab ipſius pondere liberari cogatur, ut partus tempore acci-dere ſolet.

Et os uteri peritæ obſtetrici clauſum apparet.] Uti cæteris graviditatis ſi-gnis tantum fidendum, quantum par eſt, ita interno uteri orificio perfectiſ-ſime clauſo tantum tribuit cl. Mauriceau, ut ſi quid veroſimilis in contro-verſiis de notis graviditatis ſperandum, ab hoc uno ſperari jure merito poſ-ſe haud dubie affirmarit. Quo loco quæſtio occurrit. Si enim Spigelium au-dimus, uterum in gravidis hiare confidenter ſcribit, tantoque magis, quan-to partui ſunt viciniores. Atque ſuam quidem opinionem Hippocratis au-ctoritate confirmat dicentis: (e) *Quæ utero gerunt, iis os uteri connivet.* Idem fere ſentit cl. Graafius hiare docens, quatenus primis geſtationis men-ſibus eamdem apertionem ſervat, claudi vero quatenus ab humore mucoſo ſenſim a cervicis veſiculis quaſi rotundis, aut ovalibus diverſæ magnitudinis extillante, ut præſtantiſſimi Morgagnii obſervationibus compertum eſt (f) Alii e contra, quos præcl. Auctor ſequutus eſt ab illis diſſentiunt, atque a-liter Hippocratem interpretantes uterum perfectiſſime claudi conſtituunt.

E Cor-

(e) 5. *aph.* 51. (f) *Ad. anat. tab.* 3. & *alibi.*

Cornarius enim (g) aphoriſmum ſic vertit: *Quæcumque uterum geſtant, his oſculum uterorum clauſum eſt*: eamque ſententiam ſuſtinent ejuſdem interpretes accuratiſſimi Galenus, Hollerius, Valeſius, Cardanus, Heurnius, Mercurialis, Tozzi, Huquetus, aliique. Inter anatomicos vero Veſalius (h) Dionis (i) aliique (k) qui de interno uteri orificio verba facientes in gravidis adeo reſtrictum eſſe putarunt, ut vix turunda immitti queat. Quid vero Andream Laurentium commemorem (l), aut Bartholinum (m), aut Derelincurtium (n) alioſque eximios Scriptores, qui ita exacte claudi conſtituerunt, ut vix ac ne vix quidem acui via, adituſque præbeatur? Si ita res habeat licet crediderim durum ventris tumorem, aliaque jam recenſita ſymptomata non parvi facienda in graviditatis diagnoſi conſtituenda, ſi ſimul ſumantur, infantis tamen motum, & os uteri peritæ obſtetrici ita clauſum apparens, ut nulla quidem durities, diſtenſio vero inſignis uteri corporis percipiatur facile principem obtinere locum judicaverim.

VI. *Si Mulierem videris carnoſam, rubicundam, atque opipare viventem &c.*] Animadvertendum eſt etiam, an menſes præternaturaliter ſupprimantur ſanguinis vitio, vel vaſorum culpa, & ſi ſanguinis vitio, an ob plethoram cum viſciditate conjunctam, an ob ſolam craſſitiem, aliaſque pravas qualitates: ſi vero vaſorum culpa, an ob eorum obſtructionem, adſtrictionem, aliaque vitia, in quibus ſumme ſtudioſum, & circumſpectum eſſe Medicum decet, ut ſi aliquando languido corpori apta ſatis medela non ſuccurrit; id non naturæ quidem, quæ ſingulis malis ſingularia oppoſuit antidota, ſed nec hominibus ipſis imputetur, qui omnia exacte non cognoverint. Si igitur carnoſa, rubicunda, atque opipare vivens ſit Mulier; quod ſatis ſuperque eſſe videtur ad eam ſanguini materiem ſuppeditandam, qua ipſius plenitudo excitetur, aut magis increſcat, ſi venis admodum diſtentis donetur, quod turgentiæ inditium eſt, ſi pulſum pleniorem habeat, qui ab inſigni copia ſanguinis e corde per arterias in univerſum corpus diffuſo proficiſcitur, veloci oremque, quod uberiorem ſpirituum ſecretionem arguit a majore ſanguinis quantitate prodeuntem, atque propterea inſignem eorum ad influendum promptitudinem, ad ſanguinis curſum accelerandum, cur ſcrutinio inſudare ad aliam præter nimiam ſanguinis copiam ſuppreſſionis cauſam inquirendam? Sed nonnulli fortaſſe objicient in quacumque menſium ſuppreſſione nimiam ſanguinis copiam eſſe oportere, cum eadem ſit naturalis menſium excretionis cauſa, quæ eo magis augeri videtur, quo diutius eorum ſuppreſſio perſiſtit. Recte illi quidem. Velim tamen diligenter attendant ad ea, quæ ſuperiori capite oſtendimus, plethoram per ſe ſpectatam, niſi accedat ejus craſſities, viſciditas, & lentor; aut vaſorum tenacitas nunquam menſes ſupprimere. Quoniam vero craſſities; viſciditas, & lentor illud eſt ſanguinis vitium, quod ejus motum retardat, ſpirituoſas, volatilioreſque partes ita irretit, ut ad corticales cerebri glandulas delatæ, materiem ſpiritibus agilibus, mobilibus præbere non valeant opportuniſſimam, illud profecto conſequitur, ut nec floridus faciei color appareat, nec pulſus validior adſit, ac frequentior, nec dolor inſignis circa uteri regionem percipiatur, ſed tunc ſolum,

(g) *Pag.* 610. *edit. Baſil.* 1558. (h) *De format. fet.*
(i) *Des parties naturel de la femm.* (k) *Fabricius &c.*
(l) *Obſ. anat. lib.* 2. (m) *Anat.* 4. *renovat. lib.* 1.
(n) *De concept. perioch.* 21.

lum, cum nondum vitiata ſanguinis craſi, vaſorum tenacitas peccat, aut aliquod aliud eorum vitium, quod ſanguinis excretionem prohibet: Quod ſi diuturnius fuerit, cum vaſa ita turgeſcant, ut ſanguini libera circulatione trajiciendo plus æquo diſtracta ineptæ partes conſtituantur, tenaciter inter ſe cohærebunt ejus particulæ, parcioreſque, & minus agiles ac mobiles ſpiritus in Cerebro ſecernentur, unde fibrarum laxitas, lentor, ac viſciditas ſanguinis excitabitur iis ipſis ſymptomatibus impetum datura, quæ ab hoc eodem fonte exoriri infra dicemus.

VII. *Si temperamenti melancholici, aut pituitoſi ſit femina, eaque alvum &c.*] Temperamentum vitia ſanguinis, & humorum plerunque ſequuntur. Cum igitur in temperamento melancholico, ſeu frigido, & ſicco terreſtres, ſalinæ, fixioreſque particulæ excedant, ſanguinis, & humorum motus lentus fit, craſſitudo autem inſignis, atque hinc ſpiritus ſegniores ſeparentur, illud facile conſequitur, ut qui ejuſmodi temperamento ſunt præditi in morbos a viſcido, coactoque ſanguine prodeuntes labantur: neque prorſus diverſos ii, qui pituitoſo, ſeu frigido, & humido donantur; cui illud etiam accedit, ut fibræ laxitate peccent, hinc ſanguinis motus tardior fit, languidior, ac ſpiritus torpidi ſecernantur. Hinc nil mirum feminas, quæ ejuſmodi temperamenta ſortitæ ſunt menſium defectu vitio ſanguinis craſſi, viſcidique plerunque corripi. Arguit id in primis alvus ſtyptica non aliunde, quam ab impedita, aut ſaltem majorem in modum diminuta ſalivæ, & qui a glandulis ventriculi, & inteſtinorum extillat pancreatici, bilioſique ſucci, qui ad alvi lubricitatem commode inſerviunt, ſecretione; arguit id ipſum appetitus proſtratus inertiæ, ac viſciditatis gaſtricorum ſuccorum argumentum prope certiſſimum; id urinæ crudæ, cum ſeroſæ tantum, tenujoreſque partes elabantur, craſſiores fixioreſque remaneant; id in ſomnum proclivitas a viſcidis lentiſque humoribus cerebri glandulas ita infarcientibus, ut ejus pori, ductus, ac meatus ſpiritibus in nervos prompte percolandis, derivandiſque inepta conſtituantur; id conſequenter obtuſus capitis dolor, aliaque ejuſmodi, ut rem ſedulo ad trutinam, ut ajunt, revocanti apparere facile poteſt.

VIII. *Temperamentum calidum, & ſiccum, æſtus inſignis corporis &c.*] Cum in temperamento calido, & ſicco, ſive bilioſo ſulphureæ partes ſint exaltatæ, & copioſæ, ſanguinis, & humorum motus celerior fit, & vehementior, tenuitas vero non parva, atque hinc ſpiritus agiliores, acrioreſque, ſi forte contingat, ut feminæ ejuſmodi temperamento donatæ in menſium ſuppreſſionem incidant, juſtus ſtatim ſubrepit timor, ne acredo ſanguinis, atque fuſio eidem occaſionem dederit. Quæ res clarius apparebit, ſi æſtus inſignis corporis adſit non aliunde, quam a velociore ſanguinis circulatione repetendus, qua tenues, volatileſque particulæ a reliquarum nexu ſolutæ, atque in univerſam maſſam diffuſæ ejus calorem, furoremque intendunt, ſi urinæ ruſæ, & croceæ appareant, prædictarum particularum prædominii, atque agitationis inſignis inditio manifeſtiſſimo, ſi quod aliud; ſi diarrheæ bilioſæ ab iis ipſis, quæ in organis a natura comparatis ſeparantur, & dum ad inteſtina appellunt, tum copia, tum acrimonia eadem ita ſollicitant, ut frequentiori jam facto periſtaltico motu per alvum præcipitentur. Cum id ipſum efficiant in cerebri glandulis, ac membranis, has quidem pungendo acriter, mordendoque, illas vero ne collabantur, & flacce-

ſcant, extimulando, nil mirum & urentes capitis dolores, & vigilias, aliaque ejuſmodi ſymptomata exoriri.

IX. *Sputum ſanguinis, hæmorrhagia narium, hæmorrhoidum perturbatum motum &c.*] Mulieres, quibus menſtruæ purgationes ſuppreſſæ ſunt ſingulis fere menſibus ſputo ſanguinis obnoxias fieri Profperi Alpini, & Hippocratis ducti auctoritate alibi oſtendimus. (o). Sanguinem etiam a menſium regurgitatione ex inſuetis locis critice excerni ultraquamquod & Horſtii, & Schenkii, & Hollerii, & Jo. Khodii obſervationibus inſtructi docuimus ad demonſtrandum ſolliciti hæmorrhagias ab hoc fonte prodeuntes, quia plenitudinem ſanguinis pro cauſa agnoſcunt, qua remota nimiam quoque vaſorum diſtentionem tolli contingit, atque hinc ſanguinis, effuſionem fiſti, periculi expertes eſſe, accedit præterea opinionem hancce aliorum etiam maxime nobilium Medicorum teſtimonio ſuperiori capite ita firmaſſe (p) ut nullus hac de re ambigendi locus videatur. Ubi igitur ſputum ſanguinis, narium hæmorrhagiæ, aliæque ſimiles ſanguinis excretiones in iis deprehendantur, quibus menſtrua deficiunt, quid aliud conjiciendum reſtat, quam ſanguinis motum propter vaſorum uteri impedimenta ad illas partes, ex quibus exit, pronum eſſe magis, atque proclivem.

X. *Suppreſſio Menſium ab externa aliqua cauſa tolli facilius plerumque ſolet &c.*] Menſium ſuppreſſio quacunque ex cauſa naſcatur ſemper periculoſa eſt, atque tam multos graveſque morbos progignere valet, ut ſupra demonſtravimus, ut ſalubre ſit medicorum conſilium ad quaſcumque mulieres quocumque morbo laborantes vocentur de menſium ſtatu eas ſemper interrogare, an ſuppreſſi ſint, an diminuti, an debite fluant, an periodice. Periculi autem magnitudo a cauſis eam facientibus, foventibuſque potiſſimum eſt deſumenda. Quid enim ſi ab externa aliqua cauſa accidentaliter deficiant menſes? Facile eos quidem revocari poſſe ſuadere videtur nulla præcedens ſanguinis dyſcraſia, quæ prius corrigenda, quam ad ſanguinis fluxum promovendum attendatur, nullum uteri, vel vaſorum vitium, quod prius tolendum. Quoniam vero ſolidorum vitia difficilius ſolvuntur, atque in iis ipſis ſolvendis operæ pretium eſt curationem univerſalem inſtituere, præparando ſcilicet, & educendo ab univerſo corpore pravos humores, a quibus eadem proficiſcuntur, aut foventur, hinc eſt, ipſam menſium ſuppreſſionem ab hoc fonte prodeuntem difficiliorem eſſe ea, quæ a fluidorum vitiis enaſcitur. Ad ſolidorum vitia tumores, aliique uteri morbi referuntur. Curationis difficultas in his tractandis augetur, quod fruſtra medici operam conſumunt in ſola adhibenda curatione univerſali, niſi topicis utantur affectis partibus applicandis, quod præterquamquod difficillimum, eſt etiam interdum morbo deterius.

XI. *Ubi noveris nimiam vaſorum plenitudinem cum eorumdem adſtrictione conjunctam fomenta tepida ventri applicentur &c.*]. Uti prognoſis, ita curatio juxta cauſarum varietatem verſanda. Ubi plenitudo nimia ſanguinis cum vaſorum adſtrictione conjuncta ſuppreſſioni occaſionem dederit, id enixe curandum eſt, ut vaſa cum mole ſanguinis iiſdem contenta comparata majorem cum illa rationem habeant, ſive ut plethora particularis tollatur. Plethora enim univerſalis per ſe ſpectata nunquam menſes ſupprimere valet;

(o) *Aph. lib. 2. com. 4.*

let, ut ſupra demonſtratum eſt, ſed tunc ſolum, cum particularis vaſorum uteri accedit, vel ſanguinis depravata qualitas. De hac infra dicemus. Ad eam porro tollendam Hippocrates remedia propoſuit externa fere omnia. Ejuſmodi ſunt balnea, fomenta ex herbis, & floribus emollientibus parata: balnea quidem pedibus commode applicantur, fomenta ventri, eaque tepida, ut fibræ relaxentur: ſicque majus ſanguini ſpatium ad fluendum in vaſis concedatur, quo facile eorum oſcula aperiri contingit, & menſes ſuppreſſos revocari. Idem præſtant frictiones, & humidæ oleo amygdalino manu oblinita coxis adhibitæ, quæ etiam ad revocandum ſanguinem ad inferiores partes commode inferviunt, ubi fibræ tamen, & vaſa prius fuerint relaxata. Neque imparis ſunt efficaciæ clyſteres emollientes, quæ viribus integris craſſis inteſtinis, & adjacenti utero applicantur.

XII. *Si dolores urgeant etiam venæ ſectio primum ex brachio; mox pede &c.*] Phlebotomiam jam nimiæ plenitudinis eſſe remedium Hippocratis, Galeni aliorumque Medicorum ducti auctoritate contra nonnullorum, ac ſpeciatim Helmontii opinionem ita alibi oſtendimus, ut nullus hac de re ambigendi locus videatur. Quæri tamen poteſt utrum ceſſante nimia ſanguinis plenitudine, cauſa etiam menſes efficiens, quam in plethora conſiſtere dictum eſt, ea ratione langueſcat, qua optato fine potiri poſtea non valeamus. Ad quæ ſatis apte is reſpondere poſſe videatur, qui plethoræ alterius particularis meminerit, ſeu vaſorum uteri, quæ plus æquo adſtricta ſunt, & ad ſuperfluum ſanguinem excipiendum, & tranſmittendum inepta, atque hinc affirmarit detracto ſanguine vaſa omnia, ac conſequenter ipſa uterina minus diſtendi, minus diſtenta facilius, ac promptius ſeſe movendo aptas partes conſtitui, atque propterea ſanguini ibidem aggeſto, ac cumulato qua data porta extra corporis confinia per comparata a natura orificia ejiciendo, expellendoque nequaquam impares; etiamſi mora jam facta obſtructionem effecerit, quia videlicet minus impedimenti ante obſtructionem relinquitur; quæ idcirco a fluente ſuperatur, ut in inflammationibus imminentibus, aut etiam factis experimur. Quæ quidem emolumenta in ægras mulieres redundare certo certius habendum, ſi ſuperiorum partium venæ primum ſecentur, mox inferiorum. Qua in re nunquam fere illos audiendos traderem, qui cum Galeno (*p*) audito menſium ſuppreſſionis nomine ſtatim venas tali ſecandas imperant (quos inter eminet Zacutus Luſitanus, & Hieronymus Mercurialis, quorum ille (*q*) in ſuppreſſione menſium cum ſumma plenitudine conjuncta mittendum tantum eſſe ſanguinem ex venis inferioribus acriter ſuſtinet, hic vero (*r*) in nullo unquam caſu ad promovendos menſes venam cubiti ſecandam tradit,) ſed Aetium (*ſ*), & Paulum Ægynetam (*t*), quos præ cæteris tuentur Rodericus a Caſtro (*u*) Lazarus Riverius (*x*) Raymundus Jo. Fortis (*z*) Franciſcus Mauriceau (*a*) Pompeus Saccus (*b*), qui in Mulieribus quæ ob plenitudinem non purgantur copioſe ſanguinem mittere ex cubito, mox ex talo conſueverunt. Quamvis enim vel

(p) *Cur. per V. S. c.* 11. 19. (q) *De Medic. Princip. Hiſt. lib.* 1. *quæſ.* 45.
(r) *De morb. Mulier. lib.* 4. *de vit. Menſ. in defectu.* (ſ) *Tetrab.* 4. *ſect.* 4. *cap.* 57. (t) *De re Medic. lib.* 3. *cap.* 51. (u) *In ſchol. lib.* 1. *p.* 2. *de univerſ. morb. Mulier. medic.* (x) *Prax. Medic. lib.* 15. *cap.* 2. *de ſuppr. Menſ.* & *obſ. cent.* 1. *obſ.* 2. (z) *De Menſ. ſuppreſſione.*
(a) *Delle malattie delle Donne lib.* 3. *cap.* 10. (b) *Lib. de morb. virgin.*

vel ipſe non ægre conceſſerim miſſo e talo ſanguine copioſiorem ſanguinis derivationem in vaſa uterina, quæ a vena cava pariter ac ſaphæna ortum traducunt, ideoque fluido largius influente majorem fieri vaſorum diſtentionem, atque faciliorem viam ſanguini aperiri poſſe, id tamen evenire ſolum, cum nulla, præexiſtente nimia plenitudine univerſali, & particulari ex vaſorum uteri conſtrictione prodeunte, cumque ab externa aliqua cauſa, frigore puta, timore, aliiſque ſimilibus menſes ſubito, atque improviſo ſiſtuntur, raptuſque fit ſanguinis ad ſuperiores partes; facile equidem judicaverim, quia nempe in menſibus fluentibus abeſt ſupradicta uteri plenitudo vias obſtruens, per quas ſanguis fluere debet. Ne autem id ipſius ſententiæ patronis æque concedam in propoſito caſu valde plethoricæ mulieris, quæque doloribus in uteri regione exercetur conſtrictionis vaſorum, aut obſtructionis argumentum prope certiſſimum, id potiſſimum facit, quod ab aperta inferiorum partium vena, uberior ſanguinis copia ad affectam partem, & vaſa plus æquo conſtricta derivatur, unde maxime in iiſdem lenteſcit obſtructiones fovendo, ac confirmando. Neque vero rationibus id abeſt, quod cum obſervationibus cl. virorum minime conſentiat. Celebris eſt illa Riverii (*c*), cujus meminit Etmullerus de quadam illa muliere, cui quoties vena maleoli ſecabatur, menſes deerant, dum vero ex brachii vena ſanguis educeretur, eo largius fluebant. Quid enim ni liceat conjectari mulierem illam adeo plethoricam fuiſſe, ut aucto ſanguinis curſu ad uteri vaſa per inferiorum venarum ſectionem, ea ratione eadem, diſtenderentur, qua eorum obſtructio augeretur? Educto ſanguine e ſuperioribus venis plenitudinem univerſalem, & particularem imminui perſpicuum eſt, hinc uteri vaſis facilius ſeſe contrahentibus, ſanguinem ibidem aggeſtum excerni. Quid ſi fruſtra priore adhibita ſectione altera ſubſequatur, & ſanguis ad inferiora retrahatur præcipue circa tempus, quo prius laborans purgari conſueverat? Menſium fluxum redire manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Hæc fere Freindii ſententia, qui Lindani doctrinam ab Etmullero relatam tempora diſtinguenda docentis, in quibus vena ſecanda ſit, illuſtravit. Si Galenum minori veneratione proſequens id non ſolum præſtandum tradidiſſet, ubi cum plenitudine conjunctus eſt lentor ſanguinis, ſed etiam cum plethora ſolitaria peccat, dubium revera omne, quo ex loco mittendus ſit ſanguis in menſium ſuppreſſione ſuſtuliſſet. Qua in re Jacobi Placentini in Gymnaſio Patavino Profeſſoris præſtantiſſimi ſolertia plurimum enituit, qui Freindium carpens, propterea quod in muliere ſolitaria plethora laborante venas inferiores ſecandas docuit, ceteras quidem arterias corporis a diſtenſione liberatas ſeſe validius contrahentes minori quantitati ſanguinis majorem velocitatem tribuere affirmat, ac ſanguinem majus in illis momentum acquirere; At cum ſectis venis inferioribus nimis magna copia ſanguinis a cæteris arteriis infundatur in arterias uteri, has ita diſtendi, vix ut, ac ne vix quidem movere ſanguinem poſſint pugnaciſſime ſuſtinet (*d*); hinc nec eumdem exprimere, quemadmodum in cæteris vaſis, & emunctoriis contingit, quorum ſecretiones, ubi præter modum diſtenta ſunt, prohiberi, & ſiſti perſpicuum eſt. Cujus quidem ſententia nihil adhuc magnificentius dictum.

Nec

(c) *Cent. i. hiſt.* 2. (d) *Diſſertatio de vena, quæ in morbis particularium partium ſit ſalutarius incidenda pag.* 104. *Pat. edit.* 1756.

Nec non oleum amygdal. dulc. s. i. r. e ad ℥.vi., aut ad ℥ i. quotidie &c.] Nihil catharticis medicamentis eſſe efficacius ad ſuppreſſos menſes revocandos tradiderunt Veteres fere, ac Recentiores Medici, qui Hippocratem docentem (*e*) purgationem neceſſariam eſſe, ſequuti ſunt. Quoniam purgantia vel in materiam excernendam ſolum agunt, quæ in inteſtinis, aut ad ſummum in eorum fiſtulis folliculiſque ad exitum paratior continetur, vel in ipſa inteſtina ea leniter ſtimulando, quorum in cenſu veniunt Mel, Caſſia, Manna, Uvæ corinthiacæ, aliaque ſimilia; vel ipſa inteſtina acrius irritant, eorumque tum periſtalticum motum ad crebriores corrugationes, tum etiam glanduloſos folliculos, pancreaticum, & biliarium ductum ad humores ſuos uberius ſecernendos vehementius ſollicitant, immo in venas lacteas, & inde in ſanguinem invecta ejus craſim immutant ſolvendo fere, ac colliquando, quorum in claſſe numerantur omnia aloetica, aut ex Scammonio, Elaterio, & nonnullis Mercurii præparationibus deſumpta, quæri ſolet, quænam ſpeciatim ſint adhibenda, ut ſuppreſſis Mulieribus apta ſatis medela ſuccurramus. Medentium curioſitatem explevit Freindius omnium actionem ad examen ſedulo revocans, ſtatuenſque mitia purgantia, quæque in primas vias agunt eas ſtimulando, uti ad excreta ibidem aggeſta, & ad exitum parata ejicienda commode inſerviunt, ita ad ſanguinis vitia corrigenda, quibus Menſes ſiſtuntur, ejuſque cum impetum adaugendum, tum compagem attenuandam ea ratione, qua uterina vaſa latius diſtendat parum, aut nihil omnino prodeſſe. Ità longius progreſſus non lenientia, ſed purgantia ſtricte dicta uſurpanda eſſe exiſtimat, etiamſi Mulieres, quibus ſuppreſſa ſunt Menſtrua imbecilles fuerint, quas catharſim ſatis validam ſuſtinere poſſe; præſertim ſi operatione peracta exhibeatur paregoricum, haud dubie affirmat. Fateor me juſtis laudibus æquare non poſſe, quæ de purgantium actione in ſuppreſſione Menſium tradidit præclarus Auctor. Parcat tamen ſi in ſuam non eo ſententiam cum docet, eadem in omnibus nulla habita cauſarum ratione eſſe adhibenda. Quid enim ſi nimia plenitudo peccet cum vaſorum uteri conſtrictione conjuncta, aut acres nimis, ſummeque tenues humores ſint exaltati? Ecquis neſciat purgantia ſtricte dicta partes ſolidas extimulare, extimulatas partes frequenter ſe fortiterque movere, ſanguinem exagitare, fundere, expandere, atque hinc ſuppreſſionis cauſam augere, aut confirmare? Maxima propterea cautione opus eſſe in iis exhibendis traderem, neque iis utendum, niſi in iis caſibus, in quibus magnus viſcidorum humorum apparatus adeſt, ita ut in propoſito caſu nimis plethoricæ Mulieris, & præternaturalis vaſorum uteri conſtrictionis, aut acris ſanguinis dyſcraſiæ ſolum oleum amygd. dulc. aut aliud quodvis mite, ac benignum relaxans, atque acrium humorum ſpiculas obtundens illud ſit evacuantis remedii genus, ut ſi in ſumma dolorum anguſtia ſperandum, id ab hoc uno remedii genere ſperari jure merito poſſit.

XIII. *Ubi e contra ex inanitate ſola nutrientia, atque corpus inſtaurantia adhibenda &c*] Vid. com. in aph. 2.

XIV. *Ubi ſanguis craſſitie peccet, viſciditate, & lentore &c.*], *præmiſſa venæ ſectione ex brachio &c. purgans ex tatar. ſolub. &c.*] A Freindio libentiſſime fuerim, ſi menſes a ſanguinis lentore, & viſciditate ſuppriman-

(e) 5. *aph.* 36. *Nat. Mul.* 20.

mantur, aut vaſorum uteri obſtructione: quo caſu maſſa ſanguinea atte-nuanda, ejus motus accelerandus, primæ viæ probe ab excrementitiis ſordibus expurgandæ, ulteriores ſtagnationes in vaſculis minimis, & cavitatibus prohibendæ, demum fibrarum tonus roborandus. Quas indicationes ut aſſequamur, præterquamquod ſuperiorum venarum ſectio, non inferiorum inſtituenda, ut tradidit laudatus Placentini (*f*), ne craſſamenta ſanguinis in vaſa uteri ſectione venarum inferiorum promota, eo magis obſtruant, & Menſes magis cohibeant, aut ſaltem prius incidendæ venæ ſuperiores, deinde inferiores, ut ſolutis per ſectas ſuperiores venas craſſamentis ſanguinis, viæ eorumdem Menſium aperiantur, purgantia præterea, ut dicitur, per epicraſim commode, utiliterque exhibentur, atque illa quidem ex tartaro ſolubili, Rhabarbaro, Scammonia, aliiſque ſimilibus deſumpta, quæ varia forma exhibita optimam edunt operationem. Rhabarbarum cur cæteris omnibus anteponam ea ratio potiſſimum facit, quod non ſolum excrementitios humores primis viis, hiſque proximis viſceribus inhærentes abſtergit, viamque aliis medicamentis ſternit, ſed nimis laxas uteri, aliorumque viſcerum partes ea ſui parte, quæ roborandi, adſtringendique vim habet ad priſtinum elaterii ſtatum reſtituit, unde quod craſſum eſt attenuari contingit, quod ſubſiſtit dimoveri, atque hac ratione ea præjudicia deleri, quæ Menſes retenti minantur, quique aliis gravioribus affectibus viam parant.

XV. *Sequentibus vero diebus decoctio theiformis ex radic. rub. tinctor. fœniculi &c.*] Notiſſimæ ſunt quinque radices aperientes dictæ Aſparagi, Apii, Fœniculi, Petroſelini, & Ruſci, a quibus parum differre videntur Marrubium alb. Rubia tinctor, & aliæ, quæ diureticarum nomine veniunt, quarum operandi rationem ſi quæras, eam ad ſalis cujuſdem fixioris genus terreis, aut activis principiis plus minus implicitum aptiſſime referas, quo ſanguinis motum accelerari contingit, tartareas, viſcidas, mucoſaſque congeſtiones tenuioribus, ac fluidioribus partibus in arctam nimis, compactamque ſanguinis maſſam invectis diſſolvi, ac pravas, vitioſaſque ſordes per urinæ vias eliminari. Virtus hæc maxime elucet in ſalibus tartareis, præſertim vero illis, qui falſam nacti ſunt naturam: cujuſmodi ſunt ſal ille ſalſus, qui ex capite mortuo aquæ fortis ex nitro, & vitriolo paratæ extractus arcanum duplicatum dicitur, aut alter ille ex ſale tartari, & ſpiritibus vitrioli portione emergens tartarus vitriolatus nuncupatus, aliique ſimiles, terra foliata tartari, tartarus ſolubilis, qui quod humores digerant, atque ad evacuationem diſponant digeſticorum nomine veniunt: a quibus parum differunt, qui ex cineribus quarumdam plantarum combuſtarum per lixivium extrahuntur, cujuſmodi ſunt Artemiſia, Tamariſc. Abſynt. Centaur. min. Agrimon. quique craſſis viſcidiſque ſordibus attenuandis, incidendis, laxatis ſolidarum partium fibris roborandis opportuniſſimi exiſtunt.

XVI. *Tum prædicta infuſio, aut pulveres purgantes repetantur.*] Quod alibi adnotatum eſt (*h*) non poſſe in chronicis morbis totum peccantem humorem una purgantis pharmaci exhibitione educi, præſertim ſi prius rite præparatus non fuerit, aptiſſime cadit in hunc locum. Hinc nil mirum digeſtivorum,

(f) *Loc. cit.* (g) *Vid. lib.* 3. *cap.* 7. *com.* 16., *nec non cap.* 8. *com.* x. *&* 13.
(h) *Lib.* 3. *cap.* x. *com.* 15.

vorum, lixivioſorumque ſalium uſui purgantis uſum eſſe intermiſcendum, ut ſenſim ſenſimque præparati humores avocentur, expellanturque. Quæ purgandi ratio cum in longioribus morbis a craſſo, viſcidoque oriundis commodiſſima ſit æque, ac tutiſſima, & in ſuppreſſione Menſium ab eodem fere fonte prodeunte adhibendam eſſe luce clarius apparet.

XVII. *Hiſce martialia ſuccedant in ſubſtantia quidem aloeticis &c. cachexia vigente &c.*] Præſtantiſſimum remedium pro Menſibus ſuppreſſis revocandis eſt Mars, & omnia ex illo parata medicamenta. Quod non aliunde repetendum eſt, quam ex eo quod abſorbet Mars, & potentiſſime corrigit aciditatem omnem infeſtam, mucoſas quiſquilias atterit, ſolidarum partium fibras ad aſſueta munia apta reddit, coctiones reſtaurat, ſanguinis ac ſpirituum craſim firmat, unde vividius, ac celerius ſeſe contrahentibus ſolidis, aucto circulari ſanguinis motu vaſorum uteri obſtructionem reſerari neceſſe eſt, atque hinc prodeuntem Menſium ſuppreſſionem tolli. Solidarum partium rigiditatem, ac tenſionem augere martialia, vel ex eo maxime apparet, quod poſt illorum uſum vel in iis, qui cachexia laborant pallidus faciei, & totius corporis color in rutilum, & pulſus valde debilis, & languidus in fortem, ac febrilem mutetur; quod animadvertere utile quamprimis, & neceſſarium eſt, cum maxima inde emolumenta, aut graviſſima incommoda in ægras Mulieres emanare queant. Quid enim ſi Martialia exhibeantur cachexia non vigente, ac pulſus languore? Nonne juſtus ſubrepit timor, ne ſolidarum partium fibras, ac membranas plus æquo adſtringendo ineptas aſſuetis muniis partes conſtituant, obſtructiones vaſorum uteri, atque hinc oriundam Menſium ſuppreſſionem augeant, aut confirment? Jam de Martialibus in ſubſtantia exhibendis ſermonem eſſe etiam me tacente facile omnes intelligunt; limatura ſcilicet Martis, Croco Martis aperiente, aut adſtringente, quæ omnia viribus ſuis integris operantur, & plus minus adſtringendi potius, quam roborandi virtute donantur (*i*). Quid ſi aloeticis, gummoſis, crocatis medicamentis uniantur? Aloem nimirum partium valde volatilium tum ſalinarum, tum ſulphurearum copia donari certis experimentis compertum eſt (k). Ab his potiſſimum facultatem pendere pituitam tenacem, ac viſcidam ventriculi parietibus adhærentem incidendi, reſolvendique, ſimulque craſſas, viſcidaſque ſordes, quæ in ventriculo, inteſtinis, inque proximis viſceribus ſtabulantur detergendi, atque hinc ortas obſtructiones, & Menſium ſuppreſſionem tollendi pro certo habendum. Sulphurearum particularum copiam, quæ cum ſalinis ea ratione conjunctæ ſunt, qua opus eſt ad diſcutiendum, attenuandum, abſtergendum, viſcerum imi ventris obſtructiones, uteri præſertim referandas ſortitum eſſe gummi Sagapenum, nec plane diſſimilem Crocum citato loco demonſtratum eſt. Hinc citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur remedium ab hiſce fere, aut ſimilibus rebus deſumptum tantæ eſſe virtutis cachexia vigente, & pulſuum languore, ut ſi quid in pertinaci Menſium ſuppreſſione ſperandum, ab hoc uno ſperari jure merito poſſit.

XVIII. *Levior erit in gracilioribus tinctura Martis tartariz. &c.*] Si forte verendum ſit, ne a Martialibus in ſubſtantia exhibitis addito fibris ſtimulo, commotiſque nimium humoribus, tenuibus præſertim, qui ad motum paratiores ſunt, dolores, tormina, febris excitentur, id quod in graciliori

 ſtru-

(i) *Lib.* 3. *cap.* x. *com.* 18. (k) *Lib.* 2. *cap.* 5. *com.* 14.

ſtructura præditis præſertim contigit, ſubſtitui poſſunt tincturæ ex Marte; ac illæ maxime, quæ conjugio tartareorum eliciuntur (ut illa, quæ tartarizata dicitur,) quæ cum blande adſtringendi, ſeu corroborandi, ſimulque craſſas, viſcidaſque ſordes detergendi virtute donentur, dici vix poteſt, quam tuto inveteratis viſcerum obſtructionibus, atque hinc prodeunti Menſium ſuppreſſioni ſubveniant.

Purgando qualibet octava die pillulis de tribus &c.] Animadvertendum nunquam adhibenda Martialia, ni ſimul purgatio per epicraſim inſtituatur; quoties eadem purgantibus mixta non ſint, quidquid opinetur cl. Sydenhamus; quia non ſolum humores pravi, vitioſique, ac ſordes in primis viis, inque proximis viſceribus inhærentes concoctæ, & præparatæ ſucceſſive educuntur, verum quia periculum eſſet, ut a particulis Martis in corpore retentis induceretur aliqua partium, ac præſertim pulmonum læſio. Id autem facere pillulis de tribus, aut Electuario de hiera cum croco commodiſſimum eſſe ratione aloes præſertim, quæ in compoſitionem recipitur, adeo manifeſtum eſt, ut nihil ſit manifeſtius.

XIX. *Eorum loco ſi hyſtericis ſpaſmis, aut hæmorrhagiis obnoxiæ ſint Mulieres, ſint boli ex ſal. volat. ſuccin. &c.*] Cum prædictas pillulas aloeticas juveni viginti quinque circiter annorum exhibuiſſem hyſtericis ſpaſmis obnoxiæ, & cruento ſputo periodice recurrenti, eo ſcilicet tempore, quo menſtrua antequam deficerent, comparere ſolebant, novi non parum detrimenti offendiſſe. Dolores enim, & ſpaſmi hyſterici increbuerunt, ac ſputum cruentum; cum jam Menſium tempus adeſſet copioſius effluxit; quibus ſane de rebus factum eſt, ut ad ea potius animum, curamque converterem, quæ ceu ſpecifica paſſim ab Auctoribus commendantur, quorum in cenſu veniunt ſuccinum, ſabina, & ſimilia, quibus aliquandiu ante conſuetum purgationis tempus adhibitis de doloribus, & ſpaſmis minus queſtam eſſe animadverti, ſputum cruentum evanuiſſe, ac Menſes ad ſex circiter dies perdurantes rediiſſe, iiſque ſucceſſive poſt aliquod tempus repetitis proxima periodo denuo fluxiſſe Menſes, & juvenem ſanitati reſtitutam fuiſſe. Cum varios hoſce eventus ad examen ſedulo pro ingenii modulo revocarem, memini Aloem valde acutis, penetrantibus, ſcindentibus ſętam eſſe particulis, Sagapenum, Crocum, & ſimilia multis ſulphureis partibus cum ſalinis arte conjunctis conſtare, limaturam ferri vi, atque impetu in membranas agere, earumque rigiditatem ac tenſionem augere; hinc nil mirum in juvene doloribus, & ſpaſmis hyſtericis & ſputo cruento loco Menſium obnoxia omnia recruduiſſe. Cum e contra ſuccini, ſabinæ, ac ſimilium virtutes quærerem, tenuibus quidem plus minus, ſubtilibuſque particulis conſtare deprehendi, ita tamen cum craſſiore inertique portione conjunctis, ut non ſolum debilia pulmonum vaſa ſcindere valeant, membranas proritare, ſanguinem plus æquo exagitare, ac fundere, ſed ea ratione operari, ut craſſis mucoſiſque quiſquiliis uteri vias infarcientibus attenuatis, ſolidiſque partibus in crebriores, validioreſque contractiones adactis, ſpiritibus blanda exoptanda tranquillitate conciliata ſanguinis fluxus ex utero reverteretur, ſicque cruentæ excretionis ex ore occaſio deficeret, hyſterici, & convulſivi morbi ſedarentur. Quod poſtremum ſuccino præſertim debetur, ejuſque ſali volatili, cujus præſtantiam in morbis hyſtericis, & convulſivis qui non cognoſcit, medicinam cognoſcit plane nullam. Ex eo ſale, & ſale

vola-

volatili Corn. Cer. ſpiritu volatili Corn. Cer. ſolutis liquor ille conficitur Cornu Cervi ſuccinatus in Epilepſia infantum tantopere commendatus.

Vel ex ſapon. venet. . . . . . bulb. recent. ar. &c.] Saponacea ratione duplicis principii quo conſtant, ſalini videlicet fixioris, & olei intime uniti in arctam nimis, & compactam humorum texturam facile ſeſe inſinuare, facile etiam cum aquoſis, ſalinis, oleoſiſque eorum partibus commiſceri, inter quas dum fluunt univerſæ quoque ſanguinis maſſæ fluorem conciliant, alibi a nobis demonſtratum eſt. (*l*) Si de bulbo recentis agri ſermo ſit, ecquis neſciat ratione particularum tenujum, & volatilium mucum viſcidum tenaces, lentoſque ſuccos primas vias, ac proxima viſcida, atque uterum infarcientes egregie incidere, attenuare, reſolvere, hinc in menſium ſuppreſſione, atque hyſtericis morbis, qui a ſuccorum lentore dependent feliciter uſurpari, ut cl. Geoffroy luculenter oſtendit. Quod & de artemiſia plane intelligendum, quæ ratione ſalis cujuſdam eſſentialis ammoniacalis non paucis ſulphureis, terreiſque particulis conjuncti uteri ſordes egregie abſtergit, ejus elaterem intendit, adeoque eximii uſus eſt in ſuffocationibus hyſtericis, in partu difficili, in menſium, ac Lochiorum ſuppreſſione. His pares fortitum eſſe vires Centaurium minus, & Juniperi baccas obſervationibus cum multis ac frequentibus, tum certis, ac conſtantibus deprehenſum eſt: illud quidem propter ſalem quemdam lixivioſum acri, craſſoque oleo conjunctum, quo viſcidi humores inciduntur, obſtructiones viſcerum, ac conſequenter uteri referantur, has vero vi oleoi cujuſdam tum tenuis tum craſſi, tum etiam fixi, ut præcitatus Auctor teſtatur, quod ad reſolvendum, attenuandum, abſtergendum, roborandum eſt opportuniſſimum, unde in Menſium ſuppreſſione, uterique affectionibus a ſanguinis viſciditate, craſſitie, fibrarumque atonia, aut imbecillitate, quacumque ratione exhibeantur, commodiſſimæ.

XX. *Aquæ acidulæ in pertinaci morbo opportuno tempore præſtantiſſimæ.* Vid. lib. 3. cap. x. com. 19.

XXI. *Hæc omnia penitus proſcribenda, ubi acres nimis, ſummeque tenues peccent humores. Tunc enim præter oleum amygdal. dulc. &c.*] Diverſam omnino a priore methodum inſtituendam eſſe ad ſuppreſſionem menſium, quæ a nervearum fibrarum ſenſili nimis conſtitutione, atque hinc earumdem proclivitate inſigni in ſpaſmodicas ſtricturas exoritur ob humores tenues, acres plus æquo mordentes, ac proritantes, adeo manifeſta res eſt, ut nulla ſit manifeſtior. Salibus alchalicis, lixivioſis, purgantibus, aloeticis, martialibus corpus magis magiſque exſiccatur, fibroſo generi ſtimuli adduntur, ſulphureæ partes mirum in modum atteruntur, exſolvunturque, fluida concitatiori motu cientur, quibus vehementiores, & non ordinatas uteri contractiones excitari neceſſe eſt, & ſuppreſſionem augeri, aut confirmari. Solum igitur illa, quæ convulſivas contractiones laxant, ac mulcent, quæ humorum acredinem temperant, atque obtundunt, nutritioque rore humectant eximiam præſtare operam nunquam non ſemper conſueverunt: hinc præterquamquod oleum amygdal. dulc. præſto eſt etiam in parca doſi ſingulis noctibus per menſes aliquot exhibitum, ut experientia præſertim Hamiltonus didicit, & ratio ſuadere videtur, ſtricturas ſcilicet emolliendo, ramoſiſque ſuis partibus acres vellicanteſque humores involvendo, irretiendo,

F 2 atque

(l) *Aph. lib. 3. cap. 3. com. 17.*

atque ad alvum præcipitando, tum Clyſteres, quibus totum inteſtinorum canalem, ac viſcera imi ventris uterum præſertim proxime inhærentem balnei ad inſtar refrigerari contingit, relaxari, humores continuo ad alvum allici, atque hinc nervoſum genus recreari, ac fluidorum maſſam temperari, accurrunt etiam primo vere juſcula quarumdam plantarum, quæ nitroſo ſale, aut ſale ammoniacali, qui nitrum quoddam inchoatum dici poteſt, fetæ ſunt, quæque, ut alibi oſtendimus, (*m*) nimium fervorem motumque compeſcendo, & blandiſſime attenuando, ſimulque acrium, atque vellicantium humorum excretionem per inſignes urinæ vias eliminando agunt. Ejuſmodi ſunt Portulaca, Cichorium, Endivia, aliæque ſimiles, quarum decoctiones juſculis tenerioris pulli, vel ſucci ſimplices, vel melius ſero lactis ſubacti, & diſtillati eximiam operam præſtant. Demulcet enim ſerum oleoſis partibus, aquoſis diluit, terreis abſorbet, & ſeri copiam augendo bilioſos, aduſtoſque humores per urinæ vias extra corporis confinia educit.

Æſtiva tempeſtate balnea aquæ dulcis, aquæ Nocerianæ &c.] Virtus univerſi corporis fibras exſuccas nimis aridaſque relaxandi, emolliendi, acreſque ſimul ac vellicantes humorum particulas ad corporis peripheriam alliciendi, perque apertos cutis poros ejiciendi maxime elucet in balneis, ut alibi a nobis fuit demonſtratum (*n*). Quid de aquæ Nocerianæ viribus dicam nihil omnino ſuppetit, cum præteriero copia, qua ingeruntur, tubulos omnes, ductus, atque emiſſaria humorum ſecretionibus, excretionibuſque dicata majorem in modum relaxari, atque aperiri conſtet, acres, erodenteſque particulas diſſociari a ſe invicem, ac disjungi, terra, qua fetæ ſunt calcaria imbibi, ideoque ad vellicandum, ac mordendum ineptas conſtitui, & qua data porta extra corporis confinia educi. Nil lacte præſtantius eſſe ad irritationes omnes, & abhinc prodeuntes nervearum fibrarum convulſivas contractiones ſedandas, ad læves politaſque particulas in ſanguinem introducendas, acres erodenteſque obtundendas, cicurandaſque lippis æque, ac tonſoribus notum eſt plus, quam ipſorum digiti, atque ungues. Quid igitur hiſce diutius immorari?

CAP.

(m) *Lib.* 3. *cap.* 8. *com.* 19.
(n) *Lib.* 3. *cap.* 8. *com.* 20.

C A P. III.

De Uteri hæmorrhagia.

I. SI Mulierem videris menſtruum ſanguinem ſtatis periodis largius effundentem, vel frequentius, quam antea ſoleret, vel nunquam intermiſſe cum virium debilitate inſigni, extremorum frigore, faciei pallore, anxietate circa præcordia, quam ſtomachi cruditas, cachexia, fluor albus, lenta febris, macies ſubſequuntur, eam uteri hæmorrhagia laborare cenſendum eſt.

II. Quæ tunc contingit, cum vaſa uterina plus æquo dehiſcunt, vel diſrumpuntur, vel eroduntur, ſanguis vero plus æquo abundans ad uteri vaſa nimis concitato motu defertur, vel raritate nimia peccat, vel tenuitate, & fuſione, vel acrimonia.

III. His porro occaſionem præbent ſuppreſſi diu Menſes, abortus, qui a primis uſque ad ſeptimum Menſem contingunt, partus contra naturam, difficiles, laborioſi, placenta in utero poſt partum relicta, aut coactus condenſatuſque ſanguis, aut violenta, & ſubita ipſius placentæ avulſio, aut fętus vehemens eruptio, ciborum acrium, aromaticorum, vini meracioris, atque ardentium liquorum abuſus, motus violenti in plethoricis Mulieribus, graviora animi pathemata, ira præſertim inſignis.

IV. Fluxus ſanguinis qui floridus ſit, & rubicundus in feminis plethoricis, aut grumoſus, & niger poſt ſuppreſſos diu Menſes minus periculi portendit in juvenibus, quam corruptus, mucidus, fętidus, ichoroſus interdum per ſtillas cum dolore, & acrimonia, mox fruſtulis ſolidis apparentibus large effluens.

V. Si gravida ſit Mulier, niſi fętum edat plerunque lethalis, quemadmodum ſi a ſecundina retenta, aut alio extraneo corpore fluxus naſcatur.

VI. Ubi morbus a nimia plenitudine exoriatur, vireſque conſtent, ſola venæ ſectio in brachio large celebrata eſt præſtantiſſima, etiamſi gravida ſit Mulier, parcius & repetitis vicibus, ſi vires infirmæ, immo ſępius recurrente morbo, cachexia vigente, aut etiam phlebotomiæ vim eludente, quod in bilioſis præſertim experimur, ſolæ cucurbitulæ infra mammas commode applicantur, ad ſcapulas,

ad

ad brachia : immo ſi vires penitus exhauſtæ ſint, vincula ſupra genua injiciantur, & ad brachia, aut balneo aquæ tepidæ, cui modicum vini admixtum fuerit brachia eadem immergantur, vel ſi libet frictiones aſperæ ad dictas partes inſtituantur.

VII. Interim ubi ſanguis raritate peccat, & expanſione, fluxus autem mitis ſit, licet immodicus reſpectu ad conſuetam quantitatem, præmiſſo ad alvum ſolvendam ſi opus ſit ſero lactis Tamarindato, aut Caſſia cum pulpa Tamarindorum, aut quod tutius eſt Clyſteribus ex lacte kalybeato, ſucco hordes, & butyro paratis, eximii erit uſus nitrum puriſſimum, nitrum corallatum a ʒ .s. ad ʒ i. ex decocto plantaginis, portulacæ, burſæ paſtoris, urticæ, acetoſæ, aut aquis ſtillatitiis earumdem plantarum. Aqua pariter deſtillata ex ſpermate ranarum nitro puriſſimo ſauciata præſtantiſſima ad ℥ .s. cui aqua Sperniolæ Crollii opportune ſubſtitui poteſt : ut fungum Melitenſem prætereant, qui a ʒ .s. ad ʒ i. in omni hæmorrhagia tutiſſimus eſt. Radice Ipecuacan. vomitum excitatum bene ceſiſſe in nobili quadam deprehendi. Quid ſi in iis, quæ ad vomendum proclives ſunt, adhibeatur, ubi res & occaſio fert?

VIII. Si vero fluxus ab hoc fonte proficiſcens adeo vehemens ſit, ut in mortis diſcrimine prope certiſſimo Mulieres verſentur, nullus vero dolor, aut ſpaſmus inſignis prohibeat ad ipſum Helvetii ſpecificum a ℈ ad .s. deveniendum, quod omni bihorio, aut quadrihorio ſi levior ſit hæmorrhagia, exhibeatur.

IX. Dum interim in priore caſu ſpongiæ aqua fabrorum frigida, aut aceto imbutæ regioni hypogaſtricæ, aut lumbis applicitæ conferre viſæ ſunt, nec non injectiones in uterum ex aqua plantaginis, quercus, & roſarum cum albumine ovorum conquaſſato uſque dum in ſpumam abierit : in graviori altero tam pro fomento, quam pro injectione ſucco hyppociſtidis, aut plantaginis ſoluto utendum, decocto myrti, balauſtiorum, corticis granatorum, quibus parum aluminis, & vitrioli, aut lapidis hæmatitid. ſolutum ſit : in graviſſimo tandem ipſo ſpecifico Helvetii, aut colcothare vitrioli, aut lapide medicamentoſo Crollii aqua ſtyptica Lemerii, Rabelii, aut aliis ejuſmodi ſolutis: lumbis vero Cerata adſtringentia applicanda.

X. Aqua quæ loco potus ordinarii adhibetur in hoc caſu ſit frigida ſyrupo aciditatis citri, ribium, berberum, de roſis ſiccis, & guttis aliquot ſpiritus nitri, aut vitrioli alterata.

XI.

XI. Si acrimonia, tenuitas, fuſio ſit morbi cauſa, tunc Electuarium ex ſemin. papaver. alb. ʒ ii. bol. armen. corallor. præp. a ʒ i. .s. ſacchar. roſat. ℥ i. ad ii exibeatur.

XII. Quatuor poſt prandium horas dentur pillulæ ex radic. biſtortæ, tormentillæ a ʒ s. cum ſyrupo de roſis ſiccis paratæ: dum pulmentis miſcetur maſtiche, gumi arabicum, & tragacanthum.

XIII. Injectiones ex ſucco plantaginis, ſedi, portulacæ, caudæ equinæ, florum hyppericì fiant, aut peſſaria ex iiſdem ſuccis, & cornu cervi uſto, farina amyli triticei, gum. arabico, tragacantho, terra ſigillata, vel ſimilibus lineis pannis ſubactis intrudantur.

XIV. Si dolores, ſpaſmi, ac vigiliæ Mulieres exerceant, vires vero derepente, ac penitus exhauſtæ non ſint, tinctura corallor. ad ʒ i. cum laudano cytoniato ad gut. x. ex aq. ſuc. plantaginis, urticæ, tormentillæ eximii uſus. Melior adhuc tamen tinctura corallorum anodyna Helvetii a gut. x. ad xx. ex aqua aurantiorum viridium.

XV. Ubi res præ vehementi evacuatione in anguſto ſit poſita etiam opium ipſum torrefactum a gr. vi. ad xii. cum lapid. hæmatit. ℈ i. & conſervæ roſarum antiq. q. ſ. præſtantiſſimum.

XVI. Extrinſecus in hoc caſu applicetur regioni uteri Ceratum ex Tacamahaca ad ℥ i., quod addito opio, & camphora a. ad ʒ .s. cum ſpiritu vitrioli reformatum ſit.

XVII. Si varices, ulcus uteri chronico morbo anſam dederint potiones vulnerariæ diu inſtituendæ ex fol. poligon. virg. aureæ veronic. conſolid. flor. millefol. hipperic. bellid. majoris radic. tormentil. biſtort. cum extremitatibus pedum vituli coctæ additis gelatinis corn. Cervi, quibus primo vere ſubſtituantur ſucci ex iiſdem plantis eliciti, & ſero lactis cum carnibus juniorum animalium, cancris fluviatilibus, & ranis deſtillati.

XVIII. His aquæ B. Virginis in agro Patavino ſuccedant, vel niſi fęcundas eſſe Mulieres expediat, Brandulenſes in Mutinenſi ditione, quæ omnium efficaciſſimæ. Moderatis tamen hauſtibus omnes exhibendæ. Tandem lac primum Aſininum, mox Vaccinum aqua plantaginis coctum diu exhibendum.

XIX. Si tamen obſtructionibus viſcerum imi ventris laboret, cachetica ſit Mulier, rhabarbarum torrefactum ad ℈ i. cum croco Mart. adſtringente ad ℈ s. ex ſucco condenſato abſynt. aut ſi gracilis ſit

Mu-

Mulier ex ſero lactis caprili quotidie prius adhibendum: qualibet vero octava die leniter purgandum levi rhabarbari infuſione.

XX. Victus ratio ſit ex carnibus, & juſculis extremitatum Animalium, eorumque gelatinis annorum curſu uſurpandis, ſit ex pulmentis avenæ, horyzæ, quæ diluta ſint, quibuſque acrimonia, aut tenuitate ſanguinis peccante prædictus pulvis gum. arabic. tragacanth. quotide addatur; æſtu vero & fervore ſanguinis acetoſa, endivia, lactuca, cicerbita. Potus ſit ex vino auſtero lentiſco, ſantalis rubris, ac citrinis alterato, in quo ferrum candens extinctum ſit, aut ſi calida Mulier fuerit ex aqua Noceræ cum uqua plantaginis Kalybeata, cui terra bolaris Noceræ addatur. Decumbat ægrotans ad nares elevata, humilis ad caput in ſtrâtio non ex plumis, aut lana, ſed ex paleis, in cubiculo moderate frigido, corpore non minus, quam animo quieta, præſertim ſi ejuſdem curis prius ægrotaverit.

C A P. III.

De Uteri hæmorrhagia.

I. S*I Mulierem videris menſtruum ſanguinem ſtatis periodis largius effundentem &c. cum virium debilitate inſigni &c.*] Contrarius effectus Menſium ſuppreſſioni eſt eorumdem fluxus immodicus, nempe quando in tanta copia ſanguis excernitur, ut totius corporis languor ſequatur. Niſi id fere contingat vix ac ne vix quidem nimius eſt cenſendus, nec remediis ſanguinem ſiſtentibus coercendus: a ſanguinis enim quantitate nullus ſanguinis fluxus eſt metiendus, ſed a virium robore, temperamento, vitæ genere. Videmus ſiquidem plethoricas, alacriores, ſalaciores, & ſpirituoſas Mulieres inſignem ſanguinis quantitatem ſine noxa quandoque excernere, cum aliæ graciliores, mœſtæ, & melancholicæ multo minorem ejiciant, ſummum autem virium, aliarumque functionum diſcrimen patiantur. Cujuſce rei cauſam non aliunde repetendam eſſe, quam a ſanguinis inopia, ne in dubitationem quidem auſit revocare, qui ſedulo perpendat deficiente ſanguine proximam exhauriri materiem ſpirituum animalium, iiſque propterea parcius in nervos a Cerebro influentibus non ſolum Muſculorum omnium motui voluntario inſervientium actionem langueſcere oportere, ſed cordis præſertim robur infringi, qui tantis virium momentis inſtructus eſſe debet ad ſuperandas tot reſiſtentias, quot ſanguinis curſui obſiſtunt.

Extremorum frigore, faciei pallore, anxietate &c.] Quo ſane conſequitur, ut impari ad eas reddito, ſanguinis motus in partibus longe ab eodem diſſitis langueſcat, & in extremis frigus, in facie pallor ſubſequatur: unde optime dictum ab Hippocrate: (o) *Cum parcior ſanguis ſit in corpore neceſſe*

(o) *Lib. de morb. Mulierum.*

ſe eſt ipſam eſſe pallidam: & alibi: *Decolor erit, quamdiu ſic habuerit*: Ac Liſterus (*p*) *ex multo*, inquit, *ſanguine effuſo æger palleſcere ſolet ad plures Menſes, annoſque*: ut ſilentio prætercam cl. Freindii opinionem, qui retardato in capillaribus vaſis ſanguinis motu propter langueſcentem cordis, ac ſanguinis vim in extremis oriri frigus, in facie pallorem haud dubie affirmavit. Quid quod ſi in ipſius cordis ventriculis retardetur, laboris quemdam & anxietatis ſenſum ad præcordia inducat, ſi interdum penitus ſubſiſtat animi defectus tamdiu duraturus exoriatur, quamdiu novo ſpirituum fluxu vigoretur, ſanguiniſque curſus utcumque languidus reſtituatur, & quæ ex hoc potiſſimum fonte derivare ſolent functiones omnes animales, atque vitales labefactentur? Quid quod deficiente ſanguinis copia, atque una ſpirituum eorundem, placidus regulariſque nerveorum filamentorum motus perturbetur, ut plus ſpirituum influat in unum Muſculum, quam in Antagoniſtam, ſicque quædam vaſorum ſanguiferorum in Muſculos tendentium extrema oſcula conſtringantur, quædam magis, quam naturæ ordo poſtulet dilatentur, per hæc plus ſanguinis in eaſdem fibras confluat, per illa parcius, interdum ejuſdem liber excurſus omnino intercipiatur, ac propterea quidam Muſculi ſpiritibus, & liquido arterioſo uberius influentibus inflentur, tendantur, quidam utriuſque liquidi influxu deſtituti flacceſcant, relaxentur, unde corporis convulſio ſequitur, quam ad copioſum ſanguinis fluxum, quocumque modo contingat, aptiſſime retulit Hippocrates (*q*), confirmaruntque viri præſtantiſſimi Martianus, Bellinius, aliique.

Stomachi cruditas, cachexia, fluor albus.] Sanguine, ac ſpiritibus hac ratione diſſipatis, volatilibus nempe ſubtilibuſque particulis e maſſa ſanguinea extra corporis confinia eductis, ſolidarum partium, ac primum quidem ad Chyli elaborationem perfectionemque concurrentium tonum vel penitus labefactari, vel plurimum ſaltem langueſcere perſpicuum eſt; hinc non ſolum ſtomachi cruditatem oriri, ſed chylum primum, tum ſanguinem aqueum ſeroſumque generari, cordis vero, ac vaſorum omnium robore, vi, atque elatere ceſſante congruam tolli ſanguinis mixtionem, ſeroſas partes a reliquarum nexu ſecedere, per laxatas tunicas tranſudare, in cavitates effundi, atque una cum albo fluore cachexiam, atque hydropem ſubſequi.

Lenta febris, macies.] Facto jam albo fluore, vel ſanguine loturæ carnium ſimili exeunte ſuccum pariter nutritium excerni nemo inficias ire auſit, qui ſedulo perpendat, non ſolum a vaſis ſanguiferis quacumque demum ratione affectis, ſed a quacumque glandula, per quam craſſiores ſanguinis partes, tenujorem etiam aliquam partem ſecerni, niſi hæc vel inter ſe, vel cum aliis partibus cohæreat ſanguinis. Quoniam vero, ut alibi demonſtratum eſt (*r*) nutritius ſuccus inter fluida tenuiſſima noſtri corporis recenſendus, qui minutiſſimos quoſque meatus, ac poros pervadit, ut nerveas partes nutriat, quoniam præterea ſubtiles ejus particulæ neque inter ſe cohærent, neque cum aliis ſanguinis partibus, multæque per ipſas glandulas Cerebri ſecernuntur, ac ſuccus idem nutritius tenuiſſimus eſt ſi quis alius, conſequitur, ut vel in ſecretionibus naturalibus una cum aliis ſanguinis partibus pars aliqua ejuſdem ſucci, aut proxima ſaltem ejuſdem

G ma-

(p) *De humor. cap.* 46. (q) 3. *aph.* 5.
(r) *lib.* 4. *cap.* 4. *com.* 3.

materia ſecernatur: multo magis in ſanguinis hæmorrhagia larga, ac perenni, atque hinc ſalinis partibus exaltatis, ſuique juris factis eam ſanguinis acrimoniam, fuſionem, colliquationemque promoveri neceſſe eſt, quæ non ſolum cor, & arterias mordere valet, ſpirituſque commovendo pulſum celerem, ac frequentem reddere, ſed pinguedinem ipſam, & carnem rodere, unde ægræ una cum hectica, ſeu lenta febri contabeſcant.

II. *Quæ tunc contingit, cum vaſa uterina plus æquo dehiſcunt vel &c.*] Tot modis nimium, & immodicum fluxum menſium cieri, quot cæteræ quæcumque ſanguinis hæmorrhagiæ, Veteres fere Medici uno ore affirmarunt, per anaſtomoſim ſcilicet, ſeu extremorum oſculorum, vel venularum, vel arteriolarum uteri apertionem, per diæreſim, ſeu diviſionem, & ſolutam unitatem, per diapidiſim, ſeu rarefactionem canalium, qua fit, ut ſanguis ex eorumdem tunicis quaſi tranſcolatus exſudet, per rixim, ſive rupturam, per diaproſim tandem ſive eroſionem. Immo ſcrutinio illuſtres viri inſudarunt ad inquirendas cauſas iiſdem producendis idoneas; quas hic nec percenſere numerando operæ pretium eſſe ducimus, nec explicare dicendo, ad ea potiſſimum animum, curamque vertentes, quæ alibi diximus (f) controverſiam priore fere modo ad trutinam ut ajunt revocantes, atque pro Anaſtomoſi pugnantes poſtquam obſervationes alias anatomicas, atque experimenta cl. virorum ad eamdem firmandam adhibuimus, præclarum exemplum afferentes ſanguinis, qui ex Mulieribus menſtruantibus ex utero certo ſtatoque tempore erumpit, quando ſcilicet tanta copia aggeſtus eſt, ut ab arteriis in venas libere tranſmitti nequeat, unde lateraliter impetum faciens in vaſa lymphatica tenui tantum, & fluxili lymphæ a natura comparata transfertur, eadem aperit, atque menſium fluxum progignit. Quibus ſane apparet non immerito Anaſtomoſim inter immodici menſium fluxus cauſas recenſere veteres Scriptores conatos fuiſſe, & laudabiliores Neotericorum conjecturas ſuper aliis excogitatis principiis non adeo firmas eſſe, claraſque, ut levi negotio convelli nullatenus poſſint, neque ſine ratione dictum a nobis tunc ipſum contingere, cum vaſa uterina plus æquo dehiſcunt, quandoquidem moderate, & ſecundum naturæ leges aperta moderatam etiam, & naturalem ſanguinis excretionem moliuntur.

Vel diſrumpuntur, vel eroduntur.] Quandoquidem per Anaſtomoſim immodicum menſium fluxum cieri poſſe oſtendimus: videndum eſt an aliis etiam modis a Veteribus excogitatis excitari queat. De diæreſi, ſeu ſoluta unitate ambigendum non eſt, cum a ſecante, incidente, aut pungente quovis corpore oriri citato loco oſtenderimus. De diapidiſi jure ambigendum, neque audiendos hac in re Veteres traderem, qui altius illam, ac ſubtilius repetere conati ſunt a raro corporis habitu, a carnium mollitie, a cibi, & potus uſu ſero multiplicando idonei, præſertim vero a ſanguine diluto, & ſeroſo, qui facile in linteis dignoſcitur. Præterquam enim quod ſeroſam tantum ſanguinis partem exprimi poſſe a vaſis ſanguiferis abſque ulla ſolutione continui Richardi Lovveri experimento ducti objicere poſſumus, illud præterea non facile aſſequimur, quomodo per rarefactas vaſorum ſanguiferorum tunicas ſanguis parte ſui globuloſa tanta copia erumpere poſſit, ut hinc inſignis virium debilitas, extremorum frigus, faciei pallor, animi deliquia, hydropes; aliaque recenſita ſymptomata, quibus immodicus menſium fluxus ſtipatur, pro-

(f) *Lib.* 2. *cap.* 2. *com.* 2.

proficiſcantur. Neque nos aliter ſuadere valet aſſertum, poſſe in Scorbuticis affectionibus ſanguinem ad eam redigi tenuitatem, ut per tenues nimis, ac laxas vaſorum tunicas una cum globulis dilabatur. In his enim tanta eſt ſalium acerrimorum, ac fere cauſticorum copia, ut vaſorum minimorum eroſio facile ſubſequatur, verendumque propterea eſt, ne hiſce fere de cauſis allatus ab ipſis modus claudicet, atque dum ſenſus fallaci rerum imagine decipientes ſequuntur, genuinam morbi rationem non aſſequantur.

Sanguis vero plus æquo abundans ad uteri vaſa nimis concitato motu fertur.] Ignorare nemo poteſt, quæ menſes naturaliter ciere valent, ea quoque ſi vehementius operentur immodicum eorumdem fluxum progignere poſſe. Quoniam vero naturalis menſtrui fluxus cauſam plenitudinem eſſe diximus, quæ in feminis debitum incrementum adeptis major eſt, quam in viris, eamque potiſſimum ſanguinis, qui propter peculiarem uteri, aliarumque partium conſtitutionem ad inferiores partes majore impetu, & velocitate defertur, cumque vaſa uteri offendit laxa, tortuoſa, parum munita, eadem diſtendit, aperitque, plenitudinem hinc excedentem, ac concitatiorem ſanguinis motum ad uteri vaſa, quam opus ſit, ut aperiantur ea ratione, qua ſuperflui ſolum ſanguinis quantitas ejiciatur, uteri hæmorrhagiæ progignendæ opportuniſſima exiſtere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari: Quid enim facilius, quam ut ea præter modum diſtenta, & concitato nimis motu relaxata non ſolum ita aperiantur, ut ceſſante etiam ſuperflui ſanguinis copia via aditufque eidem ſucceſſive fluenti minime præcludatur, ſed diſrumpantur, ſicque cruentæ excretionis occaſio nunquam deficiat?

Vel raritate nimia peccat, vel tenuitate, & fuſione, vel acrimonia.] Plenitudinem tunc fieri dicimus, cum moles ſanguinis cum vaſis continentibus comparata nimis magnam cum illis rationem habet: quod duplici modo contingit: vel enim vaſorum diametro non mutato moles ſanguinis augetur, vel non mutata mole ſanguinis vaſorum diameter anguſtior redditur, unde duplex plenitudinis differentia emergit, quarum illa ad vaſa, hæc vero ex vaſis dici conſuevit. De mole autem ſanguinis loquendo majorem fieri poſſe apparet majore facta materia, & mole ſanguinis; hoc eſt re ipſa multo ſanguine in arteriis, & venis exiſtente a nutrimenti copia, a ſuppreſſis evacuationibus aliiſque cauſis aggeſto; vel eadem remanente materie majore facta tantum ejus mole, ſanguine videlicet eo orgaſmo rareſcente, & expanſione, ut ejus ratio perinde ac ſi materies ſimul, & moles augeretur ad vaſa continentia nimis magna fiat, ac moleſtiam in ſubjectis præſertim delicatioribus faciat. Illam ad vaſa veram, & abſolutam, hanc vero apparentem appellari notum omnibus eſt, planeque perſpectum. Alterutra vero, aut utraque ſimul contingat, partes rubras ſanguinis in lymphatica arterioſa facile trudi, ruptiſque vaſis ſanguinem liberaliter effundi, atque hinc immodicum menſium fluxum oriri tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Quid ſi tenuitate peccet, & fuſione? Jam qui diapedeſim dari ſuſtineant, niſi ad fluidum nimis, fuſumque ſanguinem confugiant, ita ſibi omnem Scriptores fidem adimunt, ut rei tenebras affudiſſe potius, quam veram integramque fluxus naturam detexiſſe videantur. Qua enim ratione, aut modo fieri poſſe dicamus, ut nulla facta laceratione, & divulſione membranarum lentior, ac viſcidior ſanguis per dilatatos tantum meatus, & po-

ros traſmittatur, & fluat? Quid quod tenuiores tantum, & ſeroſæ partes elabantur? Cum vero ab hoc fonte prodeuntes hæmorrhagiæ uteri contingunt, eæ non ad dilatationem, ac rarefactionem membranarum, ſed ad eroſionem ſunt referendæ. Neque juſtiſſimæ ſuſpicionis cauſa deerit: ſiquidem cum ſanguinis fluiditas, & fuſio fit promptitudo ad fluendum tanta, ut ſuis fungi muneribus nequeat, magnumque robur ac elaſticam vim vaſorum pro cauſa agnoſcat, a quibus ſanguis nimia velocitate motus valde teritur, funditurque; labores magnos, exercitationeſque corporis, quibus muſculi in frequentiores vehementioreſque contractiones adacti ipſum exagitant, & fundunt, nec non calida, acria, aromatica, aliaque ejuſmodi, quę aut vaſa, ac viſcera mordent, & in crebriores fortioreſque contractiones adigunt, vel ſanguinem ipſum incidunt, & ſolvunt, fieri minus poteſt, quin acres, volatiles, ſulphureæ particulæ exaltentur, atque eroſiones, ulcera præſertim partium, per quas menſtruatim excernitur ſanguis progignat, unde immodicus menſium fluxus. Id ubi diligenter teneas minus miraberis vim hanc humoribus acredine revera peccantibus tribuiſſe, quorum interdum quidem eſt in ſolidas partes agere eas extimulando, ac convellendo ea ratione, ut alibi annuimus (*t*), qua ſecretiones omnes, excretioneſque, ideoque ſanguinis ex utero imminuantur, ſed plerunque eorumque naturæ maxime proprium exedere, corrumpere, unde hæmorrhagiæ, ulcera præſto ſunt.

III. *His porro occaſionem præbent ſuppreſſi diu menſes.*] Vel augeatur materia ſanguinis, ſeu ſanguis re ipſa multus in arteriis, & venis exiſtat, vel ejus moles tantum, ſeu ſanguis orgaſmo rareſcat, & expanſione, vel capacitas tantum vaſorum minuatur non mutata materie, & mole ſanguinis, hæc aut in omnibus vaſis contingunt, aut in aliquibus tantum, unde emergunt duo maxime inſignes plenitudinis differentiæ, univerſalis ſcilicet, & particularis dictæ. Utramque in mulieribus, quibus menſes diu ſupprimuntur, elaborari certo certius habendum: univerſalem quidem quia corpus certo ſtatoque tempore a ſuperfluo ſanguine, qui dictis de cauſis congeritur minime exoneratur: particularem vero, quia ſanguis ad uteri vaſa tamquam ad proprium receptaculum delatus, nec refluens a fortioribus vaſis in debiliora truditur, in iis autem quieſcit omnino, aut ſegniter movetur, atque ibidem paulatim congeſtus tumorem, & plenitudinem creat, qua fit, ut a novo continuo affluente ſanguine vaſa tandem nimis diſtenta aperiantur, diſrumpanturque, unde menſes diu ſuppreſſi confertim, ac citatius magno mulierum diſcrimine erumpant.

Abortus qui a primis uſque ad ſeptimum menſem contingunt.] Nemo ignorat, id quod a muliere ejicitur poſt concubitum, & feminis virilis effuſionem, ſi primis fere diebus contingat, quod tam brevi temporis ſpatio conſiſtentiam nondum in utero acquiſiverit, ipſius feminis fluxum dici; ſi quod ejicitur falſum germen eſt, quod plerunque circa finem prioris menſis, & alterius exordium contingit, quodque diu in utero detentum in molas degenerat (de quibus infra) expulſionem, ſi tandem tunc cum fętus primordia re ipſa exiſtunt, ac vitam utcumque levem is ducere incipit ante tempus a natura conſtitutum exeat, abortum nuncupari manifeſta res eſt. Circa autem id tempus quæſtio eſt. Omnes tamen uno ore conſentiunt, ordinarios geſtationis terminos ſeptimum interdum, præſertim vero nonum menſem con-

(t) *Cap.* 2.

conſtituere. Fœtum octavo menſe exeuntem vitam vix, ac ne vix quidem agere docere olim viſus eſt Hippocrates, ideoque ad abortum referendum. Cum enim ſeptimus menſis, ſi ipſum audimus, prior ſit legitimi partus terminus, cumque viam ſibi, exitumque parare ſeptimo menſe cunctis viribus cogatur, ſi forte contingat, ut in niſuum partem octavo Menſe vocetur, atque in lucem prodeat, ita infirmus, imbecillis, ac languidus iteratis laboribus redditur, ut cito plerunque ſpiritum reddat, quod in ſeptimo menſe nullatenus accidit, cum antea vanis, & inutilibus conatibus obnoxius non fuerit. Ita Veterum Medicorum quamplurimi ad partus terminos ſtatuendos pronis adeo animis converſi ſunt, ut hoc juxta allatas conjecturas conſtituto omne ferme punctum tuliſſe ſibi viderentur. Non defuere tamen ſucceſſu temporis viri præclariſſimi, qui ad cauſas partus diligenter attendentes, quas in utero potiſſimum præ vi ponderis, ac molis irritato ad majorem diſtenſionem ferendam impari, nec non in muſculorum imi ventris, ac diaphragmatis compreſſione, non vero in fœtu propter nutrimenti, aut aeris neceſſitatem exitum ſibi violenter quærente, recalcitrante, & membranas, quibus aquæ continentur, diſrumpente, & caput in pelvim, & os uteri dilatatum agente conſtituerunt, qui inanem, ac nullius plane momenti illorum ſententiam brevibus decreverunt. Inter hos eminet cl. Mauriceau, qui ea potiſſimum ratione ad id afferendum ductum eſſe ſcio, quod animadverterit cum multis, ac frequentibus, tum certis ac conſtantibus obſervationibus eo fetus eſſe robuſtiores, quo magis ad tempus a natura conſtitutum properant, plureſque octimeſtres vivere, quam qui ſeptimum ſolum menſem attigerunt, atque longe diverſa ratione Hippocratis, aliorumque Scriptorum opinionem de partu octimeſtri interpretatus eſt, quam ne longior ſim, legi ex fonte malo, quam hic referri. (*u*) Quæ ſi ita ſe habent, luce clarius apparet, abortum a partu ſeptimeſtri, vel octimeſtri, vel ipſo notante Hoffmanno (*x*) probe eſſe diſtinguendum, qui plerunque inter ſecundum, & tertium, interdum etiam inter tertium, & quartum, rarius inter quintum, & ſextum prægnationis tempus ſuccedit. Qui quoniam cauſas præternaturales agnoſcit ſpaſmodicos videlicet uteri, aliarumque partium adjacentium motus, ac ſtricturas, quibus ſanguis ad uterum plerunque circa id tempus, quo alias menſtrua fluere conſueverunt, plus æquo urgetur, illud facile conſequitur, ut una cum fetu larga ſanguinis ex uteri ipſius vaſculis violenter diſruptis profuſio habeatur tandiu duratura, quamdiu vaſa eadem perfectiſſime coaleſcant. Quod cum raro præ irruentis ſanguinis impetu contingat, ſit ut perennis quaſi fluxus habeatur ſanguinis a diuturnis, ac repetitis hæmorrhagiis ſeroſi facti, diluti, ac fere aquoſi iis omnibus affectionibus ſtipatus, quæ immodicum menſium fluxum comitantur.

Partus contra naturam, difficiles, laborioſi. Ut partus naturalis ac legitimus dici mereatur, ſcire oportet, non ſolum tempore a natura conſtituto opus eſſe, ut fetus exeat, ſed ipſius promptitudine ad exeundum, nulloque ſymptomate alicujus momenti comitante, ut vivus ſit etiam, ut bene ſitus, atque arvo muliebri accommodatus. Id poſtremum capitis vertice ad uteri os internum, & facie ad matris os Cocygis obverſo perbelle contingit. Capite enim, quæ craſſior eſt corporis pars uteri os tranſeunte, reliquæ omnes eamdem viam facillime remetiuntur, quin varie inflexæ, aut alia ratione re-

(u) *Lib.* 2. *cap.* 5. (x) *Tom.* 4. *p.* 3. *cap.* 11.

repoſitæ liberum fetus exitum præcludant. Niſi id autem contingat, dici vix poteſt quanto in diſcrimine fetus verſentur, & mulieres. Labores, conatus, niſus inſignes præſto ſunt teſtantibus Hippocrate (z) Mauriceau (a) La Mothe (b) aliiſque præclariſſimis viris, quibus adeo inſignia ſanguinis profluvia ſuperveniunt, ut vires hinc prolabantur omnino, atque in mortis diſcrimine prope certiſſimo conſtituantur, ut La Mothe pariter (c) Mauriceau (d) nec non Bonetti (e) obſervationibus compertum eſt. Quæ quamvis de omnibus, & ſingulis mulieribus nullo temperamenti habito diſcrimine affirmari queant, ut autem de plethoricis, atque bilioſis, potuque vini generoſi, cibiſque acribus, atque aromaticis abutentibus, quæque ſanguinis miſſionem graviditatis tempore neglexerunt affirmari jure merito poſſit, ut cl. Juncherus teſtatus eſt (f) facit potiſſimum toties inculcata plenitudo, aut fluiditas, & fuſio, qua fit, ut ad affectam partem uterum nempe, quem ſpaſmi, ac convulſiones exercent vi atque impetu irruente ſanguine, ejus vaſcula plus æquo dehiſcant, diſrumpantur, erodantur. Conſtans præterea plurimorum ſententia Mauriceau, & Dionis præeuntibus, etiamſi partus naturalis fit, laborioſus tamen, ac difficilis ob grandiores fetus, exeuntes iiſdem plane periculis obnoxios fieri. Cum enim ejuſmodi fetus magnis craſſiſque placentis donentur, quæ vaſis amplis æque, capacibuſque ſunt præditæ, hiſque vaſa uteri ſint proportionalia, id tandem contingit, ut ex iis ipſis uteri vaſis avulſa placenta, ex eorum orificiis plus æquo patentibus apertiſque ſanguis ea copia, atque impetu erumpat, ut diſrumpantur tandem, cumque coaleſcere nequeant, uteri hæmorrhagiæ largæ, & diuturnæ occaſionem præbeant.

Placenta in utero poſt partum relicta, aut coactus, condenſatuſque ſanguis.] Quid ſi placenta, aut aliqua ipſius pars poſt partum in utero maneat, aut ſanguis coactus condenſatuſque, quique polypum, aut falſum germen, aut molam æmuletur, ut a cl. viris Mauriceau, Dionis, Meſnard, Etmullero adnotatum eſt? Cum nempe ejuſmodi corpora ita uteri parietes diſtendant, ut naturalem extremorum vaſculorum, quæ placentæ avulſione aperta ſervantur corrugationem, atque coarctationem impediant, aut eoſdem in continuas nunquam intermiſſas, eaſque effrænes contractiones ſollicitent, quibus ſanguis vi, atque impetu ex apertis eorum orificiis ejicitur, inſignes hæmorrhagias oriri oportere, ut cl. Juncherus animadvertit, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Has hæmorrhagias per intervalla repetere, nec prius deſinere, quam ejecta foras una vel altera maſſa carnoſa pugni interdum magnitudine molam referente oſtendit cl. Hoffmannus, (g) eaſque non ſolum ad integram placentam, ſed ad nonnullas ejuſdem lacinias, & ſuccum nutritium in iis per calorem condenſatura, non ſecus ac carnes luxuriantes in ſauciatis partibus gignuntur, aptiſſime retulit.

Aut violenta, & ſubita placentæ avulſio.] Quid ſi placenta ipſa cito nimis, ac violenter ab obſtetrice avellatur? Deerit ne ſuſpicionis cauſa, internas uteri membranas minime ſciſſas ac diſruptas iri, ut a cl. Langio (h) Et-

(z) *De morb. mul.* (a) *Oſſ.* 240. & *lib.* 2. *cap.* 1.
(b) *Reflex. p.* 723. *obſ.* 403. (c) *refl. p.* 614. & 723.
(d) *Oſſ.* 230. (e) *Sepulchret. anat. lib.* 3. *ſect.* 38. *ob.* 12.
(f) *Conſpect. phiſiol. t.* 1. *tab.* 15. (g) *T.* 4. *p.* 2. *cap.* 4. (h) *Diſp. I.* 4. 1.

Etmullero (*i*) Waldchmidt (*k*), & quod magis eſt una cum ipſis adnotante cl. Hoffmanno infignem vaſculorum ſanguiferorum numerum, quibus eædem intertextæ ſunt? Si conſtet id evenire, cur non immodicum ſanguinis profluvium exoriri dicemus, ut cl. Mauriceau arbitratus eſt? Quid ſi uteri membranæ, a quibus nullo cogente placenta avellitur, ſed ſola vi naturalis contractionis, quam carneæ uteri fibræ exercent, nec non ope preſſionis, quam mulier doloribus vexata adverſus uterum facit molliori, ac delicatiori ſtructura ſint præditæ, aut ipſa ipſarum fibrarum uteri contractio cum mulieris premente niſu conjuncta adeo vehemens ſit, ac effrænis, ut non ea ratione adverſus placentam operetur, qua opus eſt, ut paulatim, ac leniter avellatur, ſed tota quanta eſt derepente ſcindatur? Multiplici quidem conjectura aſſequi datum, mulieres in eodem diſcrimine verſari, ut a cl. Andrea Paſta demonſtratum eſt, qui ſanguinis profluvia ex utero in gravidis diligentiſſime pertractavit, ſi quis alius.

Ciborum acrium, aromaticorum, vini meracioris &c.] Quidquid præterea attenuare, ſolvere, exagitare, fundere valet, id immodico menſium fluxui removtiſſime progignendo opportuniſſimum exiſtit. Inter cætera eminent cibi acres, aromatici, quique plurimo ſale volatili oleoſo abundant, tum quia vaſa, ac viſcera mordent, & ad ſeſe contrahendum crebro, & fortiter extimulant, tum quia humores ipſos incidunt, & particulasſanguinis acuunt, unde calor, & nimia turgentia in ipſo excitatur. Vinum, atque ardentes liquores eadem fere facultate donantur. Irritandi enim ſumma vi pollent, qua ſolidas partes extimulari contingit, in crebriores validioreſque contractiones agi, hinc humores attenuari, exſolvi. Quid quod ſalia, ac ſulphura reſoluta, quibus componuntur, modica aquæ quantitate temperata ſimul ac ingeſta ſunt ita a calore exaltantur, ut magno quaquaverſum impetu irrumpant, humores commoveant, exagitent, exſolvant? Quid non exſolvunt labores, exercitationeſque corporis, quibus muſculi ad ſeſe frequenter, ac fortiter contrahendum ſollicitantur? Sentio jam quantum mihi diſcriminis reſtet cum iis, qui longius progreſſi acidos ſpirituum ardentium ſales, ſulphureis exaltatis particulis ſanguinem cogere, laboribus vero, exercitationibuſque corporis, ſi longæ fuerint, & diuturnæ diſſipari ſpiritus, partium robur infringi, fluidiores partes humorum diſperdi, hinc langueſcente partium tono, craſſioribuſque particulis remanentibus non hæmorrhagias, ac profluvia, ſed infarctus congeſtioneſque oriri oportere haud dubie affirmarunt. Recte illi quidem: dummodo tamen plethoricæ non ſint mulieres, quo caſu maximopere verendum eſt, ne aucta parumper ſanguinis materie, aut expanſione, & motu ſanguinis magnum ruptionis vaſorum periculum immineat, aut cum craſſioribus acrioribus etiam relictis particulis, corroſionis.

Graviora animi pathemata, ira præſertim inſignis.] Si hominem vehementi ira correptum contemplemur, nonne ejus caput furore quodam affici apparet, turbari mentem, vehementer reſpirare, incaleſcere, rubere, tremore quodam vibrari, ejuſque cor, & arterias vehementius pulſare? Pronum prçterea ex effectibus colligere, in ira ſpiritus, cor, arterias vehementer, & inæqualiter commoveri, ſanguinem exagitari, in bilem converti, atque ea ratione fundi, qua uteri hæmorrhagiæ facile ſubſequantur. Saltem illud minus fieri poſſe videtur, quin ſpiritibus cçco furore, ac impetu hac illac irru-

(i) *Collegi pract. ſec. 8. cap. 2.* (k) *De morb. mul. lib. 4.*

ruentibus quædam partes plus æquo contrahantur, quædam relaxentur, hinc propterea ſanguis ad uterum facile urgeatur, atque uteri profluvium profiſcatur, ut hyſtericis, & hypochondriacis feminis, & quæ tenerioris ſunt, proclivioriſque naturæ ad animi commotiones accidere Hoffmannus oſtendit. (*l*)

IV. *Fluxus ſanguinis, qui floridus ſit, & rubicundus in feminis plethoricis &c.*] Quaſcumque ſanguinis hæmorrhagias eſſe periculoſas tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Lethales enim morbos afferre ſecum ſolent, hydropes ſcilicet, cachexias, inappetentias, ſtomachi cruditates, quibus univerſo ſanguini labes communicatur non leve negotium Medico allatura. Periculi magnitudinem auget uterina, quæ, ut notat Riverius, non ſolum individuo, ſed etiam ſpeciei noxia eſt. Variare tamen eadem ſolet pro varietate cauſarum, ex quibus efficitur, excretique ſanguinis indole. Quæ ex apertis plus æquo vaſis, aut etiam difruptis originem mutuatur, quod plerunque in feminis plethoricis, & multo ſanguine refertis contingit præcedentibus cauſis externis, abortu contra naturam, vel difficili aliiſque ſupra recenſitis nullam ſanguini labem inferentibus, ſolet quidem inſignem ſanguinis copiam effundere, ſanguine autem, ac viſceribus optime conſtitutis citius ſaneſcere. Vim animis addit cruoris obſervatio, qui floridus, & rubicundus apparet nullius cachochymiæ, aut Scorbuticæ, & Venereæ luis inditio manifeſtiſſimo, vel etiamſi grumoſus, aut ater ſit, diu tamen ſuppreſſos antea menſes pro cauſa agnoſcat, qua collectus nimia copia ſanguis, & vaſis ſubſiſtens in grumos abit, atrumque colorem induit, quæ quoniam ipſius ſanguinis fluxu minuitur, juſta ſpes ſubrepit morbum etiam feliciſſime profligatum iri, niſi forte annoſiores ſint feminæ, ſexagenariæ circiter, quæ cum ſubito, & improviſo immenſam ſanguinis quantitatem ex utero excernant, juncta tandem febre periclitantur, ut idem Hoffmannus ſe vidiſſe teſtatus eſt. (*m*)

Quam mucidus, corruptus, fetidus, ichoroſus interdum per ſtillas cum dolore, & acrimonia.] Contra res habet, ſi ſanguis pravis qualitatibus infectus appareat cachochymiæ pravorumque ſuccorum, vel unius alicujus infeſtæ luis, aut ſphaceloſæ corruptionis argumentum prope certiſſimum: cujus exemplum affert Heurnius in notis ad aphoriſmum Hippocratis, & quidem 56. ſec. 5. *Vidi inquit, nobilem matronam, quæ profluvio uteri extabuit, & tanto fetore effundebatur, ut nullus non exiſtimaret alvo venire. Sed hic fœtor longe alvum ſuperabat. Exiſtimo totum ejus uterum in teterrimum tabum eliquatum una effuſum fuiſſe. Languebat hæc mirum in modum, ac quaſi lethargo ſtupebat mente, lente obiit intolerabilibus fetoribus, ego ſane nihil fetidius unquam olfeci.* Quo ſatis conſtat curationem ea felicitate evenire non poſſe, qua in ſe fieri experiri ſolent illæ mulieres, quæ nullo inſigni ſanguinis, aut viſceris vitio laborarunt. Spem dejicit obſervatio eumdem paulatim, & per ſtillas effluere cum ſenſu doloris, & acrimoniæ, quibus ulceratio in utero facta judicatur, quæ non facile ad cicatricem perducitur: multo magis ſi fruſtula quædam ſolida cum magna ſanguinis effuſione ejiciantur, quibus aucta exulceratio arguitur tolli plerunque neſcia.

V. *Si gravida ſit mulier, niſi fetum edat plerunque lethalis.*] Gravidam mulierem immodico menſium fluxu correptam ſaneſcere non poſſe ni fetum edat

(l) *Loc. cit.* 5. 7. (m) *Loc. cit. ſec.* 6.

edat, non ita conſtans eſt, ut obſervationes præclariſſimorum virorum contrarium minime evincant. Ita Solenander (*n*) de muliere quadam narrat, quæ cum ad partum proxime accederet immodico ſanguinis profluvio laborans ſanitati reſtituta eſt. Schenchius etiam (*o*) obſervationem affert ab Horſtio communicatam de Nobili quadam muliere, quæ cum longo itinere per alpes curru ſuſcepto in enormem fluxum ſanguinis incidiſſet, curata eſt: ut aliam & Boerhaavii ſilentio prætercam, & quamplures Mauriceau, & de Blegnii, quibus luce clarius apparet, mulieres ſatis vegetas, & plethoricas immodicum, & diuturnum ſanguinis fluxum ferre poſſe, quin immaturum fętum edant, dummodo is tamen a placentæ avulſione ex uteri membranis minime oriatur, atque aliquod temporis ſpatium vacuum relinquat, aut ſaltem quoad quantitatem ſit inæqualis. Secus niſi abortus opportuno tempore contingat, & antequam fractæ ſint vires, ut a D. de la Mothe (*p*) demonſtratum eſt, in mortis diſcrimine prope certiſſimo eaſdem verſari tenendum. Quo loco fateor me juſtis laudibus æquare non poſſe celebriorum medentium conſilium, (*q*) qui ne cito una cum fętu mater intereat ſtatim fętum ipſum manu periti chirurgi extrahendum ſuadent. Cum enim natura ad id præſtandum ſit impar, ſi forte auxilii ſpem in doloribus ſitam velimus, ut uteri orificio notabiliter dilatato operatio juvetur, juſtus ſubrepit timor, ne optato fine potiri valeamus. Cum partes ſolidæ præ mulierum languore, ſanguiniſque fluxu molles ſint, illud emolumenti ſequitur, licet nullius momenti ex cl. James ſententia, ſi cum detrimentis conferetur, quę hinc emanarunt, ut & facilius, & tutius operatio ſuccedat. Fętu operatione Chirurgica excluſo contrahentibus ſeſe uteri fibris, ipſa ipſarum contractione aperta vaſa coarctari contingit, atque hinc uteri hæmorrhagiam cæteroquin lethalem arceri. Quid ſi aut placenta diu in utero relinquatur, aut ejus fruſtula, quæ poſtea in deformes maſſas molas dictas ex Hoffmanni, & Ruyſchii ſententia excreſcant, aut polypus, falſumque germen, aut aliud extraneum corpus morbo occaſionem dederit? Niſi aut provido naturæ robore, aut arte chirurgica ejiciantur, in eodem mortis diſcrimine verſari manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Quæ cum dico facile conjicio non defuturos, quibus hæc dicendi ratio diſpliceat, iis potiſſimum, qui Veteres ſequuti (*r*) in ea ſunt opinione, ut credant ſecundinam in utero relictam paucos intra dies corruptam ac putreſcentem paulatim ejici; nec in molas aliaſque maſſas concreſcere. His tamen quemadmodum explicandæ ſint obſervationes, quæ in E. N. C. (*ſ*) extant placentæ in fruſtula poſt quadraginta, & ultra dies ex utero ejectæ, aut alterius, ex iiſdem E. N. C. conſtat (*t*) quæ per annum, & dimidium in utero retenta arida tandem, & ſicca foras profiliit, aliæque aut Kerkringii, quæ placentam quatuor poſt menſes (*u*) integram, & incorruptam eductam memorat, aut Ruyſchii, qui (*x*) eamdem ſolum occaſione alterius partus erupiſſe affirmavit, viderint alii. Conjiciant ii quidem ſecundinas eas vere

H ne-

(n) *Conſil. med. ſec. 5. con. 15.* (o) *Obſ. Med. lib. 4. obſ. 19.*
(p) *Des achoutem. liv. 3. chap. 5.*
(q) *Jam. Dictionaer. univerſ. de medecin. Chir. &c. t. 1.*
(r) *Giornal. Oltramont.* (ſ) *Dec. 2. an. 1. obſ. 84.*
(t) *loc. cit. obſ. 31.* (u) *obſ. 36.* (x) *A. E. L.*

nequaquam fuiſſe, ſed corpora eiſdem analoga, cujuſmodi fere ſunt concretiones ex concreſcente ſanguinis parte, qui in uterum effunditur. At fateantur & ipſi tandem neceſſe eſt, quod alii volunt, ſecundinas vere fuiſſe atque adeo a corruptione liberas in utero diu ſervatas, quod ab aere intactæ non fuerint, ut ipſi fetui eadem fere de cauſa contigit, quod ſatis ſuperque eſſe videtur ad confirmandam illorum ſententiam, qui a ſecundinis, aut earum fruſtulis in utero remanentibus diuturnas uteri hæmorrhagias repetentes, niſi opportune ejiciantur, incurabiles pronuntiarunt.

VI. *Ubi morbus a nimia plenitudine exoriatur, vireſque conſtent, ſola venæ ſectio ex brachio large celebrata.*] Optimum auxilium ad uteri hæmorrhagias profligandas reperiri in venæ ſectione & Ludovici Mercati (z), & Roderici a Caſtro, (a) & Raymundi Jo. Fortis (b) & Lazari Riverii, (c) & Jacobi Meſnard (d) teſtimonio conſtat. Nullum vero eadem aut efficacius, aut pro ægrotantium opportunitate valentius eſſe remedium docere olim viſus eſt Hollerius (e) inquiens. *Multas vidimus, quæ detracto ſanguine multo e vena convaluerunt, cum nullis aliis remediis poſſet reprimi fluxus ſanguinis.* Quo loco animadverti velim venæ ſectionem poſſe nimio menſium fluxu laborantibus opem ferre vel cauſas removendo, vel ſanguinem ad alia loca repellendo, vel utrumque ſimul præſtando. Cum inter cauſas immodici menſium fluxus non poſtremum locum obtineat plenitudo, ſeu tanta materia, & moles ſanguinis, ut vaſa ſupra modum diſtendat, relaxet, diſrumpat, hæc omnia detrimenta tutiſſime, ac promptiſſime tollere venæ ſectionem adeo manifeſtum eſt, ut nihil ſit manifeſtius. A vero autem non abhorret multum operæ laudiſque in hac ægritudine tollenda deberi venæ ſectioni in contraria parte inſtitutæ, & longe diſſita ab illa quæ laborat, in brachio ſcilicet in caſu propoſito uteri affecti. Cujuſce rei ſtatus melius patebit, ſi conſideremus ſanguinem a corde duplici modo propelli in ſuperiores videlicet corporis partes per ramum Aortæ aſcendentem, atque in inferiores per ejuſdem inflexionem. Cum igitur venam brachii ſecamus, ſanguinem qui per axillarem arteriam advehitur minus a præcedente impediri, & amplius in vaſis ſpatium nactis velocius per ea vaſa moveri perſpicuum eſt, quam per reliqua omnia: Minorem igitur reſiſtentiam ad ſuperiores corporis partes inveniens ſanguis, quam ad inferiores illuc velociter accurret, atque inferiorum partium vaſa uteri nempe depleta priſtinum Eutoniæ ſtatum acquirere poſſunt, atque ea ratione coarctari, qua novo fluenti ſanguini exitus præcludatur. Ubi igitur morbus a plenitudine ſanguinis exoriatur, dum venæ ſectione materiem, & molem ſanguinis minuimus, eumdem etiam a parte affecta revellimus, quæ emolumenta tanti faciebat Helvetius, (*f*) ut licet neminem ſimilem operam de quovis alio remedio polliceri ſibi poſſe diceret, ac ipſum de ſui ſpecifico, non ſolum tamen unam, aut alteram ſanguinis miſſionem quoties ægræ mulieres multo ſanguine refertæ viderentur, eidem præmitteret, ſed id etiam ad omnimodam curationem ſufficere, ſi morbus a nimia vaſorum plenitudine, atque ſanguinis rareſcentia exoriretur, haud dubie affirmaret. Non poteſt autem certa mittendi ſanguinis men-

(z) *De mul. affect. lib. 1. cap. 8.* (a) *De morb. mul. par. 2. lib. 1. cap. 5.*
(b) *De morb. mul. de profl. menſ.* (c) *De morb. mul. lib. 15. cap. 3.*
(d) *Cap. 3. ar. 7.* (e) *Com. ad aph. 1. Hipp. ſec. 5.*
(f) *Recueil de diu. meth. tom. 1.*

menſura definiri hiſce in caſibus, ſive illa una ſimplici venæ ſectione, ſive pluribus ſit detrahendus, niſi ad morbi cauſam, & virium robur reſpiciatur. Si enim morbo anſam dederit inſignis ſanguinis copia, ut ante dictum eſt, aut efferveſcentia, vireſque ſint validæ, large quidem detrahendus eſt ſanguis, non tamen uſque ad animi deliquium, ut docuit Boerhaavius (g) & uti Galenus in ardentibus febribus, in maximis phlegmonibus, & acutiſſimis doloribus præcipiebat; qui mos noſtris temporibus obſolevit, præſertim vero in gravidis, quæ ſæpiſſime ob placentæ avulſionem immodico fluxu laborant, quæ adhærere rurſus uteri parietibus nequit per deliquium, ſed ea ratione, qua vires ad ſuſtinendum profligandumque morbum tantopere neceſſariæ plus quam par eſt collabantur.

Parcius & repetitis vicibus, ſi vires infirmæ ſint.] Secus res erit, ſi ſanguine parum abundet mulier, ut citra erroris ſuſpicionem affirmare non valeamus plenitudinem morbo occaſionem præbere, aut vires ſint adeo infirmæ, ut larga venæ ſectione periculum ſubſit, ne omnino concidant. Quarum rerum conſideratio poſtulat, ut eam ſanguinis detrahendi menſuram, quam fluxus vehementia indicaret, in plures venæ ſectiones partiamur, ut nempe poſitis intervallis vires recolligantur, atque ad novam ferendam evacuationem fiant alacriores, ut egregie docuit Platerus (*h*) a Pitcarnio in hac parte ſequutus (*i*), qui poſtquam *exigua*, inquit ille, *ſanguinis quantitas emittenda erit, & ſucceſſive per vices*, ſubdit: *hoc potius faciendum, quam una vice multum ſanguinis emittendum, cum alioquin corpus per hæmorrhagiam exhauriatur*: unde ſalubre medentibus conſilium reliquit: *Prodeſt in mittendo ſanguine hac cauſa vulnus ſæpius digito occludere, dein aliquantulum ſanguinis emittere.* Quod quidem novum inventum non eſt, cum Riverius ipſe (*k*) antea docuerit inquiens: *Phlebotomia revulſionis gratia in brachio celebranda eſt partitis vicibus, & digito per vices foramini admoto.* Quo loco fateor me non ſine admiratione accipere potuiſſe, quod in hanc rem tradidit Etmullerus, qui Lindanum ſectatus morem detrahendi ſanguinem in immodicis menſium fluxibus ad ſanguinem repellendum altiori voce damnavit, & e medio tollere quantum illi fas fuit conatus eſt. Præterquamquod minime ſuſpectum auxilium eſſe rationes ſupra allatæ evincunt, obſervationes præterea cum multæ, ac frequentes, tum certæ ac conſtantes ita opportunum confirmant, ut qui noſtris temporibus aliter ſentiat ſomnia narrare videatur. Objiciat ille quidem peſſimum eſſe *ſanguinem ex nimio fluxu deficientem ulterius imminuere*: potius curandum eſſe, *ut removeantur cauſæ fluxum ſtimulantes*: noviſſe *a venæ ſectione fluxum fieri vehementiorem*: Si ad ea diligenter attendas, quæ circa tutum venæ ſectionis uſum allata ſunt, nullus dubito quin nunquam ſine ſucceſſu eamdem adhibeas.

Immo ſæpius recurrente morbo, cachexia vigente, aut etiam phlebotomiæ vim eludente. &c. Solæ cucurbitulæ &c.] Præterquamquod largam venæ ſectionem tunc ſolum locum habere dictum eſt, cum immodicus Menſium fluxus a nimia ſanguinis plenitudine ortum traducit, aut efferveſcentia, & ad tollendam morbi cauſam, cujus tantopere ſollicitus eſt Etmullerus, parcius, & partitis vicibus eamdem inſtituendam, cum vires infirmæ ſint, quarum ope ſanguinis diſpendium metimur, ne plus æquo deficientem ulterius ex-

H 2 hau-

(g) *Prax. par.* 5 *ſ.* 1307. (h) *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5.
(i) *Elem. med. lib.* 2. *cap.* 11. (k) *Lib.* 15. *cap.* 3.

hauriamus, quod tam alte idem condemnat, accedit præterea nec unquam eam adhibendam nos decreviſſe, ſi aut ſæpius recurrat morbus, & cachexia vigeat, ideoque juſtus ſubrepat timor, ne repetitis venæ inciſionibus ſpirituum jactura inſigni facta partes ſolide ita flacceſcant, feroſæque ac tenuiores humorum particulæ a reliquarum nexu ſecedentes ita per vaſorum tunicas elabantur, ut hydropi viam, aditumque citius præbeamus; ſi tandem obſervatione, & experientia compertum fuerit, in hac, aut illa Muliere a phlebotomia fluxum aut cieri copioſius, aut vehementiorem fieri, quo fere argumento adduci poſſumus ad credendum, etiamſi ſanguis alio avocetur, aucto tamen acceleratoque curſu ictus partium ex quibus conſtat fortiores & crebriores fieri tum inter ſe, tum inter latera vaſorum (quod præſertim contingit in aduſtis, bilioſiſque temperamentis tenui fluido plurimaſque partes ſulphuris continente præditis) atque hinc calorem, efferveſcentiam, expanſionem, a qua ſæpiſſime immodicus Menſium fluxus proficiſcitur, augeri, aut confirmari. Tunc vero ſalubre Hippocratis conſilium cenſemus (*l*) qui cucurbitulas ad mammas apponendas ſuadet. Quo loco quæſtio occurrit inter practicos haud ignobilis. Nonnulli Barbettam (*m*), ac D. Bellegarde (*n*) ſectantes contendunt, cucurbitulas mammis appoſitas non ſolum feminis hæmorrhagia uteri laborantibus prodeſſe poſſe, ſed eiſdem apprime noxias eſſe, ideoque plane ejiciendas, atque hi quidem rem ſic explicant. Mammæ quibus Cucurbitulæ apponi debent exquiſitiſſimo ſenſu ſunt præditæ, ideoque verendum eſt, ne irritatione in nerveas fibras inducta, ex quibus conſtituuntur, inflammatio facile ſubſequatur: deinceps rationes ex Anatome deſumptæ, quibus earum operandi ratio clare eluceſcat nullæ ſunt. Plerique alii id ferendum non putant, ac pro Cucurbitulis, ut Hippocrates præcepit mammis apponendis dimicant. Hi fere ſunt Riverius (*o*) Jo: Fortis (*p*) Platerus (*q*) Freindius (*r*) aliique omnes, quibus libentiſſime aſſentimur. Idque ita in animum induximus propter obſervationes multas, & accuratas, & perpetuas, quod argumentum ſemper eſt in Medicina certiſſimum, inſtantibus menſtruis purgationibus non ſolum dolorem, calorem, pondus ſentiri in lumbis, ad pubem, ad inguina, ſed mammas turgere, fluentibus vero Menſibus pro more detumeſcere, quo non ſolum ad ſuſpicandum, ſed ad credendum vehementer adducimur, hæc omnia ex vaſorum uteri, & adjacentium diſtenſione exoriri, cum quibus inſignem habent communionem mammaria vaſa, quæ fluentibus. Idcirco Menſibus, ac ſanguine ad dicta uteri vaſa delato detumeſcunt. Qui conſenſus plane mirabilis cum Hippocratis auctoritate nititur, tum experimentis ſolertiorum Anatomicorum ita firmatur, quemadmodum præſertim Hallerus oſtendit, ut ſi dicamus cucurbitulis mammis appoſitis, atque aere per ignem accenſum intra Cucurbitulæ ventrem rarefacto, illius particulas, quæ intra ſanguinem aliaſque partes continentur cucurbitulæ ſubjectas ſeſe expandere, in tumorem attollere, ſanguinem ex uteri vaſis illuc repellere, atque hinc inſignem revulſionem facere, nihil veroſimilius afferre poſſe videamur (*t*).

Quid

(l) *aph.* 5. 50. & *epid.* 2. 6. (m) *prax. lib.* 4. *cap.* 13.
(n) *Traitez noveaux de Medicin. du flux. period. immod.*
(o) *Prax. lib.* 15. *cap.* 3. (p) *De morb. Mul cap.* 2.
(q) *Prax. tom.* 3. *de ſanguin. excret. cap.* 5. (r) *Em. cap.* 13.
(ſ) *De Menſtr. tex.* 666. (t) *Vid. lib.* 3. *cap.* 7. *com.* 7. *pag.* 85.

Quid quod nullum inflammationis periculum ſubſit, ſi eæ cautiones diligenter ſerventur, quas tradit Hippocrates, (*u*) ut nempe *cucurbitula quammaxima ad mammas apponatur, cujuſque magnitudo commoda ſit juxta corporis partes, quibus admoveri oportuerit*, ſeu cujus ora ita ventri ſit proportionata, ut totam, aut fere totam mammam comprehendat, quæ idcirco attolli ſine dolore poſſit? Si moleſti adhuc adverſarii reponant a cucurbitulæ applicatione difficultatem reſpirationis facile oriri poſſe, quæ ejus uſum prohibeat, præſto eſt Hippocrates ipſe, qui (*x*) eamdem modo quidem dextra, modo ſiniſtra parte adhibendam docet, ſeu non prius alteram applicandam, quam prius appoſita fuerit detracta, & ut omnes difficultates declinemus, ſi plures non mammis, ſed infra ipſas, aliaſque partes, quæ minus exquiſito ſenſu ſunt præditæ applicentur, ad ſcapulas, ad brachia, ut Platerus, Freindius aliique ſunt opinati, quæ ad revellendum ſanguinem ab uteri vaſis æque ſunt efficaciſſimæ.

Immo ſi vires penitus exhauſtæ ſint vincula ſupra genua injiciantur.] Sed jam agemus largius, & remedium antiquiſſimum ab Hippocrate commendatum, quem Galenus, Aetius, Paulus Ægyneta, Avicennas, Capivaceus, aliique in hac parte ſequuti ſunt, quodque loco Cucurbitulæ Mammis applicandæ proponit cl. Barbetta (*z*) vincula nempe ſupra genua injicienda concedemus, ubi vires præ fluore ſanguinis ita collapſæ ſint, ut revulſio per venæ ſectionem, aut Cucurbitulas ferri nulla ratione poſſit, quarum Boerhaavio adnotante laus eſt, ſanguinem, qui ab arteriis advehitur, ſiſtere in venis, atque propterea hæmorrhagiam uteri præpedire penitus, aut plurimum ſaltem imminuere. Neque audiendum hac in re cl. Waldſchmidium traderem, (*a*) qui quod *per ligaturas ſanguinis circulatio depravatur, & impeditur, unde varia mala accerſi poſſunt ægrotanti*, earum uſum condemnat.

Quid enim morbo deterius, aut pro ægrorum pernicie efficacius eo, per quod una cum ſanguine ſpiritus effluit, ac vita definit? Sin minus vincula arrideant, cur ad ſimpliciſſimum aliud remedii genus a præſtantiſſimo Hofſmanno propoſitum, balneum ſcilicet, cui brachia immergantur, ut ſanguinis impetus ad exteriora revertatur, quodque efficacius eſſe ipſis Cucurbitis ad mammas applicatis, teſtatur, ubi opus fuerit confugiendum non ſit, omnino non video. Frictiones aſperas alia ne ratione operari cenſeas, quam dolorem iis partibus, quibus applicantur, inducendo, ut de ligaturis dictum eſt, per quem adnotante Pitcarnio (*b*) plurimum ſanguinis ad eaſdem continenter affluit? Si ita res habet minore impetu ſanguinem ad uterum propelli deberi, ſi brachiis, & ad ſcapulas applicentur, atque hinc vaſa minus diſtenta facilius contrahi, & ſanguinem intra ſua latera coercere poſſe perſpicuum eſt. Optime propterea a Freindio dictum, Menſium fluxum cohibere factam in brachiis revulſionem, *ſive per venæ ſectionem ea fiat, ſive per frictiones, ſive per Cucurbitas.*

VII. *Interim ubi ſanguis raritate peccat, & expanſione præmiſſo ad alvum ſolvendam ſi opus ſit ſero lactis tamarindato &c.*] Docet Hippocrates (*c*) *Mulieri ſanguinem evomenti menſtruis erumpentibus ſolutionem fieri*: Revulſione enim quadam naturali excitata, ideoque ſanguine tum imminuto, tum uberius ſurſum ducto vaſa uterina premi minus, atque hinc facile occludi cen-

ſen-

(u) *De Medic. n. 6.* (x) *De morb. Mulier. 2. 5. 5.* (z) *Loc. cit.*
(a) *De morb. Mul. cap. 27.* (b) *De ſang. miſ.* (c) *aph. 32.*

ſendum eſt, ut laudatus Freindius oſtendit. Si Hippocratis ducti auctoritate, quam Freindii ratio confirmat nonnulli arte excitandum vomitum ſibi in animum inducant, dici vix poteſt, quam male ægrotantium incolumitati ſtudeant. Cum enim vomitum excitandi vim habeant, quæ ſtimulandi vi prædita ventriculi fibras ad violentas, & inordinatas contractiones ſollicitant, quæque validas etiam convulſiones tunicæ Muſcularis inteſtinorum, Duodeni præſertim, Muſculorum Abdominis, & Diaphragmatis inducunt, menſes promovere potius, quam ſiſtere haud intutum crediderim pronuntiare. Neque abſimilem fortaſſe operam polliceri quis ſibi valet ab uſu purgantium, quæ cum acrius inteſtina irritent, eorumque tum motum periſtalticum ad crebriores corrugationes, tum etiam glanduloſos folliculos, & viſcera imi ventris ad copioſiorem ſuccorum, quos continent, effuſionem ſollicitent, ſanguinis quoque fluxui ex utero promovendo opportuniſſima exiſtunt. Quid ſi validiora ſint, & non acribus ſolum, & fere cauſticis particulis inteſtina vellicent, ac pæne corrodant; ſed præterea in venas lacteas, & inde in ſanguinem invecta, teſtante Pechlino (*c*) ejus texturam ſolvant, atque agitationem in ipſum inducant? Non ſolum nempe humores fuſos uberius ad inteſtina confluere, ſed ipſum ſanguinem magis attenuatum, atque ſolutum ex uteri vaſis copioſius effluere oportere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior fit nulla. Quapropter ubi alvus ſolvenda videatur, ne induratæ fæces, dum difficulter ejiciuntur preſſione violenta Muſculorum Abdominis ipſa ipſius ſanguinis ex utero excretio promoveatur, id iis potiſſimum medicamentis præſtandum traderem, quæ mitiora ſunt, quæque humoribus bilioſis evacuandis, & ex maſſa ſanguinea præcipitandis, ejuſque nimiæ efferveſcentiæ compeſcendæ ſunt opportuni. Hac potiſſimum virtute donantur Tamarindi ſuavi acore præditi, qui ſive ſero lactis decoquantur, ſive in pulpam redacti cum floribus Caſſiæ miſceantur, in caſu propoſito nimiæ raritatis ſanguinis, & expanſionis ad prædicta obeunda munera opportuniſſima exiſtunt. Quid porro Clyſteribus tutius, ſi ea ratione, aut ferme ſimili parentur, qua docuit cl. Redius (*d*) aut Malpighius paſſim in conſultationibus? Sed jam ſi vomitum velint, libens concedam, dummodo radice Ipecacuanhæ excitandum ſuadeant ob eas ipſas rationes, quibus Dyſenteriæ mederi alibi a nobis demonſtratum eſt. (lib. 3. cap. 3. n. 19.) *Nitrum puriſſimum, nitrum corallatum &c.*] Quemadmodum in nimia ſanguinis redundantia nullum efficacius remedium ſuppetit ad immodicum ſanguinis fluxum ex utero ſiſtendum inſtituta venæ ſectione, aut cucurbitulis habita virium ratione applicatis, ſaltem ad ejus impetum divertendum, atque ad alias partes revocandum, ita ubi ſanguis nimia raritate peccat, & expanſione, ea quæ refrigerandi ſeu ſanguinis æſtum demulcendi virtute donantur auxilio ſunt efficaciſſimo. Inter quæ nitrum eminet, & omnia ex eo parata medicamenta, quorum pulcherrima laus eſt, ut alibi diximus, (*e*) ſanguinis motum compeſcere, fervoremque temperare, quod ad blandam ſanguinis motus retardationem efficiendam, atque hinc propterea ſanguinis evacuationem ſiſtendam opportuniſſimum exiſtit, ut Riverii, Mynſicht, præſertim vero G. Erneſti Stahlii (*f*) experimentis, atque obſervationibus compertum eſt. At nihilominus ſuſpectum remedium eſſe in Menſium fluxu non pauci repe-

(c) *de purgant. exerc. cap.* 12. (d) *Tomo* 4. *lettere*.
(e) *aph. lib.* 2. *cap.* 2. *ſect.* 9. (f) *diſſert. de nitr. uſu medico polychreſto*.

reperiuntur, qui hiſce quoque temporibus afferant. Anſam iis dedit Liſterus (g) qui experimentis ſe didiciſſe affirmat aliquid ignei, & cauſtici in nitro ineſſe. Liſtero Veteres, qui nitrum cauſticum dixerunt, cujus propterea vim corrigere plerique noſtrum contenderunt eumdem cum ſulphure vulgari comburendo, aut antimonium admiſcendo, ut aliqua ejuſdem pars deflagraret: ſed perperam: præterquam enim quod commentitiam eſſe hanc igneam, & cauſticam qualitatem præclare oſtendit D. Geoffroy; (h) accedit præterea hiſce, aut ſimilibus præparationibus volatiliorem nitri partem amitti, a qua fortaſſe magna vis virium nitri dependet, ideoque depravari potius, quam emendari, ut toties a nobis eſt demonſtratum. Simpliciſſima autem videtur ea nitri præparatio, quæ fit additione ſalis corallorum, cum utrumque aqua prius fuerit ſolutum, quæ ſpecifici nomine ad ſanguinem corrigendum a Travagino appellatur: quæque ubi nonnihil adſtringendum Medentibus videatur in enormibus ſanguinis rejectionibus ad eaſdem ſiſtendas opportuniſſima eſt. Sed de corallis plura infra. Atque hactenus quidem enarrata emolumenta obtineri facilius poſſe judicaverim, ſi aut nitrum puriſſimum, aut corallatum ex decoctione, aut aquis ſtillatitiis plantarum exhibeatur, quæ non ſolum ratione ſalis nitroſi, aut armoniacalis operantur, & quæ quoniam nimium fervorem, motumque humorum compeſcant, inter refrigerantia recenſentur, ſed vulneraria, ac balſamica quoque virtute ſunt prædita. Ejuſmodi ſunt plantago, portulaca, burſa paſtoris &c; quibus accenſendum ſperma ranarum, ex quo diligentius ſtillatam aquam, nitroque puriſſimo ſauciatam non parum proficuam eſſe experientia conſtat. Hanc inſignis facultas nimium ebullientis ſanguinis orgaſmum, qui a concitatiori ſulphurearum partium motu proficiſcitur, vel in eryſipelatoſis affectionibus compeſcendi claram fecit. Magis elucet hæc eadem vis in aqua ſperniolæ, quam ſua frigiditate ſanguinem coagulare Crollius teſtatur, atque cum ad ſiſtendam hæmorrhagiam internam e naribus, & gutture, ubi omnia deſperata ſunt, tuto exhiberi tradit, tum ad contumaciſſimum Muliebre profluvium valere plurimum reputat.

Vt fungum melitenſem prætereaum, qui in omni hæmorrhagia &c.] Vid. lib. 2. cap. 2. com. in aph. 11. pag. 23.

VIII. *Si vero fluxus ab hoc fonte proficiſcens adeo vehemens ſit ut &c.*] Si D. Helvetium audimus, mira fere de ſui ſpecifico prædicat contra ſanguinis vomitum, hæmopthiſim, fluxum hæmorrhoidalem, naſi hæmorrhagiam, aliarumque partium, ad quas tuto, cito, & jucunde, ut ait Celſus profligandas nullum Medentibus par remedium innoteſcere contendit. Ejus commendationibus cum certiſſimæ obſervationes D. la Mothe præclare reſponderint, tantam famæ celebritatem ſucceſſu temporis ſibi comparavit, ut ſi quid in ſummis rerum anguſtiis, & in deſperatis fere Menſium profluviis ſperandum iis videretur, ab hoc uno remedii genere ſperare ſe jure merito poſſe confiderent. Non defuere tamen, qui ejus pretium plurimum imminui putarunt ex eo quod ceu univerſale remedium cujuſcumque ſanguinis hæmorrhagiæ a quovis fonte prodeuntis, vel a ſpaſmodicis nervorum contractionibus liberum ſanguinis curſum præpedientibus, eumque ad uterum; aliarumque partium vaſa aperta, aut diſrupta impellentibus, aut a ſanguine minus

(g) *Differ. de humor. cap.* 31. (h) *Mat. Med. p.* 1. *cap.* 2. *de foſſil.*
(i) *Baſil. Chym. p.* 356.

minus ad fluendum prono medelam fecerint; quibus acquieſcere nullo modo poſſunt. Quæſtio vix dirimetur, niſi quid ſit ſpecificum, quaſque vires habeat prius aſſequamur. Specificum fere eſt, quod trado.

℞. Alumin. rupei clarif. ℥ ii.

Sanguin. Dracon. in lachrym. ℥ .s.

Alumen fundatur in vaſe terreo ſuper prunas accenſas, & poſtea ab igne ablato addatur ſanguis Dracon. ſ. p. & ſpatula ferrea probe miſceatur, dein formentur vel pillulæ, vel frigefacta maſſa pulvis, ex quo molliores pillulæ cum ſyrup. de roſ. ſic. ubi opus fuerit reformentur. ad ʒ .s. in moderatis hæmorrhagiis omni quadrihorio exhibendæ, in enormibus omni bihorio; poſt pillulas cyathum aquæ, cui modicum panis admixtum fuerit, aut decoctionem conſolidæ majoris, hederæ terreſtris, plantagin. urtic. flor. hyperic. ſuperbibat. Vidi Mulierem, quæ ſpecificum ferre nullo modo poterat propter vomitum ſupervenientem, niſi ex Chocolatæ potu gelido, quod apprime commodum in dicta ſanguinis raritate, quam frigida egregie compeſcunt. Fluxum plerunque poſt quartam, aut quintam pillularum doſim imminui parumper, ac ſenſim ſenſimque ſucceſſu temporis deficere, abſque ullo intrinſeco ſymptomate ægris moleſto afferit, ſi leves nonnullas circa præcordia anxietates excipias, quas tamen nauſea inſignis cum irrito vomendi conatu nunquam excipiunt, & alvi plerunque ſtypticitatem, quæ clyſteribus ex aqua hordei, aut juſculo cum ſaccharo rubro, & oleo communi eſt pertractanda, ne induratis fæcibus in dejiciendi conatibus vaſa rurſus dehiſcant nova atque increſcente ſanguinis effuſione. Quas vires habeat facilius innoteſcet, ſi aluminis naturam prius expoſuero. Eſt autem alumen, ut oſtendit Schroderus (*k*) ſalſugo terræ mineralis naturæ ſaturninæ, conſtans ex ſpiritu acido, & ſale terreſtri cauſtico, unde ejus uſus a Veteribus uſque Medicis Hippocrate, Dioſcoride præſertim commendatus non ſolum ad potentiſſime adſtringendum, quod ex particulis ipſius acidis cum terra ſtrictiſſime conjunctis pendere videtur, ſed quod ex ſalinis cauſticiſque ad carnis quoque excreſcentias extenuandas, ad ulcera detergenda. Quam alterationem in ſanguinem inducere valeat nulla meliori ratione colligi poſſe perſpicuum eſt, quam præclara experimenta ad trutinam, ut ajunt, revocando Jo. Antonii Stancarii, alibi laudati (*l*) qui cum alumen ſanguini e vena extracto affudiſſet, concreſcere eumdem, colorem obſcurum induere, atque in grumos cogi haud injucundo ſpectaculo deprehendit; cum reliquo ſanguinis in quodam vaſe adſervato eo conſilio, ut hujus cum illo comparatione facta, quæ in ſanguine mutatio ſequuta eſſet, appareret, nihil ei ſimile accidiſſe noverit. Cum vitriolum, quod ab alumine parum, aut nihil omnino differt ad experimentum adhibuiſſet, eamdem ſemper mutationem vidiſſe teſtatus eſt. Hæc potiſſimum effecerunt, ut medicamenta ex vitriolo, & alumine deſumpta, uti de Opio dictum eſt, in ſputo cruento, in fluxu hæmorrhoidali minus tuta decreverimus, ne ſcilicet coactus ſanguis in viſcus aliquod congeſtionibus, tuberculis, inflammationi, aliiſque morbis occaſionem præbeamus opportuniſſimam, ad quam avertendam poſtquam cavendum eſſe docuit egregie cl. Geoffroy (*m*) ne incaute, (nempe aluminis uſu) ſanguinis profluvia cohibeantur, venæ ſectionem

(k) *pharm. med. chym. lib. 3. cap. 24.*

(l) *lib. 2. cap. 2. p. 23. & lib. 3. cap. 7. p. 87.* (m) *Mat. med. t. 1. p. 1. cap. 4.*

nem & ante aluminis exhibitionem, & nonnunquam etiam poſt cohibitam hæmorrhagiam celebrandam eſſe aſſeveravit. Adſtringendi vim maxime inſignem etiamſi extrinſecus adhibeatur alumen adeo veritus eſt Riverius ipſe, ut collyrium ex alumine præparatum contra oculorum inflammationem poſt duas treſve horas auferendum eſſe doceat, ne humores in oculis retenti malum priore multo deterius inducant. Ex his liquido conſtare arbitror omne quæſtionis momentum in eo verti, ut primum quanto ſerius fieri poſſit ad Helvetii ſpecificum in uteri hæmorrhagiis Medentes confugiant, & tunc ſolum, cum præ earum vi, atque impetu in mortis diſcrimine conſtituuntur; ubi vero nulla interpoſita mora adhibendum ſubtilius noverint, ſedulo, & accurate perpendant, quas cauſas morbus agnoverit, an ſanguinis raritatem, atque effervefcentiam, qui colore rubro vivacique potiſſimum ſe prodit, quibus vitiis tollendis præſtat alumen, cum ad concreſcendum diſponat, ejuſque maſſulas nectat, & cogat. Scire etiam oportet intereſſe plurimum ſpaſmos, doloreſque abeſſe argumento prope certiſſimo nullum eſſe ſanguinis ad fluendum impedimentum, liberam eſſe quaquaverſum ſanguinis circulationem, ideoque minus verendum, ne ab adſtringente aluminis virtute maxime inſigni eadem magis magiſque perturbetur, congeſtiones in viſceribus ſubſequantur aliis graviſſimis morbis anſam daturæ. Cæterum cum res fere conclamata ſit, cur movere non debeat, quod vulgo invaluit: *Melius eſſe anceps experiri remedium, quam nullum*, omnino non video.

IX. *Dum interim in priore caſu ſpongiæ aqua Fabrorum, aut aceto imbutæ regioni hypogaſtricæ &c.*] Topicis medicamentis eundem in finem, quo intrinſeca paſſim adhibentur, uti conſueverunt Veteres fere Medici, ut ex Galeno conſtat (*n*). Balnea, fomenta, peſſaria, injectiones in horum cenſu veniunt: balnea quidem, & fomenta extrinſecus uteri regioni, peſſaria vero, & injectiones in ipſam uteri vaginam intrudenda, quæ duo multo efficaciora cenſentur. Ipſis enim vaſis dehiſcentibus, apertis, diſruptis, aut alia ratione affectis applicata viribus ſuis integris operari videntur. Quamquam ſi Riverium (*o*) audimus peſſaria vix adhibenda ſuadet, niſi venæ cervicis uteri apertæ ſint, cum ad orificia venarum uteri vix poſſint pertingere. Sed illud etiam accedit a Mulieribus ægre admodum ferri. Cum enim peſſaria rotunda ſint corpora digiti longitudinem æquantia ex adſtringentibus rebus compoſita panno ſerico, bombace, linteo, aut lana exceptis involutiſque in uterum intrudenda tædio, aut moleſtiæ iiſdem eſſe conſueverunt. Qua de re factum eſt, ut eorum loco nonnulli Hollerium ſectantes (*p*) lintea adſtringentibus ſuccis imbuta in dictas uteri partes intrudenda ſubſtituere ſatius duxerint. Cum his autem hac de re dimicare nolumus, dummodo tamen & ii concedant, quod volumus, ubi injectiones, aut peſſaria locum habere poſſe videantur, ea procul dubio topicis aliis eſſe anteponenda, quæ docente Platero (*q*) quamvis uterum minime ſubintrent, tamen vires eo uſque extendunt: atque illa quidem, quæ cauſis morbum efficientibus foventibuſque, aut ipſius vehementiæ opponuntur. Ita quemadmodum in leviori caſu immodici Menſium fluxus a nimia ſanguinis raritate, & expanſione prodeuntis injectionibus ex aquis vulnerariis, & leniter adſtringentibus ſufficere viſæ ſunt, in graviori altero ad validiora adſtrin-

I

(n) *Meth. Med. lib.* 5. *cap.* 5. (o) *Loc. cit.* (p) *De morb. int. lib.* 1. *cap.* 58. (q) *Prax. Med. tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5.

ſtringentia deveniendum aluminoſis, & vitriolatis mixta, in graviſſimo ad aluminoſa & vitriolata nulla interpoſita mora, de quibus alibi dictum eſt. (r)

X. *Aqua quæ loco potus ordinarii adhibetur in hoc caſu ſit frigida ſyrupo aciditatis citri &c.*] Aquam ſimplicem ad tollendam ſanguinis humorumque acrimoniam vaſa uteri corrodentem alteram quaſi Græcorum Latinorumque panaceam efficaciſſimum remedium ſi quod aliud nonnulli prædicant, miriſque laudibus extollunt. (ſ) Ubi tamen fluxus Muliebris a tenui nimis, ſeroſoque ſanguine ortum traducit non ſine maximo ægrotantium periculo exhiberi poſſe afferere non dubitarunt, quas incraſſantis victus generis, ſeu mavis exſiccantis gubernandas eſſe pronuntiant. Et vero prætermittendum non eſt, quod ſumma cum ratione dixiſſe videntur, cum aqua primum humidum ſit, ac cæteris corporibus, quæ diſſolvit, humiditatem conciliet, illud plane ſequi oportere, ut quanto plenius aqua ingurgitatur, tanto tenuior, & fluidior ſanguis reddatur. Huic tamen adverſantur experimenta, quibus compertum eſt aquam poſſe aliqua viſciditate, & lentore donari, aquam ſalitam, ardentes ſpiritus ratione ſalinarum, ac ſulphurearum partium, quibus imbuuntur multo fluidiores eſſe aqua ſimplici. His cum obſervationes egregie reſpondeant, quibus conſtat eos, qui temperamento donantur præhumido ſanguinem etiam nec ſumme fluidum, nec ſumme tenuem habere, ſed viſcidulum potius, ac lentulum, nihil veroſimilius afferre poſſe videamur, quam ſi dicamus, aquam inter ea, quæ tenuitatem, & fluiditatem ſanguinis adaugent minime recenſendam eſſe. Neque ſane nos fallunt rationes multæ eæque potiſſimum deſumptæ a naturali ſanguinis fluiditate, quæ non a ſola aqua, ſed a ſulphuris ſaliniſque partibus in ea ſolutis, præſertim vero a circulari ſanguinis motu conſervatur; videmus ſiquidem dum ſanguis e venis educitur cogi, & in partes diverſas ſecedere. Cum igitur plurimum aquæ in ſanguinem invehatur, ejuſdem ſalia, & ſulphura dilui debere perſpicuum eſt; vapidum & inſulſum liquorem evadere, ac conſequenter viſcidulum, & lentulum. Quid quod diluto ſanguine, ac fere inſipido reddito, ideoque ad ſtimulandum impari ſolidæ partes in eas crebriores, vehementioreſque contractiones adigi nequeat, quibus vel naturalis fluiditas, atque ſolutio conſervetur? Quæ cum ita ſint, etiam me tacente facile omnes intelligunt, cum nimius fervor, atque orgaſmus morbo occaſionem dederit nullum aqua efficacius remedium reperiri Medentibus datum eſſe, aut pro ægrotantium opportunitate valentius. Eoque magis ſi frigida ob mitem, quam acquirit adſtringendi, ſeu mavis corroborandi virtutem, & ſyrupo aciditatis citri, ribium, berberum, aliorumque ſimilium acidorum corporum admixtionem alterata propinetur, quorum etiam pulcherrima laus eſt vires reficere, atque putredini prævalide obſiſtere, a qua enormes quandoque evacuationes proficiſcuntur, quas teſtante Alpino egregie compeſcunt. (t)

XI. *Si acrimonia, tenuitas, fuſio ſit morbi cauſa, tunc electuarium ex ſeminibus papav. alb. bol. armen. coral. &c.*] In hæmorrhagiis ſiſtendis a levioribus medicamentis ſemper incipiendum eſſe, quæque paulatim eaſdem imminuunt

(r) *Lib. 3. cap. 7. pag.* 80.
(ſ) *Vid. Paſt. loc. cit. p.* 75.
(t) *V. aph. lib. 3. cap.* 1. *ſect.* 24.

minuunt ſalubre practicorum conſilium cenſemus, ne dum morbo profli-gando anxie ſtudemus, alium multo deteriorem excitemus congeſtiones viſcerum promovendo, quibus in ſummum vitæ diſcrimen Mulieres conjiciuntur, ut præ cæteris Hoffmannus (*u*) teſtatus eſt. Cum igitur venæ ſectione, cucurbitulis, aliiſque recenſitis ad revellendum medicamentis fruſtra laboramus, tunc quæ cauſæ adverſantur ſunt eligenda, ut optato fine potiri valeamus. In horum cenſu veniunt præ cæteris ea, quorum vis eſt in moderate adſtringendo, ſeu laxatum partium tonum reſtituendo, nec non tenuitate ſanguinis, & acrimonia largioris fluxus plerunque cauſa temperanda ac demulcenda. Hinc omni commendatione digniſſimam operam polliceri ſibi quiſque poteſt, ſi electuarium deſcriptum in uſum revocet ex ſeminibus papaveris albi bol. armen. coral. &c. Effrænes enim particulas hauriendo, ac demulcendo acrium, atque erodentium ſpiculorum indolem infringunt, irritatiſque partibus ſemina ſubinde medentur: haud ſecus id genus terrea corpus ingreſſa qua opus, atque occaſio fert non modo reſtituere tonum viſcerum, ſed & acerrimos ſuccos, unde crebro ſanguinis corpuſcula plus æquo attenuari contingit, ac ſolvi ebibere poſſe haud procul omni ratione dixerim. Eadem fere ratione paratur pulvis Heurnii, cujus deſcriptionem in commentario ad aphoriſmos Hippocratis (*x*) exhibet, & quem maximo cum fructu ſe adhibuiſſe refert Hoffmannus. Verum cum ſemen hyoſciami adhibeatur, quod ut alibi oſtendimus (*z*) capiti infeſtum eſt mentis alienationes, aut ſenſuum torpores inducendo, ab eodem abſtinendum traderem, Potius adducimur ad credendum non parum prodeſſe poligonum, urticam. piloſellam, aliaſque plantas paulo validiori, quam ſupra recenſitæ, vulneraria, ac balſamica virtute præditas, quæque paſſim apud Medentes in uſu maximo reperiuntur.

XII. *Quatuor poſt prandium horas aſſumatur pillula ex radic. biſtortæ &c.*] A vero etiam non abhorret, nonnihil operæ, laudiſque in hiſce ægritudinibus tollendis deberi quoque radicibus biſtortæ, & tormentillæ, ex quibus pulvis conficitur ſpecifici titulo inſignitus non exiguæ virtutis ad quaſcumque ſanguinis hæmorrhagias ſiſtendas, etiamſi eædem malignæ fuerint, ut Jo. Ray, Sylvii, Etmulleri, atque præfertim Geoffroy teſtimonio evincitur, qui reipſa in peſte, & malignis febribus Biſtortam, quacum Tormentilla ſæpius conſociatur præſtantiſſimam nuncupat, *ſane quia ſanguinis æſtum compeſcit, nimiamque diſſolutionem ejus coercet tum ſale ſuo aluminoſo, tum etiam bituminoſo ſuo ſulphure, quibus acres maſſæ ſanguineæ ſales retunduntur, irretiuntur*. Mirum autem haudquaquam videatur eodem tempore, quo alia aſſumuntur, eaſdem commendari. Maximi enim momenti eſt, ut remedia cæteroquin ſimpliciſſima ſæpius in die, variiſque horis exhibeantur, ut ſanguis ſenſim ſenſimque vulneraria, ac balſamica tinctura imbuatur, ac vaſa identidem per gradus coarctentur, occludanturque. Ex quibus etiam liquido apparet, cur & maſtiche, & gumi arabicum, & tragacanthum pulmentis addendum dixerim, ut nempe cum cibis ſoluta, quæ ſtomachi amicitia clara fecit, haud ſecus ac balſamica, ac vulneraria facultas facilius Chyli vehiculo ſanguinem ſubeant, ſaleſque acres, atque erodentes retundere, atque vaſa conglutinare valeant.

I 2 XIII.

(u) *Loc. cit. ſect. x.* (x) 5. *aph.* 50.
(z) *lib.* 2. *cap.* 2. *com.* 12.

XIII. Idem dicendum de injectionibus, quæ iiſdem muneribus obeundis opportuniſſimæ exiſtunt.

XIV. *Si dolores, ſpaſmi, ac vigiliæ Mulieres exerceant, vires vero derepente, ac penitus exhauſtæ non ſint tinctura corallorum:......laudano cytoniato.*] Accidit ſæpenumero in puerperio, aut poſt abortum, aut in hyſterica affectione inſignes dolores, ac ſpaſmos Menſium profluvium ciere. Tunc vero ad ea, quæ ſedandi facultate donantur confugiendum eſſe accuratiores Medentes uno ore conſentiunt. Hæc fere narcotica nuncupantur, quæ neque in principio, neque etiam ubi vires a nimia ſanguinis profuſione penitus jam exhauſtæ, imminente fere ſemper animi deliquio conducere ſcriptum reliquit Hoffmannus. Hinc pulverem Heurnii, cujus ſupra meminimus ex ſeminibus Hyoſciami, Papaveris albi aliiſque terreis, & abſorbentibus paratum, & ex cujus uſu laudabilem effectum vidiſſe refert, tunc ſolum exhibendum eſſe, ubi pulſus celer ſit, ac vehemens, atque omnia vi, atque impetu peragantur, contendit. Quo loco animadvertendum eſt, in fraudem facile induci poſſe Medentes, cum in immodicis profluviis pulſus velox quidem frequentius, rarius vero vehemens propter ſanguinis, ac ſpirituum diſpendia eſſe queat, conſequenter ne actiones quidem vi, atque impetu exerceri. Qua in re ſi quid ſentio etiamſi pulſus debilis ſit, depreſſuſque, quod plerunque in hiſce caſibus contingit, dummodo tamen vires derepente, ac penitus exhauſtæ non ſint, & pulſus vix digito tangi poſſit, narcotica adhibenda traderem, atque ea quidem non ex hyoſciami ſeminibus, quæ in Heurnii pulverem, & pillulas de Cynogloſſa recipiuntur, ſed ex ipſo Opio, aut ejus præparationibus, inter quas laudanum eminet, iiſque non ſolis, ſed cum iis conſociatis, quæ leniter adſtrigendi, ac conſolidandi virtute donantur, c. m. ſunt cytoniorum ſuccus, ex cujus mixtione cum opio laudanum cytoniatum emergit, tincturæ ex corallis elicitæ, aquæ vulnerariæ, aliaque ſupra recenſita. Quid porro detrimenti verendum, ſi ea quam propoſuimus doſi parca admodum & refracta ægrotantibus exhibeantur? Nempe non opii correctio, ſed doſis eſt æſtimanda, quæ ſi a prudenti Medico eligatur, non ſolum id habet eximii, ut nocere non poſſit, ſed quod ſummopere exoptandum, ut tutiores, laudabilioreſque effectus edat, ut egregie demonſtravit Elias Camerarius (*a*). Quid ſi paulatim, in dies tamen ſingulos propinentur? Parcam nimirum eorum doſim repetitam, & pro rei neceſſitate aliquandiu continuatam multo magis prodeſſe, quam largam, liberalem, & ſemel exhibitam tam certum eſt, quam quod certiſſimum, ut cl. a Rega (*b*) præclare demonſtravit. *Aut melius adhuc tinctura corallor. anodyn. Helvet. ex aq. Aurantiorum viridium*. Tincturas corallorum parvi faciendas cl. Geoffroy ducti auctoritate alibi oſtendimus. (*c*) Verum quod effeciſſe conſtat ad demonſtrandam corallorum virtutem in abſorbendo inſignem, ſi trita in uſum vocentur, lactiſque corruptione præcavenda in ſtomacho, deinceps vero ad ſubtrahendum Chymicis laborem in tincturis corallorum obtinendis, quandoquidem ubi abſorbendi, & leniter adſtringendi; ſeu mavis roborandi indicatio adeſſe videatur, coralla in tenuem pollinem redacta votis reſpondere ſatis apte valent, ubi vero fluidorum, ſolidorumque motus nimius compeſcendus eſt, atque ſanguinis immodicæ evacuationes

(a) *Siſtem. caut. med. therap. cap. 6.* (b) *Accur. med. met. aph. 874.*
(c) *Lib. 3. cap. 8. com. 14.*

nes cohibendæ, opium præſto eſt, cujus tincturæ quovis modo paratæ iiſdem plane muneribus obeundis opportuniſſimæ exiſtunt. Sed ſi jam proſtant in officinis tincturæ corallorum ſimplices, aut Opii additione elaboratæ, quæque anodynæ dici conſueverunt, cur in uſum vocandæ non ſint, omnino non video. Res eſt cum Mulieribus hyſtericis, quas ſpaſmi, vigiliæ, dolores divexant, languidis, inappetentia ſumma laborantibus, vix ut ulla ratione tenues, delicatioreſque cibos ferre poſſint, nedum pulverulenta ex amaris decoctionibus exhibenda, quibus etiam ad leviſſima ſalutis impendia reparanda plerunque adverſantur. Optime propterea earum incolumitati conſulemus, ſi leves ejuſmodi tincturas appropriatis aquis, quæ vix guſtum feriunt, nauſeam, aut ſtomachum movent cocleatim, & per intervalla propinemus. Ubi id diligenter teneatur facile captu haudquaquam eſt, cur tincturam corallorum anodynam Helvetii ex ipſa aqua Aurantiorum viridium commendaverim, non decoctione, quæ a Ludovico Septalio (*d*) mane ad octo, vel novem uncias epota tamquam certiſſimum remedium prædicatur, quæque ubi Mulieribus libeat, etiam uti præcepit Auctor exhiberi poteſt. Recepit nimirum aquæ libras ſeptem, in hac cortices trium Aurantiorum pomorum aliquando adhuc viridium, quæ in parva fruſtula inciſa ſint, incoxit uſque ad conſumptionem medietatis: mane eamdem ad ℥ viii. circiter propinavit: interdum addendo in fine aliquid herbæ piloſellæ efficaciorem reddidit, aut aquam Villenſem loco communis adhibendo, aut longiori facta ebullitione ardentem ferrum ſæpius extinguendo, eaque infinitum. ſe. Mulierum numerum ab hoc morbo liberaſſe haud dubie affirmavit. Fides ſit penes Auctorem.

XV. *Ubi res præ vehementi evacuatione in anguſto ſit etiam Opium ipſum torrefactum ad gr. vi. ad xii. cum lapid. hæmatit.* ℈ *i.* &c.] Nullum propemodum dicendi finem faciam, ſi ſingula medicamenta, quæ paſſim a Scriptoribus magnis & doctis recenſentur ad enormes hæmorrhagias cohibendas velim perſequi, ut omnia in conſpectum prodeant. Quid enim aut ſpecificam roſarum tincturam commemorem a Platero memoratam, aut Boerhaavii opiatam a D. James in ſuo dictionario ſelectam, aut Sydenhamii electuarium, aut Sylvii de le Boe mixturam, quam Etmullerus prædicat, aut Lindani pulverem, aliaque id genus eminentiora innumeris aliis, quæ fuſe collegit, atque curioſis contemplanda exhibuit cl. Paſta, (*e*) ſi omni cum Veterum, tum Recentiorum conſenſu ſancitum ſit in iis ſanguinis profluviis, præſertim quæ a ſpaſmodicis nervorum contractionibus proficiſcuntur, aut quæ ſaltem cum iis ita conjunguntur, ut morbum foveant, aut confirment, cæteris omnibus opiata palmam præferre, atque in eorum uſu a mitioribus, ſemper eſſe exordiendum, ut tuto, & citra noxæ periculum, ſi fieri unquam poteſt, optato fine potiamur? Cui quidem ſententiæ id unum, vel alterum robur addit, quod alibi a nobis adnotatum fuit (*f*) opiata videlicet ſerum ſanguinis aggredi, & ad concreſcendum diſponere inſtar ſanguinis pleuriticorum, cujus ſuperficies membrana quaſi quadam obducitur, quæ cultri anatomici aciem fugit. Quibus rite perpenſis ad credendum vehementer adducti ſumus, ſuſpectum eſſe illorum uſum in hæmorrhagiis hæmorrhoidalibus, ac pulmonum præſertim, qui molli, ac tenella ſtructura præditi

(d) *Lib.* 6. *animad. medic. art.* 144. (e) *L. c. p.* 79.
(f) *Lib.* 1. *cap.* 3. & *lib.* 2. *cap.* 2.

diti congeſtionibus in iiſdem genitis facile læduntur. Longe vero diverſa ratione ſentiendum quando Mulieres enormi ſanguinis profluvio derepente corripiuntur, earumque vita in ancipiti, ac fere conclamata eſt: quo caſu tamquam ad ſacram anchoram ad ipſum Opium torrefactum eſt confugiendum, quod licet virtutem ſoporiferam amittit, ſuam tamen conſervat quodammodo ſedandi, atque aliam ſanguinem cogendi acquirit ea ratione, qua ex apertis, aut diſruptis vaſis non facile elabi queat. Torrefactio autem in hunc fere modum ſe habeat. Opium crudum ad unciæ unius pondus in taleolas redigatur, & in ſartagine ferrea ad ignem uſtuletur, donec remaneat primi ponderis medietas ad unguem: in pollinem redactum acerrimo aceto imbibatur uſque ad altitudinem digiti. Soli vel ad umbram ſiccetur, & rurſus in ſubtiliſſimum pulverem redigatur ad uſum. Dici vix poteſt quam bene cedat in quibuſcumque hæmorrhagiis, etiamſi ſolum adhibeatur, dummodo tamen præ nimia evacuatione res in anguſto poſita Medentibus nullatenus videatur. Tunc enim ſummo cum fructu conſociatur cum hæmatitide tantopere a Tralliano commendata, quam cum a Dioſcoride accepiſſet ex vino propinare ſolebat juxta Hippocratis monitum, qui in libro de morbis Mulierum (g) *acerba omnia fluxum ſiſtere vino nigro admixto* aſſeruit. Quicumque tamen fuerit Veteribus utendi modus ſatius ducimus a vini vehiculo abſtinere, ne raritatem ſanguinis, atque efferveſcentiam forte adaugendo cruentæ excretioni occaſionem præbeamus, dum eam tollere cunctis viribus ſtudemus, eamque una cum opio torrefacto ex conſerva roſarum exhibere, quæ & ipſæ adſtringendi, exſiccandi virtute donantur. Quod de conſerva roſarum dicimus plane intelligatur de iis omnibus, quæ linguæ applicita adnotante D. Floyero ejuſdem fibras contrahunt, aſpero quodam ſenſu afficiunt, atque exſiccant. Ejuſmodi ſunt myrtilla, meſpili, ſorbus, ſuccus ipociſtidis, rubus idæus aliaque id genus, quæ pares fortitæ ſunt vires, quæque in uſum nullo habito diſcrimine vocari poſſunt. Magis ſalubre conſilium cenſemus eamdem ad ℥ i. in vini tenuis rubri libra infuſam deficiente prius ſanguinis fluxu iteratis vicibus exhibere, quam methodum tutiſſimam æque, atque efficaciſſimam ad lentos, diuturnos, contumaceſque fluxus debellandos, cum alia minus commode reſponderint, eorumque recidivas præcavendas non ſemel deprehendiſſe teſtor.

XVI. *Extrinſecus in hoc caſu applicetur regioni uteri ceratum ex Tacamahaca &c.*] Quamvis Tacamahaca ad quoſcumque partium externarum dolores uſu externo utiliter præſcribatur, ſolet tamen cum fructu non exiguo opium, & camphora ſimul miſceri ubi nimiæ evacuationes doloribus moleſtiſſimis comitatæ cohibendæ ſunt: hinc ceratum ex iis compoſitum in dyſenteriis, in choleris, atque Menſium profluviis eximiæ virtutis.

XVII. *Si varices, ulcus uteri chronico morbo anſam dederint potiones vulnerariæ diu inſtituendæ.*] Hactenus morbo immorati ſumus, præ cujus vi atque impetu feſſis ſpiritibus, & ſanguine per enormes effuſiones ed extremum fere calamitatis cito redacto juſtus ſubrepit timor, ne ante natura obruatur, quam morbus ipſe. Nunc de eo dicendum ſupereſt, qui etſi altas in penetralibus uteri radices egerit, non ea tamen atrocitate ſe prodit, ut ipſo quaſi in limine ægræ Mulieres deficiant, ſed nova perpetim labe ſanguinis accedente, quotidie magis in deterius labantur, atque fere in morboſi fermen-

(g) *Lib. 7. cap. 1.*

menti naturam utero aſſurgente, eo denique calamitatis res omnis rediga-tur, ut ſanguineus liquor veluti venenato quodam miaſmate in ipſo tran-ſitu ſubinde inficiatur, unde tabeſcentes, conſumptæ in continuo mortis diſcrimine verſari cogantur. Jam etiam me tacente facile omnes intelligunt de organica uteri læſione, varicibus, ulcere, aliiſque ſimilibus ſermonem fieri, quibus tollendis ſtudium omne curamque conferre noſtræ debitionis potiſſimum eſſe videtur. Maximum autem difficultatis momentum in eo vertitur, quod non ſatis prompta remedia ſuppetant convellendis funditus læſionum radicibus, quæ ſenſim auctæ, & longo tempore confirmatæ non modo novam in dies ſingulos malorum ſegetem emittunt, nedum etiam acerrimis quibuſque Medentium conatibus reſiſtunt. Si quid autem in tan-ta curationis difficultate ſperandum, id utique ex iis ſperare nos jure merito poſſe cenſendum eſt, quæ moleſtiſſimos ſuccos, qui uterum verſus propulſi vaſorum ſanguiferorum oſcula reſerando, fibraſque corrumpendo ulcuſcula ibidem excitant, ratione ſulphurearum partium, quæ cum ſalinis ea ratio-ne conjunctæ ſunt, ut vulneraria, ac balſamica vi, eaque blandiſſima do-nentur, mirum in modum temperant, corroſos uteri parietes abſtergunt, atque exſiccant, & fibris, qua fieri poteſt, tonum reſtituendo ſerpentes pla-gas probe jam dilutas figunt, comprimunt, atque ocyus obliterant. Ejuſ-modi eſſe fere potiones vulnerarias diu, & nunquam intermiſſe ebibendas adeo certum experientia fecit, ut probatione nequaquam indigeat. Quid ſi eædem plantæ expreſſæ primo vere, aut ſero lactis deſtillatæ, quod ad flui-dorum acrimoniam temperandam, atque eroſas partes demulcendas oppor-tuniſſimum exiſtit, exhibeantur?

XVIII. *His aquæ B. Virginis, aut aliæ ſimiles ſuccedant, vel niſi fœcundas eſſe Mulieres expediat Brandulenſes.*] Aquas Brandulenſes ad immodicum hæmorrhoidum fluxum cohibendum opportuniſſimas eſſe alibi a nobis eſt de-monſtratum. (*h*) Idque potiſſimum ratione ſalis nitroſi ad aluminoſum accedentis, quo incongruos, ſuperfluos, vitioſoſque ſuccos ſanguinem inqui-nantes corrigi, & emendari contingit, & laxata præter morem vaſcula in-teſtina, conterminaſque partes percurrentia valide adſtringi. Valet eadem ratio & de immodico Menſium fluxu, & albis Mulierum fluoribus, quos egregie compeſcere obſervationibus cum multis, ac frequentibus, tum cer-tis, ac conſtantibus compertum eſt, ſi in parca doſi exhibeantur, ne præ copia, & pondere prædicta vaſa nimis diſtendendo, ac relaxando morbum augeant, aut confirment. Sed illud detrimenti ſequitur ex illorum uſu, ut propter inſignem adſtringendi vim, ſi Mulieribus ſint exhibendæ, infœcun-dæ, ſterileſque reddantur, ut Avicennas ipſe adnotavit (*i*) inquiens: *aquas omnes minerales facere urinæ difficultatem, pariendi, & menſtruorum:* quod ta-men de aquis aperte adſtringentibus eſſe intelligendum doctiſſimus Maſſarias teſtatus eſt, non de ſulphureis, ut ſunt Beatæ Virginis in agro Patavino, aut aliæ ſimiles, quæ tantum abeſt, ut ſterilitatem inducant, ut etiam par-tes omnes ad uteri munia obeunda accommodatas detergendo, & mundifi-cando, nec non labem ductuum omnium altius repurgando pravos Virgi-num habitus corrigant, ſteriles jamdiu Mulieres ſingulari quodam genio fœ-cundent, ut præ cæteris a cl. Gratiano demonſtratum eſt, (*k*) atque ex-per-

(h) *Lib. 3. cap. 7. com. 13.* (i) *Lib. 2. cap. 59.*
(k) *Exam. therm. Pat. cap. 7. p. 144.*

pertiſſimus Raymundus Jo. Fortis experimentis didicit, quas propterea in profluviis Muliebribus, & infœcunditatibus pariter hypochondriacis ſummis laudibus extollit; idque ex eo fere contingit, quod non modo ab incongruis ſuccis, & ſuperfluis ac vitioſis ſalibus inquinati ſanguinis craſim emendent, verum etiam laxatis præter morem vaſculis uterum, contermi- naſque partes percurrentibus prompte ſubveniant, ut fere laudatus Gratianus, cujus ſententia nihil adhuc magnificentius dictum.

Tandem lac primum aſininum, mox vaccinum &c.] Vid. lib. 3. cap. 7. com. 16. pag. 88.

XIX. *Si tamen obſtructionibus viſcerum imi ventris laboret, cachetica ſit Mulier rhabarb. torrefact. &c.*] Ibid. com. 16. pag. 89.

XX. *Optima victus ratio inſtituatur, juſcula ſint extremitatum pedum vituli &c.*] Ibid.

Potus ſit ex vino auſtero, lentiſco, ſantalis &c.] Quod olim tradidit Paulus (*l*) Mulieribus immodico Menſium fluxu laborantibus vini uſum eſſe interdicendum, ſi nonnulli forte reperiantur, qui dignum commendatione exiſtiment, nec ad morbi ſtatum, & cauſas diligenter attendant, dici vix poteſt, quanto in errore verſentur. Initium morbi, in quo aut plenitudo peccat, aut nimia ſanguinis raritas, & expanſio, vini uſum prohibere videtur, ideoque aquam frigidam acidis ſuccis alteratam ad extinguendum magis ſanguinis incendium exhibuimus. Ubi vero morbus jam longius progreſſus inſignem ſanguinis jacturam fecerit, ac propterea pallida Mulier, debilis evaſerit, ac viribus ita deſtituta jaceat, ut in animi deliquia facile labatur, quid vino præſtantius ad vires recreandas, ſpiritus erigendos, partes ſolidas plus æquo laxas corroborandas, aut pro ægrotantis opportunitate valentius, ut Sydenhamius (*m*) & Camerarius (*n*) præ cæteris teſtati ſunt? Hippocrates certe non ſolum ejus uſum minime pertimuit, ſed tamquam optimum, ac ſaluberrimum rebus adſtringentibus conſociatum ad ipſum ſanguinis fluxum ſiſtendum alacriter adhibuit (*o*). Quid ſi Santalis alteretur, quorum vis eſt ſatis inſignis teſtante Geoffroy (*p*) in adſtringendo ſimul, & roborando, ſi ferro candente eodem extincto corrigatur, quod ad prædicta munera obeunda efficaciſſimum eſt, ſi quod aliud. Sed jam res ſit cum Mulieribus, calidi, ut ajunt, & ſicci temperamenti, quæque vini potum ſine majoris incaleſcentiæ ſenſu, atque hinc morbi augmento ferre non poſſunt. Tunc vero aqua aut Noceræ, aut alia quavis ſimplici, etiamſi chronicus factus fuerit morbus, utendum eſſe luce clarius apparet.

Decumbat ægrotans ad nates elevata, humilis ad caput &c.] Supinum decubitum altiorem a pedibus ægrotantibus eſſe imperandum tradiderunt Veteres fere Medici Aetius, Hippocrates, quos Michael Adolphus (*q*) atque Recentiores fere omnes ſequuti ſunt. Neque hujuſce rei judicium in arcto: ſiquidem uterum horizontali plano parallelum fieri contingit, atque hinc arterioſorum ipſius laterum diſtenſionem imminui, quam preſſio, & pondus inſigne ſanguinis in perpendicularibus prædicto plano tubis effecerat, atque eorumdem tuborum reſiſtentia, qui extenſi, atque non paucis, variiſque angulis per uteri ſubſtantiam diſtributi fuerunt, ut a cl. Paſta de- mon-

(l) *De art. med. lib.* 3. *cap.* 52. (m) *Diſſert. epiſt. p. m.* 493.
(n) *Hygien. cap.* 2. (o) *Lib.* 1. *de morb. Mul.* (p) *Mat. med. p.* 2.
(q) *De ægrotant. conclavi.* 5. 25.

monſtratum eſt. Quo ſatis conſtare arbitror, cur & ſtratum ſit eligendum non molle ex plumis, aut lana confectum, cuique fovea facile infigitur, ſed durum ex palleis, ut Jo. Fortis præcepit, quodque calori excitando, a quo ſanguis magis, magiſque expanditur, & morbi cauſa augetur, aut confirmatur, impar exiſtit. Liquet etiam quanti interſit nihil corpore moveri, ideoque & tuſſim, & ſternutamentum, & vociferationes fugere, ne placidus, atque æquabilis ſanguinis motus ei prorſus contrarius, qui in uterum prius impetum dederat de induſtria comparatus perturbetur, atque propterea ſanguis priores ſemitas repetat. Quod ne ſummo ægrotantium diſcrimine forte contingat, etiam cubiculi delectus habendus eſt, quod moderate frigidum eſſe oportet, ne nimio calore æſtuante dicta rarefactione ſanguinis morbus intendatur ea prorſus ratione, qua frigido exiſtente impedita perſpiratione, ac majore humorum copia cumulata fluxum, ſi jam adſit, promoveri Freindius oſtendit (*r*). Multo minus animi affectionibus angi expedit, quibus vim maximam ineſſe ad fluidorum omnium motum, atque ad omnes, quæ inde in corpore conſequuntur actiones immutandas notum omnibus eſt, planeque perſpectum. Quid ſi præ animi curis in morbum inciderit? In placida quidem mentis tranquillitate ſitum eſſe omne curationis momentum extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur, ut præclaro Sanctorii effato evincitur (*ſ*). *Ira, & ſpes auferunt timorem, ac lætitia mœſtitiam: paſſio enim animi non medicinis, ſed alia paſſione contraria ſuperatur.*

(r) *Em. pag. m.* 175. (ſ) *Stat. de an. affect. ſect.* 7. *aph.* 12.

CAPUT IV.

De fluore albo benigno, & virulento, & prolapſu uteri.

I. SI Mulierem videris vel nuptam, vel virginem, interdum etiam tenellam, cui ſerum copioſum nunc album, & ſpiſſum, nunc tenue, viride, & flavum, & variis coloribus refertum, pudenda interdum exulcerans, inordinatim ex utero erumpat cum functionum naturalium læſione, eam fluore albo laborare tenendum.

II. Orta hinc triplex fluoris differentia maxime inſignis: alterius quidem a lympha genitali acri in glandulis vaginæ uberius ſeparata, (qui etiam legitimus dicitur) repetendi; alterius vero a lymphaticorum, ſeroſorumque humorum in toto corpore redundantium copia, atque earumdem glandularum, pororum, ac meatuum totius uteri laxitate, qui *nothus*: tertii demum a celtico veneno glandulas Couuperianas, proſtatas vaginæ, extrema lacunarum oſcula urethræ hinc inde appoſita inflammante, exulcerante, erodente, qui *celticus* nuncupatur.

III. Prima dignoſcitur humoribus albis, craſſiuſculis, & in pauca quantitate licet diutius exeuntibus, in juvenibus plerunque opiparo victu utentibus, vitam curis vacuam degentibus, venerem ſi virgines, intermiſſum coitum ſi viduæ avide appetentibus.

IV. Altera humoribus copioſius fluentibus ſeroſis, acribus, vel ſalſis, interdum pituitæ mixtis, alias flavis virideſcentibus, non unquam fętidis in feminis cacheticis pravique corporis habitus, quæque otio, vitæ ſedentariæ, & ſomno plus æquo indulgent, quæ humida loca, ac paluſtria incolunt quæ laborioſos partus, abortus, violentas placentæ avulſiones, immodicum Menſium fluxum paſſæ ſunt.

V. Si tertiam varii colore, conſiſtentia, odore humoris fluxu cum ſenſu ardoris, & dolore conjuncto, qui Menſium tempore perdurat, & in parca quantitate diutius perennat, aut vulvæ inſpectione ſatis diſtingui poſſe cenſeas, verendum eſt, ne facile in fraudem inducaris, niſi de impuro concubitu certior fias.

VI. Si primum contingat omnis fere periculi expers eſt morbus, ſi ægrotans Mulier boni habitus fuerit, & bene colorata. E contra ſi ſcorbutica, aut aliter male affecta.

VII.

VII. Sin alterum & melancholicæ, & ſteriles feminæ evadunt, & ſi diutius vexentur, in uteri procidentiam, in hydropem, tabem, atrophiam labuntur.

VIII. Si tertium ulcera pudendorum ſordida incurrunt, ſi vero male curentur bubones, lancinantes capitis dolores, arthritides, oſſium caries, aliaque fętidiſſima, atque moleſtiſſima mala cum vitæ diſcrimine.

IX. In priore caſu venæ ſectio ratione plenitudinis habita celebranda, mane vero, & veſpere decoctio levis plantaginis, portulacæ, nympheæ, lactucæ cum nitro puriſſimo: hora vero ſomni emulſio ſeminum quat. frigidor. ad ℥ ii. ſemin. agn. caſt. papaver. alb. a ad ʒ ii. in aq. nymph. lactuc. addito ſyrupo violato ad ℥ .s.: quibus fruſtra adhibitis pulveres addi poſſunt ex oſ. ſæp. ſ. pul. coral. præp. a ʒ i. ſuccin. albis. ℈ ii. nitr. purif. ℈ i. m. f. pul. in partes vi.

X. In altero caſu purgatio inſtituenda pillulis Paracelſi, ſuccin. Crat. a ℈ ii. ad ʒ i. additis trochiſc. alchekeng. a gr. vi. ad viii. cum ſyrup. de cichor. cum rhabarb. ut reformentur pillulæ molles qualibet quarta die repetendæ; quorum dierum intervallo decoctio exhibeatur ex lign. Guajaci ℥ iii. cotic. ejuſdem ℥ i. s. radic. Bardan. ℥ ii. raſur. ebor. ℥ .s. aq. font. lib. iv., quæ ad conſumptionem quartæ partis coquantur, ut colatura detur ad ℥ x.

XI. Si tamen gracilis ſit Mulier, aut calidioris temperamenti ſolum ſyrupus de cichor. cum rhabarb., aut ptiſana laxans Riverii per xxx. dies erit opportuna; quibus ſucceſſu temporis loco decocti ſerum caprile colatum addat, in quo per noctem infundatur ſarſ. paril. cum radice lign. ſaſſaphr.: rhabarbar. ore manſum, aut ejus infuſionem qualibet octavo die aſſumendo.

XII. Tunc tranſitus fiát ad pulverem ex ebur. præp. cor. cer. uſt. ſuccin. ocul. cancror. coral. præp. a ʒ i. op. torref. ℈ i., qui a ʒ .s. ad ℈ ii. exhibeatur vel in rotulas cum ſaccharo redact., vel ex infuſo theiforme Philipendul. roris marin. hormin. lamii, galeopſ. bellid. flore albo addito ſyrupo de roſis ſiccis q. ſ. ad gratum ſaporem. Si trochiſcos de Carab. aut de Spodio ad ʒ i. loco pulveris exhibeamus optime ægrotantium incolumitati conſulemus.

XIII. Hiſce fruſtra adhibitis ſpecificum Hippocraticum, aut Janſortianum ad ʒ i. experiri expedit, aut opiatum in pituitoſis corpori-

bus ex Theriaca Andromachi, in calidioribus vero ex Diaſcord. Fracaſtor. ℥ i. s. pulver. e chel. cancror. ʒ i. s. coral. præp. trochiſc. de ter. lemn. a ʒ i. gum. arabic. ʒ .s. cum ſyrup. de roſ. q. ſ. f. opiata, quæ detur ad nucis magnitudinem ſuperbidendo aquam foliorum quercus.

XIV. Hæc dum fiunt injectiones adhibeantur ſi aliquis ſit ardor ex aqua decoct. hordei, aut ſero lactis, aut aqua malvarum tepida, quibus ſuccedant, quæ ex decoctione in aqua Fabror. parantur fol. plantag. myrt. balauſt. radic. conſolid. cortic. granat. thur. maſtich. quibus parum aluminis ſolutum ſit, ſi fortius ſit adſtringendum, vel etiam balnea ex iiſdem parata uteri regioni applicanda, vel ſuffitus ex oliban. ſuccin. myrrh. in uterum excipiendo.

XV. Pulmentis, & ferculis tunc ſalviam, & roſmarinum incoqui juvat, & carnibus aſſatis uti ægrotantem potius, quam elixis, iiſque juniorum Animantium, earumque extremitatum ex quibus juſcula fiant, ab acribus, & ſalſis quam diligenter cavere ſe, moderate exercere, vino uti, coma abſynt. aut meliſ. & Kalybis infuſione alterato, aut loco vini decocto lentiſci, & ſantalorum, in quo ferrum candens extinctum ſit.

XVI. Si chronicus fiat morbus eadem methodus ſervanda, quæ in immodico Menſium fluxu: potionibus nempe ex plantis vulnerariis diu utendum, ſuccis primo vere ex iiſdem expreſſis, aut cum ſero lactis deſtillatis: aquis Virginis, Aponenſibus, aut Brandulenſibus, lacte iiſdem ad amuſſim ſervatis cautelis.

XVII. Si virulentus demum ſit fluxus, & inſignis adſit ardor, & dolor genitalium venæ ſectio inſtituenda ratione plenitudinis habita, & temperamenti, tum pulpa Caſſiæ exhibenda, aut ejus conſerva cum ſale prunel. aut melius cum nitro puriſſimo ad ʒ i.: poſtea vero mane quotidie decoctio radic. liquerit. alth. gramin. folior. malvar. violar. parietar. cum nitr. purif. a ʒ s. ad ʒ i.: veſpere autem emulſio in aquis malvar. violar. parietar. ex feminib. pepon. addito ſyrupo de nymphea ad gratum ſaporem, vel loco emulſionis conſerva violar. ac malvar. ad ℥ .s. per x. circiter dies.

XVIII. Hiſce ſuccedant pillulæ ex therebint. aq. malvar. lot. ʒ i. extract. rhabarb. ℈ i. ad ʒ. .s. Mercur. dulc. gr. vi. ad viii. M. cum ſyrup. de therebint. q. ſ. f. pillulæ, quibus decoctionem ægrotans ſuperbibat radic. liquerit. alth. gramin. fol. malvar. violar. parietar.

XIX.

XIX. Hiſce ſpatio xii. aut xv. circiter dierum adhibitis pillulæ ex maſ. fœtid. major. ℈ ii. diagryd. gr. vii. Mercur. dulc. gr. viii. cum balſam. Copaib. q. ſ. viſæ ſunt convenire, eæque repetendæ interval- lo quatuor dierum, quo tempore balſamum Copaib. ad gut. xxv. cum ſacchar. canth. violat. diſſolutum eximiæ virtutis ſpatio x., aut xv. dierum.

XX. Utramque paginam adimplet Electuarium Excellentiſſimi Sacchi cum Mercurio; ſi ad ʒ ii. quotidie, aut alternis diebus exhibeatur, præſertim in calidioribus ſenſibilioribuſque corporibus.

XXI. Correcta profluente materie ſic ut albumen ovi repræſentet ad adſtringentia deveniendum, quæ ita ferme ſeliguntur. ℞. Gum. elem. ℥ .s. ſuccin. albiſ. maſtich. magiſter. oſ. ſep. ter. catechù ſtib. diaphor. a ʒ i. M. cum ſyrup. coral. q. ſ. f. pillulæ pro iv. doſibus, repetendæ ſi opus fuerit, ſuperbibendo qualibet vice infuſum theiforme foliorum ſiccorum menthæ, aut aquam Menthæ Quercetani: dum interim optimus victus eligendus, abſtinendo ab aromaticis, ſalſis, acribus, a vino, a motu violento, a coitu, utendoque emulſionibus ex ſeminibus frigidis, amygdalis pro potu cum aqua decoctionis hordei, vel liqueritiæ præſertim in principio.

XXII. Si adhuc materies albicans profluat injectiones fiant primo quidem ex aq. calcis ad ℥ vi. cum mel. roſac. ℥ i. s. mox aqua plantagin. & roſarum a ℥ iii. lapid. medicament. Crol. ℈ ii., quibus alia ex tutia præp. ad ʒ i. in vino albo infuſa ſuccedat.

XXIII. Si hiſce adhuc non cedat morbus in laxioribus præſertim phlegmaticiſque decoctum ex ſarſ. paril. elect. ℥ iii. cortic. lign. Guajac. inciſ. ℥ i. s. aq. font. Lib. vi. M. f. inf. calida per xxiv. horas, deinde bulliant uſque ad conſumptionem tertiæ partis; in fine adde fol. ſen. el. ℥ ii. mox pauliſper bul. inde removeantur ab igne, & colatura ſervetur ad ℥ vi. ſingulis diebus exhibenda ſpatio xx. circiter dierum,

XXIV. Ad aquas B. Virginis, aut alias ſulphureas nullo habito diſcrimine ejuſcemodi ægrotantes mittendæ opportuna tempeſtate, atque injectiones ex iiſdem aquis imperandæ, quibus aqua Rabelii addatur.

XXV. Si biliofæ, calidiores, & macilentæ ſint Mulieres poſt aquas thermales lacte tractandæ cum decoctione levi ſarſ. paril. & radic. Chin. cui ſi libet parum radicis tormentil., & biſtortæ addatur.

XXVI. Prolapſui uteri dicto iiſdem purgantibus, ac decoctis ligno-

rum

rum occurritur n. 10., tum fotibus externis adſtringentibus n. 14. nec non peſſariis ex lana albumine ovi madefactis, & aceto cum ſuccis plantaginis, polygoni, & conſolidæ aſperſis poſtea pulveribus adſtringentibus ex ter. ſigillat. bol. armen. ſanguin. dracon. & ſimilibus lineo panno receptis, ſi membrana reponenda.

C A P. IV.

De fluore albo benigno, & virulento, & uteri prolapſu.

I. SI *Mulierem videris vel nuptam, vel virginem, interdum etiam tenellam, cui ſerum copioſum &c.*] Qua ætate albus uteri fluor feminas infeſtet controverſum eſt inter Medicos. Si Hippocratem conſulimus (t) quamvis adultiores, & ætate maturas malum plerunque corripere affirmet, ab eo tamen ætate declives immunes haudquaquam eſſe animadvertit. Idque omnis ævi Medicis ita acceptum, probatumque fuit, ut nullum hac de re ambigendi locum reliquerint. Pleriſque etiam perſuaſum fuit, puellas teneriores vix ſex ſeptemque annos natas eodem morbo licet rarius corripi poſſe. Ab his diſſentiunt, qui tenellam ætatem excludendam eſſe affirmare non dubitarunt viarum anguſtiam accuſantes, ac tuto aſſerentes, corruptas fuiſſe virgines, quibus fluores albi promanarunt. Quibuſnam aſſentiar non facile dixerim. Si enim illorum rationes perpendo ad veritatem proxime accedere, mea quidem, qualiſcumque fuerit, ſententia videntur, cum per eas ipſas vias, per quas Menſes ordinarii fluere ſolent fluere & albos poſſe facile conjiciunt, quando iſtorum materia, quæ ſeroſa plerunque eſt, ſit ipſo ſanguine tenujor, ac fluidior. Eaſdem autem eſſe vias nemo inficias ire auſit, qui in obſervationes unice incumbendo compertum habuerit, erumpentibus Menſibus ſi forte fluores albi Mulierem exercebant, non comparere amplius, utique vero poſtquam a ſuperfluo ſanguine exonerata fuerit, ſuas antiquas ſemitas repetere, eaſdem eſſe menſtrui ſanguinis, atque fluoris albi vias argumento prope certiſſimo: hoc diſcrimine, quod ille certis ſtatiſque temporibus maximo ſalutis emolumento iis ipſis utitur, hi nullo ordine, cumque magno detrimento, ac functionum naturalium læſione; in quo fluxus eſſentia conſiſtit. Cum experientia in medium fertur, qua deprehenſum eſt caſtiſſimas, atque integerrimas virgines, de quibus nulla corruptionis ſuſpicio eſſe potuit huic fluxui obnoxias fuiſſe, anceps animo hærerem, niſi aliæ me obſervationes admonuerint, & Roderici a Caſtro (u) & quæ in actis Hafnienſibus proſtant (x) & Riverii (z) & Hoffmanni (a) quibus ſtabilitum decretumque eſt frequentius quidem circa annum decimum tertium, vel quartum, quo tempore Menſes prodire ſolent, vel nuptas extra graviditatis ſtatum, raro vetulas, interdum tamen tenellas virgines hoc malum corripere. In hoc tamen commendatione, & laude dignum crediderim virum præſtantiſſimum ſecus judicantem, quod & ad colorem fluentium humorum, & quantitatem, & qualitatem ſedulo, & accurate atten-

(t) *Lib.* 2. *de Morb. Mulier.* (u) *Lib.* 1. *de Morb. Mul. cap.* 14.
(x) *Vol.* 1. *obſ.* 83. (z) *Prax. med. lib.* 15. *cap.* 4.
(a) *M. S. T.* 4. *p.* 4. *cap.* 16.

attendendum eſſe docuerit, ut in morbi de quo agitur cognitionem veniamus, neve ſagaces quædam Mulieres, quæ virulentis gonorrhæis afficiuntur, fluoris albi nomine ad earum turpitudinem cooperiendam Medentibus facile imponant, quod erat noſtrę debitionis oſtendere: ideoque illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, ſi fluxus eas conditiones habuerit, quas habere gonorrhæas compertum eſt, etiamſi tenellæ ſint Virgines, ut quæ a Mauriceau viſæ ſunt non benigni, ſed virulenti nomine eſſe deſignandum, ut infra videbimus.

II. *Orta hinc triplex fluoris differentia maxime inſignis: alterius quidem a lympha genitali in glandulis vaginæ &c.*] Ad hujuſce rei ſtatum melius intelligendum ſcire oportet lacunas, ſeu varia ductuum oſcula circa vaginæ orificium hinc inde notatu dignas occurrere a ſubſtratis glandulis derivatas, quæ a Bartholino Proſtatæ dicuntur, quæque adnotante cl. Heiſtero (*b*) quamfacile fetæ ad digiti dimidium aditum concedunt, earumque ductus preſſi liquorem ſemini haud diſſimilem plorant. Ex his in coitu præſertim idem excernitur, quem Veteres pro Muliebri ſemine habuerunt. Cum autem feminæ ſemen non generent, ut Graafius præ ceteris oſtendit, quem Recentiores fere omnes ſequuti ſunt, ſolum ad eas partes lubricandas, & voluptatis ſenſum augendum aptum cenſetur. Si igitur hic humor, ſeu lympha in glandulis vaginæ copioſius ſeparetur, ſive ea peccet acrimonia, per quam dictæ glandulæ ad copioſiorem ipſius excretionem ſollicitentur, fluxum ſeri albi, & mucoſi, quod ſemini, ſeu genituræ analogum eſt, ſupervenire debere tam nota res eſt, quam quæ notiſſima. Quid ſi eædem glandulæ ſint aliquantulum laxæ?

Alterius vero a lymphaticorum, ſeroſorumque humorum in toto corpore redundantium copia, atque earumdem glandularum, pororum, ac meatuum laxitate, &c.] Quamvis plurimorum ſententia haudquaquam diſpliceat, qui fluorem album ex glandulis proſtatis, præſertim ſi aliquantulum laxæ ſint, ſerum copioſum ſecernentibus derivant, ſi de vero, ac legitimo loqui intelligant, & in quo ſerum genituræ analogum videtur album, & ſpiſſum, parcant tamen, ſi in aliam me pedibus iturum polliceor, cum docent ab hoc eodem fonte, & nothum, in quo ſerum tenue, viride, flavum, & variis coloribus refertum ex utero effunditur eſſe repetendum. Hunc enim non a ſolo vitio humoris genituræ analogi prædictas glandulas proritante, ſed a copia lymphaticorum ſeroſorumque humorum in toto corpore redundantium, atque earumdem glandularum, pororumque, ac meatuum uteri laxitate proficiſci tam ego intelligo, quam qui maxime. Riverius fere conjecturæ anſam dedit, & ante ipſum Veteres fere omnes, qui humores a toto corpore profluentes, & vel ex pravo alimento, vel ex vitioſo, & habituali totius corporis temperamento generatos ad uterum confluere tamquam totius corporis ſentinam, ac veluti cloacam, ad quam reliquæ partes ſeſe exonerant opinati ſunt. Et vero veram hujuſce fluoris ſedem in toto utero agnoſcendam eſſe facilius innoteſcet, ſi prius ad uteri vaſa tam ſuperiora, quam inferiora, nec non ad meatus, ductus, atque emiſſaria, quæ largita eſt ei natura præter lacunas dictas, variaſque fibras muſculares, quibus donatur, diligenter attendatur. Vaſa quidem ſuperiora ſpermatica, quæ eumdem exortum habent, quem in viris, inde minoribus ſurculis ad ovaria di-

(*b*) Compend. Anat. pag. 81.

dimiſſis majores propagines, quæ flexuoſæ admodum ſuntad uterum mittunt: inferiora ab hypogaſtricis, & hæmorrhoidalibus oriunda, inter quæ, & ſuperius deſcripta mutuæ ſunt, ac frequentes anaſtomoſes. Cæteros meatus, ac ductus præterquamquod in cervice uteri conſpici Graafius ſupra laudatus, & Hornius teſtati ſunt, accedit præterea maximum illorum utero exiſtentium argumentum capi a præclaris Fantoni experimentis, atque obſervatiouibus (*c*) quibus deprehenſum eſt, flatum per venas uteri in cavum ejuſdem, & vaginæ, & contra ex hoc in venas adigi, ac tranſmitti poſſe, ut glandulas non modo in interiori vaginæ ſuperficie, & alibi per eam diſſeminatas, ſed in inferiori quoque parte cavitatis uteri exiſtentes ſeroſis humoribus tranſcolandis idoneas ſilentio prætercam, quas ſe detexiſſe putat Verheyenius (*d*) quaſque Hoffmannus ſic confirmat (*e*) quidquid Ruyſchius ſenſerit, qui glandulas in utero nunquam viſas eſſe, nec demonſtrari poſſe contendit, ut vix, ac ne vix quidem in quæſtionem vocari poſſe videantur. Structuram uteri muſcularem nemo melius aſſequetur, quam qui præſtantiſſimum Morgagnium adierit (*f*) Hallerum (*g*) D. James (*h*) Sanctorinum (*i*) qui uterum cavum eſſe Muſculum affirmarunt, propterea quod fibrarum faſciculis præditum, qui retis in modum pluribus ſinubus membranoſis invicem ſuppoſitis, & communicantibus interferuntur, qui varie implexi tandem ad interiorem exterioremque membranam terminantur, quæ fibræ varie tendi, contrahi, relaxari, aut alia ratione affici poſſunt, qua cæteræ Muſculorum fibræ, ideoque ſummam eiſdem vim ineſſe, ut varie affectæ ſunt ad ſanguinis motum, atque inde ejuſdem, & tenujoris ejus partis ſeroſæ ſcilicet, & lymphaticæ ſecretionem, excretionemque immutandam. His ita conſtitutis proclive eſt credere, ut alibi a nobis eſt demonſtratum, propter frequentes vaſorum plexus, & ſerpentinas quaſi circumgirationes lentum, ac difficilem eſſe ſanguinis in utero curſum, a quo non ſolum ſtagnationes, infarctus, & alia ejuſmodi mala exoriuntur, ſed etiam ſeroſus ac lymphaticus humor retardato ſanguinis progreſſu per vaſa a natura comparata viam ſibi non ſolum per poros, ductus, glandulas ejuſdem ſecretioni juxta naturæ leges dicatas parare, ſed per eadem ipſa orificia, quibus ſanguis menſtruus erumpere ſolet. Quam quidem ſententiam cum primum ratio evincit ducta potiſſimum obſervatione, qua ſuppreſſis Menſibus, album uteri profluvium eorum loco ſupervenire compertum eſt, eamdem præterea diſſectiones cadaverum virginum, nuptarumque, quæ dum viverent ejuſmodi morbo afficiebantur, in quibus humor limpidiſſimus in utero repertus eſt ex ejuſdem cavo in vaginam exſtillans, ut præ cæteris cl. Severinus Pinæus teſtatus eſt, ſic confirmant, ut nullus hac de re ambigendi locus videatur. Quæ quamvis inſigni Mulierum damno, cum recte ſe habeant Muſculares uteri fibræ, contingunt, eo graviori diſcrimine vires ſuas exerunt, ubi aliqua de cauſa, qua nihil facilius, atque vulgarius in humano corpore eſt, eædem atonia corripiuntur, & laxitate, hinc imbecilles ad agendum in fluida per uterum excurrentia non modo fiunt, ſed ad recipiendum quidquid ex univerſo corpore illuc continen-

(c) *Anat. C. H. p.* 186. (d) *Anat. cap.* 33. *tab.* 17. *Fig.* 2. 3.
(e) *Loc. cit. cap.* 16. *ſect.* 9. (f) *Ad anat.* 4. *animad.* 26.
(g) *Tom.* 5. *tex.* 664. *not.* 4. (h) *Op. cit. tom.* 6. *col.* 849.
(i) *Obſervat. anat. cap.* 11. *ſect.* 10.

tinenter effluit ſatis aptæ, unde membranarum diſtenſio, diſtractio, multo ocyor ac ſegnior ſanguinis circuitio, ſeri ac lymphæ in aliis partibus imminuta ſecretio, derivatio, ejuſdem, & reliquorum humorum vel per ipſas tunicas tranſpiratio, defluxio nunquam intermiſſa, & perennis, album demum uteri profluvium.

Tertii demum a celtico veneno glandulas Couuperianas, proſtatas vaginæ &c.] Qui a celtico veneno ortum traducit fluor albus gonorrhæa fere viru-lenta, ſeu gallica nuncupatur, atque in fermento acerrimo ad inflamman-dum, irritandum, atque eradendum aptiſſimo conſiſtit. Quibus vero parti-bus infeſtum ſit quæri a medicis ſolet. Si Graafium audimus (*k*) gonor-rhæam ex glandoſo Proſtatarum corpore perque lacunas circum, & in mea-tus urinarii exitu collocatas erumpere utero, ejuſque vagina innoxiis conſti-tuit certiſſima obſervatione edoctus in diſſecto cadavere cujuſdam mulieris hoc vitio infectæ, qua dictas partes male affectas deprehendit. Si Rondele-tium (*l*) Foreſtum (*m*), præ cæteris vero Palmarium (*n*) veſicæ col-lum lædi oſtendit, propterea quod ex ulcere cervicis veſicæ a gonorrhæa cu-rata reſiduo totius vitæ curſu ſanioſa effluxerit materia ei ferme ſimilis, quæ in diuturna gonorrhæa a proſtatis ex urethra ferri ſolet. Si e contra Gulielmum Cokburne (*o*) conſulimus, gonorrhææ ſedem in vagina tan-tum, nunquam in proſtatis, glanduliſque Couperianis agnoſcendam conſti-tuit; ſi Nicolaum de Blegnii (*p*) in utero. Quid in tanta opinionum va-rietate judicarem ipſe vix auderem pronuntiare, niſi lucidiſſimam facem præ-tuliſſet præſtantiſſimus Aſtrucius, qui in aureo libro de morbis Venereis (*q*;) his per ſingula capita recenſendis immorari inane prorſus conſilium non du-xit, quæſtionemque omnem, ac controverſiam dirimens, Regnero ſcilicet de Graafio libentiſſime indulgens, qui corpus glandoſum male affectum præten-dit, nec non Palmario aſſentiens, qui veſicæ collum accuſat, ſeu Paraſta-tam glanduloſum, hoc eſt glanduloſum corpus principio urethræ appoſitum ad collum veſicæ, quod nunc Proſtata appellatur, ita fere Paraſtatarum no-men, a quarum inflammatione gonorrhæam virulentam, & Rondeletius, & Foreſtus oriri ſunt arbitrati, præterea a Guillelmo Cokburne, & Nicolao de Blegnii tam ipſe diſſentiens, quantum illi diſſentiunt a veritate, dum ille quidem gonorrheæ ſedem in feminis in vagina tantum, nunquam in pro-ſtatis glandulis Couperianis eſſe ſtatuens, *certiſſimis obſervationibus nullo ar-gumento, ſed ex præjudicio tantum repugnat*: hic vero uterum arguens *confun-dit errore manifeſto fluorem album, ſive muliebrem, & virulentum, affectus qui-dem ſpecie ſimiles, ſed tamen re diverſiſſimos natura, ſede, cauſa, & therape-ja*: ac propterea triplicem eſſe gonorrheam in mulieribus haud dubie affir-mans ratione ſedis, nimirum glandularum Couperi, proſtatarum, glandula-rumque vaginæ. Quæ quidem ſententia cum mihi primum ea cognita eſt fateor non parum placuiſſe, ſive quod revera habeat cur placere debeat, ſi-

L ve

(k) *De mul. organ. generat. dicat. cap. de flux. menſt.*
(l) *De dignoſcend. morb. cap. 9. & 15. & lib. de morbo Italico.*
(m) *Obſer. lib. 32. obſ. 2. in ſchol.*
(n) *Lib. 2. de lue venerea cap. 9.*
(o) *De virulenta gonorrheæ natura & cauſis p. 1. cap. 3.*
(p) *L' art. de guerir les maladies Veneriennes p. 2. cap. 9.*
(q) *Tom. 1. lib. 3. cap. 1.*

ve quod creberrima experimenta, atque obſervationes & Thomæ Bartholini (r) & Joan. Vigerii (ſ) & Hieronymi Veſchii (t) & Alexii Litrii (u) aliorumque præſtantiſſimorum virorum in gonorrhæa laborantibus inſtitutę, aut qui ejuſmodi lue infecti perierunt, in quibus omnibus alterutrum ex dictis partibus, aut univerſæ & ſingulæ inflammatæ, exeſæ, exulceratæ, aut callum habentes repertæ ſunt, rem ita ſe habere ſatis clare in hanc diem demonſtrarint. Quæ ſane illorum conjecturas, qui veneno celtico vim cogendi ſanguinem, humoreſque, atque conſequenter inflammandi, nec non excoriandi, erodendi, exulcerandi virtutem ineſſe putarunt, adeo præclare fovent, confirmant, ut nihil probabilius afferri poſſe videatur.

III. *Prima dignoſcitur humoribus albis, craſſiuſculis, & in pauca quantitate &c.*] Ne autem præclariſſimi Aſtrucii reprehenſionem de induſtria incurrere velle videamur, fluorem album, five muliebrem cum virulenta gonorrhæa confundentes, quod ante ipſum egregie quoque adnotavit ſupra laudatus Mauriceau, & Fullerus, iſtarum affectionum ſpecie ſimilium diagnoſis accurate inſtituenda: Quod nulla meliori ratione præſtari poſſe perſpicuum eſt, quam ad qualitatem humoris exeuntis, quantitatem, ad cauſas antecedentes, & externas reſpiciendo. Si enim fluor albus verus, ac legitimus ſit, quoniam a ſeparatione liquidi genituræ analogi originem mutuatur, quod albicans, craſſiuſculus, viſciduſque humor eſt, ejuſdem effuſionem plane ſimilis ſequi oportere perſpicuum eſt, eamque ſine ullo dolore, ardoriſque ſenſu, aut excoriatione, quandoquidem quidquid excernitur ob copiam, aut glandularum laxitatem extra corporis confinia educitur, non quod integrales ejus partes plurimo nocentium corpuſculorum inquinamento ab optima temperie deceſſerint, & craſim aptatam ſervare nullatenus potuerint, hinc propterea ne in ſecretione quidem atque excretione naturæ moleſtæ. Si de humoris quantitate ſermo ſit, quænam tandem eſſe putetur, ſi non excrementitius humor ſit, ſed lubricandis partibus, voluptatiſque ſenſui in coitu augendo a natura ſit comparatus? Verum quidem eſt diutius perſæpe protrahi. Quid inde tamen futurum cenſeas? An extremam maciem, & corporis conſumptionem ſequi, ſicut illis ſolet contingere, quæ immoderato coitu utuntur? Id quidem conjectura aſſequi pleriſque minus placuit certiſſimis obſervationibus edoctis, hæc detrimenta in ægrotantium corpora non facile emanare, quo argumento potiſſimum ad vehementer credendum adducti ſunt parva quantitate exeuntis humoris, medicos per opiniones duas maxime vulgares fluoris albi legitimi, ac nothi in fraudem facile induci, ſi ipſius effuſio diu protrahatur, quandoquidem ſi ſeminis potius (in viris nempe) aut ſucci ſemini analogi in feminis eadem eſſet, non aliorum excrementitiorum humorum, neceſſarium foret ſupra enarratis morbis ægros corripi, quibus evaderent: quod tamen experientiæ repugnat. Ita fere Maſſarias (x) fluorem album legitimum, quem gonorrhæam benignam plerique appellarunt cum fluore albo proprie dicto, a nobis notho, magnam alere convenientiam tradens, atque ipſorum judicium hiſce de cauſis dubium eſſe, atque incertum

(r) *Hiſt. cent.* 2. *obſ.* 36.
(ſ) *Chirurg. lib.* 3. *cap.* 6.
(t) *Epiſag. obſ.* 67. *&* *dec.* 8. *curat.* 7.
(u) *Mem. de l' Acad. des ſcien. an.* 1711.
(x) *Lib.* 4. *p.* 267.

tum oſtendens. Ejus tamen errorem egregie ſuſtulit Hoffmannus (z) per-bella Bartholini obſervatione de viro Bergomenſi, & Patavino, quorum il-le per decem, hic per triginta annos gonorrhæam ſuſtinuerat, ille virulen-tam, hic incertam an benignam, vel malignam, uterque tamen diutius in-columis vixerat, niſi quod prior oſſibus vix hæreret, quæ protenſo quaſi di-gito commonſtrant, non modo eam fluoris ſpeciem, de qua agitur, ſed alias quoque diu protrahi poſſe, nullique id medentibus eſſe impedimento ad cer-tam illius diagnoſim ſtatuendam, ſi cetera omnia ſimul conſpirent.

In juvenibus plerunque opiparo victu utentibus.] Conſpirat autem ætas, & victus genus, cum illa juventutem minime exceſſerit, hoc ad opiparum ſit referendum. In juventute nimirum reſpectu ſemper habito ad alias ætates fibræ debita tenſione, tono, atque elatere donantur, hinc motus ſanguinis vividus eſt, celer, & vehemens: integrales ejus partes quamvis inter ſe mix-tæ, ac temperatæ ad tenuitatem tamen vergunt, agilioreſque, & magis mo-biles ſunt exaltatæ, & copioſæ, ſpiritus ad motum ſumme proni, atque ad munia quæcumque obeunda expeditiſſimi, hinc ad actiones omnes alacritas, promptitudo inſignis, ſecretiones omnes excretioneſque involuntariæ feminis in viris, ſucci eidem analogi in feminis. Cui quidem ſententiæ id unum vel alterum robur addit, quod generari incipit ſemen, vel ſuccus eidem a-nalogus circa pubertatis tempus, ſaltem in copia ſenſibili, quia nimirum au-cto ſolidorum elatere, atque liquidis vehementius exagitatis proxima ejus materia exaltari incipit, viæque ipſius ſecretioni dicatæ patulæ magis fieri, atque apertæ, materia demum nutritionis reſpectu ad incrementum habi-to ſuperabundat aliquantulum, in juventute conſequenter inſigniter, & ſic diutius cum reliqua maſſa circulationem efficiens qua data porta extra corporis confinia per vias a natura comparatas educitur. Quod adhuc fa-cilius evenire cenſendum eſt, ſi opiparo victui indulgeant: quo nomine a-limenta in primis veniunt, quæ multum ſubtilis, ſulphureæ, mobilio-riſque ſubſtantiæ continent, quæque a ſtomacho ſubacta oleoſas, ſubtilio-res, mobilioreſque particulas ſanguini ingerunt ad exagitandum, acuendum, fibrarumque elaterem intendendum idoneas, unde calor, humorum turgen-tia in ipſo excitatur, quibus roſcidi humoris, ſeu feminis, vel ſucci ana-logi in feminis ſecretio promptior peragitur. Ejuſmodi ſunt carnes Animan-tium, ſylveſtrium præſertim, & volucrium, quæ propter vehementiorem corporis motum puriorem, & liberiorem aerem in quo degunt, ſiccioreſque cibos, quibus veſcuntur prædictis muneribus obeundis opportuniſſima exi-ſtunt. Quid ſi vitulinæ, bovinæ, vervecinæ aliæque Animantium domeſti-corum carnes ſint, aliqua tamen qualitate alteratæ, ſalſedine puta, aut aro-matum condimentis? Quamvis nimirum in ſtomachum ingeſta ab ejuſdem ſuccis membranarumque ut plurimum immutentur, quoties tamen earum qualitatum exceſſu peccant, conſequitur eaſdem ſuperſtites remanere, atque varias in ſanguinem, alioſque ſuccos mutationes induci; quibus liquidorum ſpirituoſorum ſecretiones, excretioneſque promoveantur. Quid enim ad id alio egemus auxilio, quam ſalſis, aut volatilibus oleoſiſque particulis, quæ alimentis unita, atque in ſanguinem ingeſta ejus particulas exagitent, a-cuant, unde calor, & turgentia in ipſo excitetur? Idem dicendum de vi-nis, & liquoribus ſpiritu volatili ſulphureo ſumme abundantibus, quo cal-

 car-

(z) *L. c. cap.* 17. 1. 4. *p.* 287.

car addi ſpiritibus contingit, ſanguini orgaſmum, rareſcentiam, ſolidis partibus vellicationem, unde Veneris ſtimuli, ſeminis, aliorumque ſuccorum involuntariæ dejectiones.

Vitam curis vacuam degentibus.] Sed nihil ad ſanguinis, ac ſpirituum motum, atque influxum in nervos adaugendum, & ad omnes, quæ in univerſo corpore conſequuntur actiones recreandas, fovendas animi tranquillitate opportunius. Id quod adeo certum experientia fecit, ut probatione nequaquam indigeat. Videmus ſiquidem in mœrore, triſtitia, aliiſque moleſtis meditationibus ſpirituum ſecretionem, & motum retardari, hinc partes debito eorumdem influxu deſtitutas langueſcere, ſomnum turbari, chylificationem, ac nutritionem lędi, tranſpirationem, & reliquas humorum ſecretiones excretioneſque præcludi, virium robur dejici, aliaſque inſignes mutationes contingere. E contra in iis, qui vitam curis vacuam degunt, contrarios omnino effectus conſequi, ſpiritus uberius ſecerni fortioreſque, ſanguinem vivide ad omnes partes propelli, quæ propterea incaleſcunt, rubent, tenduntur, aut ea ratione vibrantur, qua opus eſt ad uberiorem humorum præcipue genitalium ſecretionem excretionemque ſollicitandam. Apte cadit in hunc locum, quod ſapientiſſimus Salomon ſcriptum reliquit (*a*) *Animus lætus bene afficit vultum*: & alibi (*b*) *Læti animo ſunt convivium juge*: perinde ac diceret, qui læti ſunt animo melius ſe habere, quam ſi lautiſſimis epulis fruerentur.

Venerem ſi Virgines, intermiſſum coitum ſi viduę avide appetentibus.] Animantibus cujuſvis generis terreſtribus, aquaticis, volatilibus, atque hominibus Veneris deſiderium natura indidit eo provido conſilio, ut eorum, atque humanum genus nova ſubinde generatione conſervaretur, & eorum numerus in dies ſingulos creſceret, & multiplicaretur. Organa etiam generationis condidit, ut a ſuccis illuc confluentibus ea titillatione afficerentur, qua ad Venerem excitarentur. Certam etiam ætatem in feminis præſertim conſtituit, quæ ab exordio menſtrui fluxus plerunque incipit, & uſque ad ejuſdem terminum perdurat, quo tempore & fluidorum copia ingeritur, motuſque vividus eſt, & ſolidorum elater inſigni virium momento inſtructus. Hinc nil mirum in Virginibus & liquidorum libere per vaſa excurrentium copia, & ſolidorum elatere gaudentibus, Veneris æſtro corripi, ſuccos ſuperabundantes ad generationis organa confluere, irritare, atque ea ratione afficere, quæ vel una ſatis copioſiorem lymphæ genitalis ſecretionem, excretionemque promovere valet. Ab hoc fere fonte repetendæ ſunt involuntariæ pollutiones, quæ Viduis Venere minime utentibus in ſomno ſunt familiares. Succorum enim confluentium copia, aut acrimonia generationis partes ea titillatione afficiuntur, quæ ad Cerebrum uſque, ac nervea ipſius filamenta propagata ideam actus venerei repræſentat. Hinc Celſus: *Concubitus neque nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt: Rarus corpus excitat &c.* Quo apparet, ſi copioſa lymphæ genitalis excretio prohibeatur in viduis coitu minime utentibus generationis partes non ſolum ita turgere, ut Veneris æſtro eædem rapiantur, ſed plus æquo ſollicitata, diſtenſa, aut aliter affecta ſic relaxari, ut perenni, & nunquam fere intermiſſo fluori liberam viam, aditumque relinquant.

IV. *Altera humoribus acribus, ſeroſis, flavis copioſius fluentibus &c.*] Longe di-

(a) Cap. 15. v. 13. (b) Cap. 17. v. 22.

diverſa ratione ſentiendum, ſi fluor albus nothus fuerit, vel quantitatem exeuntis humoris reſpicias, vel qualitatem. Si enim de quantitate ſermo ſit, cum a lymphaticorum, ſeroſorumque humorum in toto corpore redundantium copia proficiſcatur, qui ad uterum tamquam ad cloacam, & ſentinam feminarum delati uberius ſeparantur, multo majorem eſſe debere, quam in legitimo a ſola lympha genitali uberius ſeparata oriundo perſpicuum eſt. Solent autem promiſcue, & ſine ordine humores copioſius profluere, & cum inordinatis, vel etiam fluentibus menſibus jungi, quod Menſium decolorum, quibus mulieres præſertim juniores vexari ſolent proprium non eſt, qui licet vitioſi ſint, ſuam tamen periodum exacte ſervant, in quo potiſſimum iſtorum differentia reponenda. Si de qualitate, cum in toto corpore varii generis humores reperiantur, mucoſi, ſalivales, biliarii, pancreatici, inteſtinales, aliique natura, & conſiſtentia diſcrepantes, qui etiam ita mutantur, ac corrumpuntur, ut in excrementorum formam colliqueſcant, nil mirum videri debet excretos eosdem ex utero quoad colorem, conſiſtentiam, odorem variare, hinc interdum ſeroſos, acres, vel ſalſos, interdum pituitę mixtos, alias flavos, virideſcentes, nonnunqum fętidos comparere, ut præ cęteris a Platero (c) & Sydenhamo (d) demonſtratum eſt.

In feminis cacheticis, pravique corporis habitus, quæque otio, vitæ ſedentarię, & ſomno plus æquo indulgent &c.] Ejuſmodi fluores ex eo fere contingunt, quod non modo ab incongruis ſuccis, & ſuperfluis, & vitioſis ſalibus ſanguinis craſis pervertitur, verum etiam quod laxantur præter morem vaſcula uterum, conterminaſque partes percurrentia; quod iis fere feminis accidere ſolet, quarum *in facie*, ut oſtendit Hippocrates, (e) *ſunt tumores albi, & partes ambæ ſub oculis tument, & hydropiformes, ac non valde bona ſpecie præditi ſunt oculi, & color corporis albidus, & venter imus tumidus, & in cruribus tumores laxi, & ſi preſſeris digito notæ imprimuntur*, ſeu quod eodem recidit, & uno verbo complexi ſumus, cacheticis, pràvique corporis habitus, in quibus laxus nimis eſt ſolidarum partium tonus, ac laxata nimis ſanguinis compages ob depravatum præcipue, perverſumque digeſtionis opus, quo craſſæ, viſcidæ, crudæque particulæ in ſanguinem introducuntur, quibus balſamicæ, oleoſæ, tenues, volatileſque obruuntur, unde earum debito influxu defraudatæ ſolidæ partes langueſcunt, ac relaxantur, fluidarum vero miſcella congrua, atque opportuna turbatur, quo ſane conſequitur, ut ſeroſæ a reliquarum nexu ſecedentes vel in lymphaticis vaſis ſubſiſtant, vel ocyus quam par eſt moveantur, & cachexiam pravumque corporis habitum inducant. Quid ſi otium, vita ſedentaria, & ſomnus plus æquo longus pręceſſerint? Uti nimirum moderata exercitatione ſolidas partes robuſtiores fieri contingit, ſpirituum, & ſanguinis motum augeri, atque hinc ſuccorum omnium diſtributionem facilius peragi, partes melius nutriri, vigorari, ſanguineam demum maſſam vel lentis viſcidiſque humoribus inquinatam, atque impeditam attenuari, expedi, viſcera concuti, impactoſque in iiſdem ſuccos incidi, atque ad cribra glandularum expelli, ita quiete longiori, atque vita ſedentaria ſanguinis, & ſpirituum motum languere perſpicuum eſt, partium robur infringi, fluidiores humorum partes tenujoreſque obrui, hinc debiliore effecto partium tono, & craſſioribus acrioribuſque congeſtis tolli con-

(c) *prax. tom.* 3. *p.* 670. (d) *proceſ. integr. in morb. p.* 710.

(e) *lib.* 2. *de morb. mul. ſec.* 9.

congruam ſanguinis miſcellam, atque hinc cachexiam, pravumque corporis habitum exoriri. Idem dicendum de aere humido, & paluſtri, ideoque minus gravi, & elaſtico exiſtente, quo fibræ omnes relaxantur, humoreſque denſiores fiunt, atque tardiores ad motum, unde facilis eſt eorum in vaſis ſtagnatio, congeſtio, qua ſeroſæ partes a reliquarum nexu facile ſecedunt, atque albo uteri fluori tribuunt, ut Sylvius præſertim teſtatus eſt, qui in Belgio hac fere de cauſa longe frequentiorem morbum, quam alibi eſſe refert, & tempore autumnali, & in humidis, paludoſis, vappidiſque locis, quæ aer purus, & ſeptemtrionalis perflare ſatis apte non poteſt feminis familiarem, ut Hoffmannus oſtendit (*f*).

Quæ laborioſos partus, abortus, violentas placentæ avulſiones &c.] Hactenus cauſis immorati ſumus, quæ totius corporis partes cum ſolidas, tum fluidas vitiando occaſionem morbo præbent convenientiſſimam. Reliquum eſt, ut ad eas contemplandas progrediamur, quæ ſolum uterum, in quo morbi ſedes ſtatuta eſt, ea ratione afficiunt, qua non modo ad propria munia obeunda ſit accommodatus, ſed fluori albo quamplurimum tribuat. In horum cenſu veniunt in primis partus difficiles, ac laborioſi, de quibus ſuperiori capite actum eſt, abortus, violentæ poſt partum placentæ avulſiones, quibus vaſa fibræque uteri plus æquo relaxantur, ejuſque tonus plane evertitur, quo deficiente magnam ibi in toto corpore redundantium humorum copiam congeri contingit, per varias circumgyrationes, ac ſerpentinos ductus difficilius regredi, atque per ejuſdem emiſſaria, poros, atque meatus egredi. Quid non uteri tonum deſtruunt immodici menſium fluxus tum diſtendendo plus æquo vaſa, tum eorum oſcula reſerando, fibraſque corrumpendo, atque immania interdum ulcuſcula excitando? Res ex ſuperiori capite allatis adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

V. *Si tertiam varii colore, conſiſtentia, odore humoris fluxu cum ſenſu ardoris, & dolore.*] Nemo ignorat varii humoris nomine in gonorrhea virulenta ſtillantis & ſpiſſum, & flavum, & viridem, & utriſque mixtum, & fetidum eſſe intelligendum, quæ ſolæ differentiæ ſi a medicis ſpectentur dici vix poteſt, quam facile in fraudem inducantur. Præterquamquod fluori albo notho dicto hæ omnes affectiones communes ſunt, accedit præterea eaſdem & ulceribus uteri non contagioſis convenire, ut ex Cluſio præ ceteris colligi poteſt, (*g*) e cujus fundo, aut interno orificio materia excernitur, quæ fœtida eſt, interdum albeſcens, ſæpius tamen ſeri corrupti ex vaſis ulceratæ partis exeuntis mixtione varie colorata. Optimum eſt alias adeſſe multas, quæ ulceris proprie ſunt, nempe hæmorrhagias ſanguinis valde inſignes, adnotante cl. Mauriceau, quæ menſtruorum loco ſuperveniunt, quæque parum ſedatæ in fluorem mutantur ſeri loturæ carnium ſimilis, cum his ſæpe etiam parvis atri, corruptique ſanguinis grumis exeuntibus. His adde mulierem non ſine maximo dolore concubitum ferre poſſe, atque ipſum frequenter hæmorrhagiæ recidivam promovere. Hæc omnia ſi abeſſe intelligantur jam omnis ulceris ſuſpicio evaneſcet. Quomodo vero a fluore albo diſtinguenda ſit gonorrhæa virulenta arduum atque inſolens mihi ſemper viſum fuit aſſerere, quidquid alii blaterent, qui laudato Mauriceau præſertim, & Char-leto-

(f) *Loc. cit.*

(g) *Obſ. medic. rarior. ob. 4. & 5. de ulcere muſcular. uteri vaginæ vicin. & utero purulento.*

letono (*h*) præeuntibus ad credendum vehementer adducti ſunt ſaltem ex loco exeuntis materiæ, atque ex modo exeundi certum gonorrheæ capi poſſe argumentum. Cum enim miaſma venereum ex trita ſententia proſtatas glandulosas glandoſumque corpus principio urethræ appoſitum ad collum veſicæ inficiat inflammando, erodendo, exulcerando, non ſine inſigni dolore & moleſtia earum partium vicinarumque urinam dejici poſſe affirmant, quæ fœda quadam, viſcida, viridique materia obducta videtur, quæ interdum ea peccat acrimonia, ut eaſdem exulceret, nec fluentibus Catameniis fluere deſinit, ut in fluore albo fieri ſolet, qui menſes ſolum antecedit, vel ſequitur. Sumpta propterea a Baglivo occaſio (*i*) ſtatuendi infallibile tales morbos ab invicem diſtinguendi ſignum ſuo illo aphoriſmo: *Pete a muliere an tempore menſium fluor ille albæ materiæ adſit, ſi dicat quod ſit, ſignificato eidem, quod morbus a quo divexatur ſit gonorrhæa gallica: ſi vero durante menſtruatione fluor albus evaneſcat, & eadem finita denuo regrediatur, pro certo habeas mulierem fluore albo uterino laborare*. Sed major difficultas inde exorta præcluſo veluti afferendi aditu cuinam cauſæ aſſignanda vicinarum partium eroſio, exulceratio cum inſigni ardore, ac proritu juncta, quæ fluore albo detentis nullo prægreſſo contagio venereo accidere ſolet præſertim ſcorbuticis, & in quibus ſeri vitium ad ſummum acrimoniæ gradum evectum eſt. Deinceps qua ratione, aut modo fieri poſſe dicamus, ut materies quæ in gonorrhæa a proſtatis femineis glanduliſque Couuperianis manat, licet longe a vagina, quæ menſium via eſt, ſcaturiat, quandiu tamen iidem ubertim profluunt, ita cum iiſdem in vulva minime commiſceatur, atque propterea atro, ſive purpureo colore non inficiatur, ut dignoſci amplius nequeat in mulieribus quandiu menſtruantur? Quid porro ſi gonorrhææ ſedes in vaginæ glandulis ſit agnoſcenda? Quemadmodum nimirum ſeroſi, ac lymphatici humores in fluore albo ſtillantes cum menſtruo ſanguine ab utero, vel a vagina defluente ita confunduntur, ut nullum eorum præbeant indicium pari ratione materiam virulentam, quæ inde defluit iiſdem plane viciſſitudinibus obnoxiam eſſe debere luce clarius apparet, ut præſtantiſſimus Aſtrucius arbitratus eſt. Sed quibus tandem notis in feminis gonorrhæam virulentam a fluore albo ſimplici diſtinguemus? An parva quantitate exeuntis humoris? Ad hanc reponit laudatus Mauriceau gonorrhæas virulentas, atque matricis ulcera, in quibus tanta profluit putris materiæ copia, quanta exire in fluore muliebri poteſt. An vulvæ inſpectione? Placuit quidem laudato Aſtrucio unam veri indagandi rationem afferre, quæ in eo potiſſimum conſiſtit, ut vulva introſpiciatur: cum enim purulenta materies ex proſtatis per lacunas in ſuperiorem vulvæ partem, aut ex glandulis Couuperianis in inferiorem exprimatur, certum capi poſſe argumentum exiſtimat gonorrhææ virulentæ, non fluoris albi, cujus materies ab utero per vaginam profluit: idque eo magis ſi in iis vulvæ locis, quibus proſtatæ, aut glandulæ Couuperianæ adſident inflammationis, aut ſaltem phlogoſeos ſigna appareant, dum cetera vulvæ loca ab omni labe immunia ſunt. Cui tamen id objici poſſe perſpicuum eſt, gonorrhæam ſæpe ſæpius vaginæ glandulis inſidere, in quibus idem ipſe albus fluor ſedem conſtituit, ideoque ne vulvæ quidem inſpectione a fluxu muliebri diſtingui gonorrhæam virulentam ullo pacto poſſe, quod fateri opus

(h) *Genealog. rheumatiſ. uteri ſive fluoris albi hiſtor.*

(i) *Prax. med. lib. 2. cap. 8. ſ. 3.*

pus ipſi fuit, atque pro veritatis amore rem dubiam, atque ambiguam relinquere, donec aperta ægrotantis confeſſione, aut impuri concubitus notitia verum tandem appareat, aut ex morbi difficultate, atque ſævitie ſymptomatum ſupervenientium, quæ cauſam ab extraneo veneno repetendam eſſe protenſo quaſi digito commonſtrant.

VI. *Si primum contingat omnis fere periculi expers eſt morbus &c.*] Cum cauſa fluoris albi legitimi in nimia lymphæ genitalis abundantia, aut fervore ſit reponenda in juvenibus plenis, & in cęlibatu opipare lauteque viventibus, & ab omni triſti cogitatione alienis, & non modo inſigni viſcerum, aut ſolidarum partium labe, ſed ne labis quidem ſuſpicione, parum medentibus allaborandum eſſe, ut ægrotantes in priſtinum valetudinis ſtatum reſtituantur perſpicuum eſt. Quid enim facilius, quam aut copiam minuere, aut fervorem a ſulphureis, tenujoribuſque particulis a cauſis externis exaltatis temperare? At non pari felicitate optato fine potiri eos poſſe judicandum ſi acrimonia accedat, quæ ab incongruis ſuccis, & ſuperfluis, & vitioſis ſalibus inquinati ſanguinis foveatur, & ut de notho dictum eſt, ſi laxatæ præter modum ſint glandulæ vaginæ, conterminiſque partibus inſidentes, quod ſcorbuticis, cachochymicis plerumque familiare eſt, in quibus propterea invaleſcit, & graviorum ſymptomatum ſatellitio ſtipata in nothum fluxum facile degenerat, ac diutius protrahitur.

VII. *Sin alterum, & melancholicæ, & ſteriles feminæ evadunt &c.*] Si ſolum pravus corporis habitus, ſeu cachexia muliebrem fluorem comitaretur cum languore corporis, & functionum imbecillitate dolere mulieres ſuam vicem facile equidem judicaverim, callido tamen aliquo artificio, fucoque utentes Romanarum Principum, quarum ſupra meminimus, præeunte exemplo, quo roſeo faciei colore conciliato, maritis ſi nuptæ placerent, ſi virgines prætereuntibus, proclive eſt credere morbum ægre minus laturas. At graviſſimum iis ſemper viſum, fętentem ex pudendis materiam profluere, quę cum ipſis pruritum, mordicationem, ardorem moleſtum parit, maritis nauſeam, atque faſtidium movet, ſic ut ab earum conſortio prorſus abſtineant. Quod ſane dici vix poteſt, quam valde inde triſtentur ſic ut melancholicę evadant. Quinimmo laxato præter morem uteri tono, & ſero copioſo illuc confluente vix prima conceptus rudimenta jaci poſſunt, quin corrumpatur, & foras elabatur, ideoque aut abortum continuo patiuntur, aut ſteriles redduntur, ut teſtatus eſt Hippocrates (*k*) *Quæ præhumidos habent uteros, gravidari nequeunt; extinguitur enim ipſis genitura*: & alibi (*l*) *Si uteri lubrici fuerint mulier non concipit, ſemen enim foras elabi ſinunt*. Quid quod ob copiam ſeroſorum humorum fibræ internæ vaginæ tunicæ ſic relaxentur, ut extra pudenda ſub forma rotunda, qualis videtur eſſe uteri, propendeat, unde in morbum procidentiam uteri dictum labantur?

In uteri procidentiam.] Quæ cum dico video jam quantum mihi diſcriminis reſtet cum iis, qui Veteribus addicti ad credendum vehementer adducuntur, in hoc affectu uterum extra locum ſuum progredi, & extra pudenda propendere. Verum ii mihi monendi ſunt, uterum firmiſſimis ligamentis inſtructum eſſe, ut ne a cauſa quidem violenta exteriore ſuo loco dimoveri poſſit, veluti lapſu ab alto, violenta ſecundinæ, aut partus extractione, alicujus oneris elevatione. Quod ſi forte hiſce in caſubus obſervare contingat,

(k) 5. *aph.* 42. (l) *Lib. de ſterilitate*.

gat, tunc potius convulſio, aut raptus uteri, non procidentia appellatur. Solent quidem gravidæ mulieres adnotante cl. Mauriceau in imo ventris extraordinarium pondus percipere, quod a pondere in uteri cavitate contento excitatur, qui ad cervicem uſque protenditur, & quandoque etiam infra ipſum, ut nonniſi ægre admodum, & elatis cruribus deambulare queant, aut coitu uti, quin inſigni dolore afficiantur, cum ultimis gravidationis menſibus crurum etiam ſtupore, mejendi difficultate, & alvi ſtypticitate corripiantur, preſſione ſcilicet nervo crurali facta, veſicæ collo, & recto inteſtino, per quod fęces excrementaque omnia ejiciuntur, cujus quidem ſententia nihil probabilius afferri poſſe videtur. Illud tamen aſſequi nulla ratione poſſum, quomodo non ſolum primo geſtationis menſe, ſed quinto etiam pars interni uteri orificii extra pudenda foras ad pugni magnitudinem prolabentem in nonnullis mulieribus vidiſſe teſtetur, nec diligentius animadverterit ipſius dilatationem, ac molem propter fętum intus contentum grandiorem factam eſſe impedimento & non multum abſimili, quod experiuntur illæ, quæ ad nonum uſque menſem pertingunt, quaſque uteri prolapſu nunquam corripi affirmat. Quo ſane licet non immerito ſuſpicari eumdem quoque ut Veteres tunica vaginæ interna ſic relaxata ob copiam ſeroſorum humorum (id quod mulieribus fluore uteri albo laborantibus familiare eſſe idem fatetur) dictæ membranæ fibras laxantium, ut extra pudenda ſub forma rotunda uterum repræſentante propendeat deceptum fuiſſe. Saltem raptum, aut convulſionem uteri paſſas fuiſſe dictas mulieres facile equidem judicaverim, ut ſummus dolor, ac mejendi difficultas adeo inſignis, ut in abortus diſcrimine conſtituerentur præclare evincunt, ſi quæ alia.

In hydropem, tabem, atrophiam &c.] Jam omnibus partium functionibus labefactatis, ac primum quidem ad Chyli elaborationem, perfectionemque concurrentium, non ſolum chylum, ſed ſanguinem aqueum ſeroſumque generari neceſſum eſt, cordis vero ac vaſorum omnium vi, atque elatere ceſſante tolli congruam ſanguinis mixtionem, ſeroſas partes a reliquarum nexu ſecedere, per laxatas tunicas tranſudare & in cavitates effundi, unde hydropes, ut de hæmorrhagiis quibuſcumque largis, & perennibus ſæpius a nobis eſt demonſtratum. Quid quod ſeroſa illuvie proxima ſucci nutritii materia ea ratione depravetur, qua nutriendo corpori inepta conſtituatur, aut tota quanta eſt una cum reliquis humoribus extra corpus per laxatas uteri vias elabatur? Tunc vero tabem, atrophiam exoriri adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

VIII. *Si tertium ulcera pudendorum ſordida incurrunt, ſi vero male curentur, bubones &c.*] Cum miaſma venereum genitalia inficit vires ſuas exercere potiſſimum ſuccos, quos offendit diſſolvendo, eorumque craſim pervertendo, ſolidas vero partes inflammando, erodendo, ulcerando, genitalium dolores, ardores, tumores, fluxus ex iiſdem perennis, & nunquam intermiſſus ſanioſæ, ac purulentæ materiæ ſatis abunde declarant, & ratio ab obſervationibus ſuperius allatis ducta confirmat. Niſi cito, & opportune morbo occurratur, quid facilius, quam ut late ſerpat, & ſi prius inflammatæ partes fuerint ſuppurentur, & in ulcera pudendorum ſordida deſinant? Quid ſi ingraveſcat malum, aut minus rite tractetur? Si nimirum immaturius ſupprimatur præſto ſunt lymphatica vaſa a pudendis ad inguina abeuntia, per quæ

glandulis inguinalibus communicatum venenum in tumorem durum, dolentem, lente ad ſuppurationem abeuntem elevat, unde bubo venereus excitatur. Quid ſi per eadem vaſa (quod facili negotio ſæpe ſæpius contingit) abeat in ſanguinem, ejuſque craſim univerſam inficiat? Nullum propemodum morbum, ſi ſingulos, & univerſos animo, & cogitatione percurras reperiri Medentibus datum eſt, qui ab eodem tamquam rivulus a fonte promanare nequeat. Quoniam vero vis maxime inſignis cogendi partes fluidas, & ferme cauſtica, ac corroſiva ſolidarum, clarum idem fecit, ubi altas in penetralibus viſcerum radices egerit, ea demum atrocitate ſe prodit, ut nova perpetim malorum ſeries in dies ſingulos augeatur. Inter hæc eminent lancinantes capitis dolores, arthritides noctu præſertim excruciantes, faucium ulcera, oſſium naſi exeſio, ſcabies, elephantiaſis, puſtulæ cancri naturam æmulantes, tophi, tabes, atrophia, mors.

IX. *In priore caſu venæ ſectio ratione plenitudinis habita &c.*] Cum fluor albus non virulentus juxta allatam diviſionem ſit legitimus, ac nothus, legitimus vero a nimio lymphæ ſemini analogæ, ſeu genitalis, vel ab ejuſdem fervore nimio proficiſcatur, indicationes non alias occurrere, quam nimiam lympham imminuendi, ac temperandi, atque ipſius orgaſmum coercendi perſpicuum eſt. Ad has adimplendas quæri a Medicis ſolet num venæ ſectio ſit celebranda. Veteres duce Galeno qui fluoris nomen generatim acceperunt, nec longius progreſſi differentiis ab ejus eſſentia, cauſiſque optime ductis ſtuduere, quoniam invaluit a ſeroſis, lymphaticiſque humoribus in toto corpore redundantibus ortum traducere, qui ad uterum præter morem laxatum delati per vias, poros, ductus, atque emiſſaria foras ubertim effluunt, curationem ab univerſali humorum redundantium evacuatione incipiendam tradiderunt, ea quidem per purgantia inſtituta, non per venæ ſectionem, ne peccantes humores attracti ad venas maſſam ſanguinis inquinarent. Silentio prætereo, quod de virium diſpendio ajebant, quæ cum in hoc affectu valde dejiciantur, majus adhuc venæ ſectione fieri arbitrabantur, & de hydrope, quem promoveri eadem verebantur, etiamſi menſtrua ſint imminuta, cum jam ſanguis in cachochymiam migrarit. Non defuere tamen ſucceſſu temporis plerique, qui generale præceptum minus accurate ſervandum exiſtimarunt, ac ſi fluor non ſit purus, & ſolitarius, ſed ſanguini aliquo modo permixtus, & ſubruber appareat tunc celebrari poſſe venæ ſectionem, tum etiam ſi inſignior ſit jecoris caliditas, & corporis plenitudo. Hi fere ſunt ſupra laudati Ludovicus Mercatus, Rodericus a Caſtro, Jo. Fortis, Meſnard, Mauriceau, Hoffmannus, aliique, ut nullus hac de re dubitandi locus ſuperſit. Cur porro ſalubri eventu non adhibeatur venæ ſectio, ſi morbus a copia, & fervore lymphæ genitalis exoriatur, inter initia, in juvenibus laute viventibus, & in quibus nulla non modo cachexia, ſed ne ſuſpicio quidem apparet? Præterquamquod etiamſi adeſſet, & Menſium ſuppreſſionem pro cauſa agnoſceret, qua plenitudo in corpus induceretur minus verenda, ut alibi demonſtratum eſt (*m*) juxta Trallia-ni monitum, qui vel in Anaſarca ab hoc fonte prodeunte venæ ſectionem celebrandam tradidit.

Mane vero, & veſpere decoctio levis Plantagin. portulac. &c.] Ea etiam quæ nimium ſanguinis motum compeſcere fervoremque temperare valent, hic lo-

(m) *Aph. lib. 2. cap. 5. p. 81.*

locum habere perſpicuum eſt: inter quæ plantæ quædam noſtrates eminent nitroſo, aut huic perſimili ſale præditæ, quæ etiam refrigerantia dicuntur, cujuſmodi ſunt plantago, portulaca, nymphæa &c. quibus ſi nitrum ipſum addatur dici vix poteſt, quam apte ægrotantium incolumitati conſulatur, ut ſæpius oſtenſum eſt. Id quod æque de emulſionibus frigidis eſt affirmandum, & papaveraceis, quæ etiam facultate anodyna donantur, unde irritationes, & ſpirituum effrænes motus ſedando ad quaſcumque evacuationes a ſanguinis, humorumque orgaſmo, ac rareſcentia oriundas eximiæ virtutis. Quoniam vero acrimonia interdum conjungitur, ſumptum inde conſilium ea etiam addendi, ubi morbus mitioribus non cedat, quæ acrium humorum ſpicula imbibendo, effræneſque particulas hauriendo pravam eorum indolem infringunt, laxatiſque partibus ſubinde medentur: ſervato in medicamentorum uſu in primis ordine, atque a moderato clementique ad validius deveniendo, ne primo ſtatim in limine contra inſtituta præceptumque naturæ ad extremos uſus confugias, in iiſque tandiu perſeverando, dum contumacem materiam, acreſque ſuccos, unde crebro ſanguinis corpuſcula diſſolvi contingit, atque nimias evacuationes foveri, temperatos fuiſſe, laxatas vero partes ad priſtinum robur redactas haud procul omni ratione dici poſſe videatur. Hoc argumento propterea adducimur ad credendum prodeſſe non ſolum pulveres abſorbentes ex oſſ. ſepi. coral. &c. ſed chronico evadente morbo, & ſuccos cichoraceos optime depuratos, aut ſero lactis ſtillatos, & aquas Nocerianas, aut B. V. aut Willenſes, & lac, & alia recenſita, quorum omnium pulcherrima laus eſt excretionibus quibuſcumque, in quibus meatus, atque emiſſaria partim nocuorum ſalium, partim copia, fervore, & vi incurrentis humoris didu&ta ſunt prompte ſuccurrere; tum ab incongruis ſuccis, & ſuperfluis & vitioſis ſalibus inquinati ſanguinis craſim emendando, tum efficiendo ut remiſſo humorum motu, qui prius in affecta vaſa impetum dederat, vitioſæ excretionis occaſio deficiat.

X. *In altero caſu purgatio inſtituenda pillul. Paracel. ſuccinat. Crat. &c.*] Nil erit cur pugnemus cum iis, qui univerſum corpus a ſeroſa colluvie liberandum, ſanguinis, & humorum vitium corrigendum, & laxata præter morem vaſcula, ductus, emiſſaria, glandulas corroborandas eſſe exiſtimarunt. Ad primam indicationem quod attinet, purgantia medicamenta principem obtinere locum plerique Veterum, & Recentiorum uno ore affirmarunt. Ubi enim excrementitii humores in primis viis hærent, qui coctiones excretioneſque impediunt, aut in viſceribus imi ventris, hepate, meſenterio, pancreate ſtabulantur, dici vix poteſt, quam commode per inteſtina expurgentur, cum quibus non levem habent communicationem, multo magis ſi ab aliquo viſcere, puta ab utero ſint revellendi, cum inteſtina, atque inferiores partes ſtimulando humores ad ea loca alliciant. Ad purgantium autem delectum ſummopere attendendum eſt, atque inter innumera ea in uſum vocanda, quæ in materiam excernendam ſolum agunt, vel etiam ipſa inteſtina leniter ſtimulant, atque humores, qui in eorum fiſtulis, & folliculis ad exitum paratiores continentur, evacuant. Ejuſmodi ſunt pillulæ capitales Paracelſi, de Succin. Craton. & ſimiles, quæ ratione Aloes, quarum eſt baſis ad ſeroſos, craſſos, difficileſque humores expurgandos ſunt opportuniſſimæ. Mitiſſimas autem eſſe præterquamquod quotidiana experien-

M 2 tia

tia compertum eſt, cum commode, & magno cum fructu in quibuſdam capitis morbis exhibeantur, etiamſi præternaturales adſint nervorum contractiones, ratio etiam præclare evincit, cum aliquo opus ſit ſtimulo, ut laudabilem edant operationem. Quid ſi non una vice tantum, ſed pluribus iteratiſque peccans humor ſit educendus, & poſtquam rite ad expurgationem paratus fuerit, ut optato fine potiamur? Hæc nimirum eſt ea commodiſſima purgandi ratio non minus ac tutiſſima, in qua humores ſenſim, atque aſſidue avocantur, utcumque magnus ſit eorum apparatus, qui totus ſimul nequit auferri.

Quorum dierum intervallo decoctio ex lign. Guajac. &c.] Viæ ad ſuperfluitates omnes ſeroſas, lentaſque eliminandas omnium convenientiſſimæ, ut alibi oſtendimus (*n*) ſunt viæ ſudoris. Sudorifica vi inſigni pollent ligna multa, Guajacum præ cæteris, ejuſque cortex, qui etiam majori partium tenujorum ac volatilium copia donatur, ut Fernelius experientia didicit, & analyſi ejuſdem inſtituta comperit cl. Geoffroy (*o*). Hinc eximius ejus uſus, ubi vividiores ſanguinis partes, quæ alicubi tenaciter adhærent, mucoſæque quiſquiliæ atterendæ ſunt, ſerum omne ſuperfluum abſumendum, univerſa ſanguinis maſſa exſolvenda, atque ut ajunt refermentanda: multo magis ſi partes quædam duriores Animalium, ut Cor. Cer. Ebur, aliaque id genus addantur, quæ volatiles quaſdam continent particulas iiſdem plane muneribus obeundis aptiſſimas, nec non bardanæ radix, cujus decoctum a Simone Paulli decocto Sarſæ peril. & cæterorum lignorum exoticorum præſtantius cenſetur, ſaltem ut egregie animadvertit cl. Geoffroy pro emaciatis, & rarioris texturæ ægrotantibus, qui eamdem etiam tamquam diureticam, ſudorificam, nec non uterinam, & vulnerariam prædicat, quibus potiſſimum facultatibus opus eſſe in morbo, in quo ſeroſa peccat totius corporis colluvies, uterus præter morem laxatus eſt, & ejus fluor maxime inſignis, etiam me tacente facile omnes intelligunt.

XI. *Si tamen gracilis ſit mulier, aut calidioris temperamenti ſolum ſyrupus de cichor. cum rhabarb. &c.*] Quod de radice Bardanæ paulo ante diximus præſtantiorem eſſe lignis exoticis, ſaltem pro emaciatis, & rarioris texturæ ægrotis aptiſſime cadit in hunc locum. Si enim res ſit cum gracili, aut hyſterica Muliere, ſeu ſenſibiliori indole prædita, & in qua nimia adeſt nervearum partium ad oſcillandum promptitudo, ſanguis vero humoreſque tenues, acres, atque ad alchaleſcendum diſpoſiti, nemo eſt, qui non videat purgantia utcumque vehementiora non ſint, & quæ attenuandi, exſolvendi, fundendique vim habent non eſſe indiſcriminatim adhibenda. Ea porro in hoc caſu viſa ſunt convenire, quæ mitiſſima purgandi virtute donantur, quæ potiſſimum in rhabarbaro elucet, ejuſque ſyrupo, qui per longius tempus exhibitus dici vix poteſt, quam apte incongruos, vitioſoſque ſuccos per alvum ſimul, & urinas evacuet, atque laxatas partes ea ſui parte, quæ adſtringendi, ſeu mavis roborandi vim habet ad priſtinum robur reſtituat. Quod a rhabarbaro in ſubſtantia ſperare inane prorſus eſt, niſi pingui alicui conſervæ miſceatur, cum paulo ſiccioris ſit texturæ, ideoque parum, aut nihil purget, præſertim ubi fervida ſunt viſcera, ſolidæque partes aridæ, aduſtæque. Quo caſu ut ſummum ejus infuſio mitis locum habere poteſt. Quid ſua laxante ptiſana non præſtitit Riverius, qui Mulierem quadra-

(n) *Aph. lib.* 1. *cap.* 8. *p.* 162. (o) *Mater. Med. p.* 2. *art.* 3. *&c.*

dragenariam diuturno fluore albo laborantem multis remediis fruſtra tentatis ejuſdem uſu ſingulis diebus per Menſem integrum facto protinus liberaſſe teſtatus eſt (*p*) unde eam rurſus in praxi valde commendat. Ut autem ejus vis clare innoteſcat videndum eſt, quibus conſtet, & quomodo pare- tur. Ita autem ſe habet. ♃. Sen. mund. ℥ i. Semin. Coriand. præp. lique- rit. ras. a ℥ i. .5. aq. font.in qua Tamarindor. ℥ iii. & ligni lentiſc. ℥ i. bullierint cyathum unum: infundantur frigide per noctem, & f. colatura, quæ mane duabus horis ante paſtum exhibeatur. Ex quibus apparet Sennam, & Tamarindos ptiſanæ baſim conſtituere, cætera ejus correctionem moliri. Quod præſertim de ſemine coriandorum eſt intelligendum. Licet enim mitiori purgandi vi polleant Sennæ folia, ſi prius a ſtipitibus mundentur, aqua tamen decócta ingratam potionem exhibet, & tormina potius, quam alvum ciere valet. Quapropter captum accuratiorum Medentium conſilium ejus infuſionem aut leviſſimo calore parare, aut ut Riverius conſuevit frigidam, ad ejus vero correctionem ſemen coriandorum addere. Quoniam doſis drachmæ unius, quam præcepit admodum exigua eſt, ideo ejus infuſionem aqua, in qua Tamarindi ebullierint, parare conſultum duxit: qui ſoli etiam ſero lactis aut aqua fontis decocti, ut toties demonſtravimus, biliofis, fervidiſque humoribus evacuandis, & ex maſſa ſanguinea præcipitandis, ejuſque orgaſmo, ac rareſcentiæ compeſcendæ ſuavi acore, quo ſunt præditi opportuniſſimi exiſtunt. Ubi hæc diligenter teneas, facile intelliges, cur ſi loco decocti Guajaci aliorumque exagitantium corporum ſarſam pe- rillam ſero caprili per noctem infuſam, & radicem ligni Saſſaphras adhibeamus, optime ægrotantium gracilium, & quæ ſpaſmis, & convulſionibus obnoxiæ ſunt incolumitati conſulamus. Præterquam enim quod tenues ejus partes infuſione ſimplici per noctem vix ſero communicentur, accedit præ- terea ita ab oleoſis lævibuſque ſeri particulis coerceri, ut vix ullam humorum perturbationem ciere valeant præter eam, quæ ad ſeroſos, ac lymphaticos humores leniter abſumendos, acreſque contemperandos eſt neceſſaria.

XII. *Tunc tranſitus fiat ad pulverem ex ebur. præp. cor. cer. uſto &c.*] Expurgatis hac ratione in diverſis ſubjectis primis viis, incongruorumque ſuccorum, atque vitioſorum ſalium ſanguinem inficientium, viſcerum vero excernentium textura eo redacta, ut hæc ad numerum pateant, illi vero paulatim commoti per excretoria denique excedant, ea in uſum eſſe vocanda, quæ cum effrænes, ſi quæ ſuperſtites fuerint particulas hauriendo pravorum fermentorum indolem infringunt, tum laxatis præter morem vaſculis uterum, conterminaſque partes percurrentibus prompte ſubveniunt ex dictis adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Ejuſmodi ſunt terrea quædam, atque imbibentia corpora, nempe ebur, cornu cervi uſtum, ocul. cancror. coral. aliaque id genus, quibus Opium ipſum torrefactum addatur, quæ omnia adverſus immodicum Menſium fluxum eximias vires habere ſuperiori capite domonſtratum eſt; vel rotulæ ex iiſdem fiant interdiu aſſumendæ, vel ex infuſo theiformi exhibeantur plantarum, quæ exſiccante, ſimulque vulneraria virtute donantur: uti fere ſunt ros marinus, & horminum, quorum decoctum proponit Etmullerus, cum Tragus horminum frigidis, infœcundis, & fluore albo laborantibus feminis ſubvenire teſtatus fuerit. Quod & de lamio, & galeopſi eſt plane intelligendum, quæ ratio- ne

(p) *Cent.* 3. *obs.* 81.

ne ſulphuris terræ impliciti, ut cl. Tournefortii, & Geoffroy experimentis compertum eſt, balſamicam, & exſiccantem virtutem ſortita ſunt, hinc paſſim apud Medentes in uſu maximo. Neque ea abſimilem operam polliceri quis ſibi poteſt ex uſu philipendulæ, bellidis, aliarumque ſimilium, quæ vulnerariæ appellantur ab earum efficacia in vulnerum curatione inſignium. Si de Throchiſcis de Carabe ſermo ſit, eos & Cornu Cervi uſtum, & coralla, & opium, & gummata vulneraria ac balſamica aliaque id genus componunt, a quibus ſi opium excipias parum differunt Trochiſci de Spodio, quorum virtus propterea in humorum acrimonia temperanda, & ſimul adſtringendo maxime elucet.

XIII. *Hiſce fruſtra adhibitis ſpecificum Hippocraticum, aut Janſortianum &c.*] Innumera fere ſunt, quæ utero ſive corroborando, ſive exſiccando, ſive laxata vaſcula adſtringendo fluorem Muliebrem ſiſtere tradunt fere Scriptores magni, & docti, quos tamen omnes in eo conſentientes video, ut nunquam adhibenda exiſtiment, donec antecedens materia, ſeu lymphatici ſeroſique humores in toto corpore redundantes probe evacuati fuerint, atque abſumti. Galenus fere anſam dedit, qui uxorem Boethi præpoſtero adſtringentium uſu tractatam uteri hydrope retentis humoribus, qui antea evacuari ſolebant, correptam fuiſſe ſcriptum reliquit (*q*). Specifica nonnulla his accenſentur: quæ quidem non omnia tradam, cum infinita ſint, ſed maxime illuſtria, ſeu propter Auctoris celebritatem, ſeu quod diuturno uſu, & experientia ſint comprobata. Inter hæc eminet illud Hippocratis ex ſemine lactucæ, & cortice pini deſumptum ad ʒ i. exhibendum, nec non Raymundi Jo. Fortis, qui pulverem turturis granis maſtiche repleti, & in furno exſiccati ad ʒ i. quotidie propinatum commendat. Hiſce non ſemel uſus votis reſpondiſſe deprehendi, ſive quod revera habeat, cur prodeſſe debuerit, ſive quod ipſa ipſius ſeneſcentis morbi conditio profuerit. Neque impares virtutes novi in opiata ea non multum abſimili, quam Zechius proponit additione tamen Theriacæ, quæ inter præcipue roborantia in corporibus pituitoſis uſurpanda a Riverio recenſetur, aut Diaſcordeo Fracaſtorei, quod a Sylvio in quorumvis humorum acrimonia magno in pretio habetur, cui æger ſuperbibat aquam foliorum quercus, quorum decocto cum coagulo leporis ſe feliciſſime uſum fuiſſe teſtatus eſt Mercurialis.

XIV. *Hæc dum fiunt injectiones adhibeantur, ſi aliquis ſit ardor ex aqua decoct. hord. &c.*] Quod de interno adſtringentium uſu dictum eſt, idem plane de internorum eſt intelligendum. Quo loco dici vix poteſt, quam male Mulierum incolumitati conſulatur a nonnullis imperitis obſtetricibus quæ ad fluorem album ſiſtendum ad injectiones, aliaque adſtringentia medicamenta ſtatim confugiunt. Quem peſſimum morem altiori voce damnarunt, & e medio tollere quantum illis fas fuit conati ſunt clariores Medicinæ proceres, præ cæteris vero cl. Mauriceau, qui cum animadvertiſſet retentis in utero pravis, vitioſiſque humoribus, quos extra corpus ejicere natura moliebatur propter juſtam nimis, atque intempeſtivam vaſorum adſtrictionem, altius uteri ſubſtantiam facile penetrare, atque intemperiem ſatis inſignem, aut unum aliquem curatu difficillimum tumorem, aut hydropem uteri progignere poſſe, ita ab eorum uſu abhorruit, ut niſi Mulieribus indulgere ſe fateretur, quæ proclives plerunque eſſe conſueverunt in

(q) *Lib. de præſag. ad poſth. cap. 8.*

in adſtringentium uſum, quibus oſculum uteri ea ratione coarctent, qua viris in coitu chariores evadant, ab iis penitus abſtinendum eſſe facile judicavit. Atque ea potiſſimum ratione ad id decernendum adductum eſſe unuſquiſque facile intelligit, quod ejuſmodi remedii genere tolli, aut plurimum ſaltem retardari poteſt ſaluberrima illa evacuatio menſtrui ſanguinis ad earum incolumitatem tantopere neceſſaria. Sumpta propterea ab accuratioribus practicis ſtatuendi occaſio, eadem longe a conſueta purgationis periodo, quinque videlicet, aut ſex circiter ante dies non eſſe adhibenda, neque niſi totum illud temporis ſpatium, quo Menſes erumpere ſolent, jam prius evaſerit, repetenda. Quæ ſi ita ſe non habent, vix explicandi ratio ſuppetit, cur ſi aliquis ardor partium adſit ab acrium, atque erodentium humorum ſpiculis, dum eas remetiuntur, excitatus, primum temperandus ſit aqua decoctionis hordei, aut ſero lactis, aut alio ſimili miti medicamento, quod acres particulas hinc inde diluendo, diſſociando, & involvendo in cauſa eſt, ut ineptæ ad mordendum, atque erodendum conſtituantur, ſimulque, quod laxatum partium tonum blande corroboret, quod poſtremum Kalybis extinctione facile obtinetur; donec validioribus adſtringentibus locus detur ex plantagine, myrto, aliiſque ejus cenſus deſumptis, præſertim vero ex alumine, de quibus ſuperiori capite actum eſt.

XV. *Pulmentis, & ferculis tunc ſalviam, & ros marinum incoqui juvat, & carnibus aſſatis veſci.*] Summo etiam diætæ regimine opus eſt, ut Mulieres valetudinem recuperent, eamque diutius conſervent. Ita enim earum natura comparata eſt, ut in quos morbos ratione uteri male affecti labuntur, iiſdem denuo, niſi per intervalla remediis utantur ad ſanguinem, humoreſque depurandos, tum partium tonum reſtituendum aptis natis, aut optimo victus genere gubernentur, iiſdem denuo per intervalla divexentur. Quoniam vero nullum tam mite, ac leve medicamen reperiri Medentibus datum eſt, quod diu repetitum aliqua ex parte non lædat, aut ſaltem ſtomachum, & nauſeam moveat, hinc in iis ſumma quandoque Medicina eſt, nulla uti medicina, atque opus omne diætæ committere, ea cum cibis miſcendo, quæ præterquamquod ſtomachi amicitia non parum commendat, ut in deliciis fere habeantur, eadem etiam exſiccandi, ſuperfluitates conſumendi, leniter adſtringendi facultas clara fecit. Ejuſmodi ſunt ſalvia, ros marinus, & aliæ ſimiles plantæ. Summe etiam intereſt non ſolum bonos, ac laudabiles cibos aſſumi, ut ſunt carnes juniorum Animantium, tum quadrupedum, tum etiam ſylveſtrium, & volucrium, quarum illæ gelatinoſa ſubſtantia gaudent, hæ leviori, & mobiliori, quæ in diverſis ſubjectis pro diverſitate temperamenti ſeligi poſſunt, ſed ita coctos, & præparatos, ut aliquam excitent alterationem, quæ cauſæ morbum efficienti adverſetur. Ita in iis, qui præhumido ſunt corpore, & ſuperfluitatibus abundant aſſatæ carnes ſunt ſalubriores, quam elixæ, cum nonnihil & ipſæ exſiccent, & languentibus partibus robur addant. Ab acribus vero, & ſalſis quam diligentiſſime cavendum, ſiquidem non ſolum nutritioni ſunt ferme inepta, cum nimis diſtent a mucilaginoſa, ac blanda nutritiæ ſubſtantiæ natura, ſed humores ipſos, ac nutritium ſuccum plus æquo ſolvunt, ſolidaſque partes abradunt, unde morbus a ſeroſis, lymphaticis humoribus acribus, exſolutiſque augetur, & confirmatur. A vero etiam non abhorret nonnihil operæ laudiſque in hiſce ægri-

ægritudinibus tollendis deberi motui locali uſque ad lenem corporis incaleſcentiam, quo partes ſanguinis excrementitias, & ſuperfluas ad glandularum cribra facile expelli contingit, ibique ſeparatas, præcipitatas vel per urinam, vel per ſudorem extra corpus educi, cum robuſtiores ipſæ partes ſolidæ reddantur, quo maxime opus eſt in eo morbo, in quo earum tonus labefactatus eſt. Ad hunc porro reſtituendum etiam vini potus plurimum tribuit, ſi abſyntio, meliſſa, & Kalybe alteretur, aut lentiſco, ſantalis rubris, aliiſque corroborantibus rebus, de quibus ſuperiori capite dictum eſt.

XVI. *Si chronicus fiat morbus eadem methodus ſervanda, quæ in immodico Menſium fluxu.*] Vid. cap. 3. com. 17. 18. 19.

XVII. *Si virulentus demum ſit fluxus, & inſignis adſit ardor, & dolor genitalium partium venæ ſectio inſtituenda &c.*] Suſceptum in genitalia virus venereum, quod ſumme acris, atque exulcerantis indolis eſt e corpore eliminandum eſſe, exulceratas, atque abraſas partes detergendas, mundificandas, demum roborandas, atque ferruminandas tradiderunt fere uno ore cum Veteres, tum Recentiores Medici. Ad priorem indicationem quod ſpectat, purgantia medicamenta, quorum facile princeps ingrediens ſit Mercurius dulcis, miris laudibus extollunt tandiu ſaltem per intervalla repetenda quandiu de virulentæ materiæ correctione, atque extirpatione conſtet. A communi opinione diſſentit cl. Aſtrucius tres virulenti fluxus gradus agnoſcens, cum videlicet effectæ partes phlogoſi tentantur, deinceps cum inflammatione tenentur, in qua vaſa ipſa ſanguinea ſcinduntur, vel eroduntur, demum cum exulceratione laborant. Pro vario morbi gradu, varia eſſe adhibenda remedia afferere non dubitavit. Hunc autem in præſens ſequimur. Et revera habet, quod ſumma cum ratione dixiſſe videtur. Ubi enim phlogoſis, & inflammatio partium adeſſe comperiatur, qua ratione, aut modo fieri poſſe dicamus, ut purgantia medicamenta, præſertim acriora votis reſpondeant. Cum hæc vaginæ calore, ardore, rubore, dolore plerunque inſigni ſe prodat, acrimoniæ ſenſu inter mejendum, fluxu humoris liquidi, acris, calidi, puriformis cunctis viribus, atque omni animi contentione ad eam compeſcendam, ejuſque ſymptomata mitiganda ſtudendum eſſe luce clarius apparet. Quodnam autem remedium efficacius, aut pro ægrotantium opportunitate valentius venæ ſectione? Depletis nimirum vaſis ſanguiferis, ac langueſcente ſanguinis impetu inflammationem multo leviorem fieri, mitioremque; ideoque tenſionem, calorem, doloremque ſedari adeo manifeſtum eſt, ut nihil magis. Quæ quamvis de univerſis, & ſingulis, de corporibus tamen plethoricis, fervidique temperamenti eſſe maxime intelligenda facit potiſſimum ea ratio, quod in his plerunque inflammatio vera ſanguinis excitatur phlegmonodes dicta, aut tenuioris ejus partis, quæ eryſipelatodes nuncupatur, in quibus ſymptomata ea atrocitate ſe produnt, ut repetitam venæ ſectionem, ut in ipſa peripneumonia, aliiſque viſcerum inflammationibus fieri ſolet, requirant. Ubi hæc diligenter teneas facile etiam intelliges, cur alvus blande ſubducenda uſu medullæ Caſſiæ, aut ejus conſervæ, cujus etiam eximius uſus eſt ad urinæ acrimoniam temperandam, acreſque humores evacuandos, & ex maſſa ſanguinea præcipitandos, præſertim ſi nitrum puriſſimum addatur, aut nitrum cujus volatilior pars ſulphuris vulgaris admixtione deflagravit, ſal prunellæ dictum, quæ ad attenuandum blandiſſime, & ſimul nimium humorum motum, fervoremque

com-

compeſcendum, ut toties a nobis demonſtratum eſt, opportuniſſima exiſtunt. Quænam emolumenta in ægrotantes emanare non cenſeas, ſi repetito uſu decoctionis radicis liqueritiæ, altheæ, graminis, aliorumque malvaceorum tractentur additis ſemper nitratis medicamentis? Sufficiat memoraſſe leuiter aperiendi, emolliendi, demulcendi, præter ſumme proficuam, quam habent particulas calorificas hinc inde diluendi, diſſociandi, atque ea ratione comprimendi, qua motus earumdem aliquando deferveſcat, iiſdem ineſſe facultatem. Hinc paſſim apud Medentes in uſu maximo. Neque felicitas inſignis medicamentis fere omnibus ex aquis earumdem plantarum ſtillatis, & emulſionibus ſeminum peponum, & ſi inflammationis ardor tantus ſit, ut ei mitigando largus diluentium uſus ſit impar, etiam papaveris albi, & ſyrupo diacodio, aut ipſo laudano, ut decet paratis, deeſſe ſolet, quorum præcipua vis eſt in nimia humorum acrimonia temperanda, ſpaſmodicis ſolidarum partium contractionibus relaxandis, acutiorique eorum ſenſu obtundendo, ac moleſtiſſima dyſuria coercenda.

XVIII. *Hiſce ſuccedant pillulæ ex Therebint. aq. Malvar. lot. extract. rhabarb. &c.*] Peracta jam curatione in primo gonorrhoici fluxus ſtadio], quæ uſque ad ardoris urinæ moderationem extenditur, graviorumque ſymptomatum remiſſionem, in illorum opinionem pedibus eundum facile decreverim, qui eo nervos induſtriæ omnes intendendos eſſe exiſtimant, ut venenum quod altas in penetralibus genitalium radices egerit, altiuſque penetrarit corrigatur, extirpetur, & qua data porta extra corporis confinia per vias a natura comparatas eliminetur, quæ dum fiunt illud etiam maximi emolumenti ſequitur, ut corpus a pravarum, vitioſarumque ſordium ſarcina liberetur, quod apprime utile, & neceſſarium eſt ad morbum ocyus, ac tutius profligandum. Ad hunc finem conferunt, quæ renum atque veſicæ amicitia clara fecit, ſeu quæ diuretica, & ſimul balſamica virtute, eaque blandiſſima, & non admodum calefaciente pollent, inter quæ Therebintinata eminent, & ſimilia reſinoſa corpora, quæ nonnihil ſui urinæ communicant, quæ propterea ab eorumdem uſu violaceo odore imbuitur, eaque non ſola quidem, ſed cum iis conſociata, quæ peculiari, & ſpecifica virtute veneni vim acerrimam, & corroſivam, ſimulque ſanguinem, & humores coagulante temperant, infringunt, deſtruunt, ejiciunt, quibus omnibus Mercurius palmam præripit, cui optime rhabarbari extractum additur, ut inde cum Therebintinæ ſyrupo, aut alio ſimili fiant pillulæ, quæ moderata doſi exhibitæ dici vix poteſt, quantum etiam valeant ad interna genitalium ulcuſcula detergenda, ſordes paulatim evacuandas, urinæ acrimoniam adhuc ſuperſtitem temperandam, ſi præſertim demulcentium, ac diluentium uſus ſervetur.

XIX. *Hiſce ſpatio XII. aut XV. circiter dierum adhibitis pillulæ ex maſ. fœtid. major. &c.*] In eorum nimirum uſu tandiu perſiſtendum, quandiu paratis ad exitum pravis vitioſiſque humoribus per emunctorias inteſtinorum glandulas, ex quibus ſucci parum copioſius, & facilius ex toto corpore derivantur, purgantibus locus detur, quorum ope univerſalis fiat expurgatio, ut puriores inde, mitioreſque ad affectas partes affluentes, aliis conſolidandi indicationibus adimplendis viam, aditumque tutiorem facilioremque relinquant. Quod autem de diureticis balſamicis dictum eſt, idem omnino intelligendum de purgantibus, ut videlicet, una cum Mercurio ſemper exhibean-

hibeantur, cujus pulcherrima laus eſt eorum, quibuſcum unitur operationem juvare, cum interim ab indole ſua veneno celtico prorſus contraria ne latum quidem unguem deflectat. Jam non una purgantis pharmaci exhibitione poſſe totum peccantem humorem educi ſupra à nobis oſtenſum eſt. Captum hinc conſilium eorum uſui balſamicorum uſum interponendi, quibus dum partes ſenſim ſenſimque deterguntur ſuperſtites impuritates, & ſordes recolliguntur denuo, atque ea ratione deponuntur, qua per vias inteſtinorum omnium convenientiſſimas eliminari facili negotio queant. Inter balſama autem, Copaiba vel Copaiva dictum ſeligitur multis encomiis a cl. Thoma Fullero prædicatum, ac jure merito ut notat cl. Geoffroy, *quod urinam ciet, ejus ardores extinguit, contentaque cruenta, fœda, & purulenta præ omnibus aliis balſamis efficaciter expurgat.*

XX. *Utramque paginam adimplet Electuarium Excel. Sacchi &c.*] Huc uſque traditam methodum in primo, & ſecundo gonorrhoici fluxus ſtadio ſervandam, cum & rationi apprime conſentaneam, & ad praxim commodiſſimam didiciſſem, aliam adhuc magis compendiariam, brevioremque noviſſe contigit ab Electuario Excel. Sacchi dicto deſumptam Patavii pleriſque Pharmacopolis ſatis noto, quod in hunc fere modum conficitur.

℞. Flor. Caſ. r. e. conſerv. violar. a ℥ i. diagryd. ſulphur. ʒ i. ſal. prunel. ʒ vi. therebint. lot. ʒ x. rhabarb. el. pul. ʒ ii. Mercur. dulc. ℈ iiii. extract. ſarſ. peril. guajac. a ʒ ii. ſyrup. de nenuphar. q. ſ. M. f. ſ. a. electuarium, cujus doſis erit ad ʒ ii. Cum mihi primum illud cognitum eſt, fateor revera non parum placuiſſe, ſive revera habeat cur placere debeat, ſive quod adeo clarum experientia fecerit, ut cætera omnia, quæ ab hominibus hactenus excogitata ſunt propemodum viluerint. Et ſane ſi urinæ ardor, atque acrimoniæ ſenſus urgeat præſto eſt Caſſiæ pulpa, & conſerva violarum, quæ ad ejus acrimoniam temperandam plurimum valent; ſi nimius humorum motus, ac fervor compeſcendus, ſal prunellæ prompte ſubvenit; ſi pravæ vitioſæque ſordes per urinæ vias eliminandæ, & ſimul interna ulcuſcula detergenda, ſubitam nec inopinatam opem fert Therebintina, cui optime rhabarbarum addi ſupra adnotavimus, ſi univerſum corpus expurgandum per alvum, ſcammonium, ſeu diagrydium ſulphuratum cito ſuccurrit, quod laxantem Caſſiæ, & rhabarbari virtutem egregie adjuvat: ſi peculiare venenum corrigendum, debellandum, profligandum, Mercurius, nec non ſarſa, & guajacum, quæ parem fere virtutem ſortita ſunt, minime deſiderantur. Mirum autem inter ſe mixta, ac conſociata ſic operari, ut alvus præſertim, quamvis uberius, citra ullam tamen moleſtiam, ac perturbationem purgetur, dum cætera omnia ſymptomata mirum in modum miteſcunt. Quid ultra quærendum, quid expectandum ultra?

XXI. *Correcta profluente materie, ſic ut albumen ovi repræſentet ad ſequentes pillulas deveniendum &c.*] Nil enimvero expectandum, atque ad ea quæ exſiccandi vim habent, conſolidandi, & laxatas partes adſtringendi, ſeu mavis roborandi alacri animo tranſeundum, ut fluxus, quod citra noxæ periculum obtineri poteſt, cohibeatur. In horum cenſu veniunt, gummi elemi, ſuccinum, maſtiche, nec non calces quædam, & terræ abſorbentes, ut ſunt antimonium diaphoreticum, magiſter. oſ. ſep. ter. catechu bol. armen. aliæque ſimiles, quæ numero plures, aut pauciores intime mixtæ, contritæ, & ſyrupo corallorum, vel conſerva aliqua in pillulas redactæ

nun-

nunquam non laudabilem edunt operationem: eo magis ſi ſuperbibatur in-fuſum theiforme foliorum ſiccorum Menthæ, aut ex præcepto Aſtrucii duo, aut tria cochlearia aquæ ſtillatitiæ Menthæ a Quercetano deſcriptæ, & a Riverio commendatæ, cujuſque proceſſum profert, qui ita fere ſe habet. ℞. Pulver. ment. ſic. dictam. radic. ire. florent. a ℥ i. pulver. ſemin. agn. caſt. rut. lactuc. a ʒ i. therebint. venet. ℥. iiii. Vin. alb. ℥. xx. Hæc omnia injiciantur in alembicum, & per balneum vaporoſum deſtillentur. Ex iſtarum rerum examine ejus virtus adeo clare apparere unicuique poteſt, ut ſupervacaneum ſit eam explicare dicendo.

XXII. *Si adhuc materies albicans profluat injectiones fiant primo ex aqua calcis &c.*] Niſi uſum remediorum internorum externis quoque ſecundemus, oleum & operam perdi egregie adnotavit Hoffmannus. Ea autem pro ſymptomatum ratione longe differre perſpicuum eſt. Cum exulceratæ partes, aut preter morem relaxatę, ad quas internorum adſtringentium medicaminum vis pervenire fortaſſe non potuit, materiem albicantem, tenuem adhuc plorent, injectiones, quæ viribus ſuis integris operantur viſę ſunt convenire. Quomodo autem parentur queri a Medicis ſolet. Nonnulli cum Aſtrucio ex levi decocto herbarum vulnerariarum, ut bugulę, ſaniculę, marrubii, geranii, alchimillę cum melle roſaceo, vel ex aquis thermalibus pręſertim ſulphureis decocto hordei alteratis inſtituendas putant ſola detergendi facultate contenti, ab adſtringentibus ſtypticiſque cavendum. Alii e contra cum Hoffmanno poſtquam fluxus impurus correctus fuerit, & materia profluens fętida, & ſubviridis odorem coloremque pravum amiſerit, uti de uſu internorum medicamentorum dictum eſt, injectionibus adſtringentibus uti minus verentur. Horum in cenſu veniunt præ cæteris decoctiones ex radicibus biſtortæ, tormentillæ, pimpinellæ, balauſtiis aliiſque ſimilibus aqua fabrorum, vel kalybeata decoctis: eorumdem aquæ ſtillatitiæ, nec non aluminoſa omnia, & vitriolica; vel quorum baſis alumen & vitriolum eſt, lapis medicamentoſus Crollii, aquæ ſtypticæ Lemerii, aut Rabelii, quibus omnibus tutiorem ſubdimus tutiam vino albo infuſam, quæ univerſa fere, & ſingula a laudato Aſtrucio in libro de curatione Gonorrhææ difficilis, quæ poſt adminiſtratam hydrargyroſim aliquando ſupereſt commemorantur (r), commendanturque, ſi caute, & parce adhibeantur, *ne acrimoniæ phlogoſim excitent, vel repentina nimiaque adſtrictione proſtratum, & veſicularum ſeminariarum emiſſaria nimium conſtipent*: quibus ego addendum traderem, ut longe a Menſtruorum fluxu, vel dum viget idem, adhibeantur; ut de benigno fluore muliebri dictum eſt, cum in viris quocumque tempore citra noxæ periculum in uſum vocentur.

XXIII. *Si hiſce adhuc non cedat morbus, in laxioribus præſertim phlegmaticiſque, decoctum ex ſarſ. peril. el. &c.*] Solet quandoque in feminis poſt gonorrhoicum fluxum remanere profluvium quoddam ſtillatitium humoris ſemini analogi, qui a proſtatis, glandulis Couuperi, & vaginæ extillat: cujus etiam plerunque minus ſollicitæ ſunt, aut ad fluorem muliebrem illud referentes, aut madori genitalium apta ſatis medella providentes. Ubi tamen moleſtiam illam excitet, qua medicam expoſcere opem cogantur, iis ut decet ſuccurrendum eſt per ea medicamina, quæ venenum feminium, ſi quod ſupereſt penitus deſtruunt, diſcutiunt, laxatum ductuum, glandularumque

N 2 tonum

(r) *lib. 4. cap. x. art. 1.*

tonum reſtituunt, ſuperfluitates abſumunt, a quibus potiſſimum earum laxitas proficiſcitur. Ad primum ſcopum quod attinet, Mercurius facile principem obtinere locum videtur ea ratione adhibitus, qua ſalivatio excitetur, quo morbi omnes quacumque tamen atrocitate ſe prodant, ab hoc fonte prodeuntes tuto feliciterque profligantur. Dolendum tamen, ſi ſalivatio ab iis indicata rite adminiſtretur, gonorrhoicum tamen fluxum, licet vim & energiam Mercurii ſenſerit, ac priſtinam malitiam depoſuerit, contagione omnino carentem permanere, radicibus illum foventibus firmantibuſque funditus convellendis impari eodem exiſtente, quæ ſenſim auctæ, & longo tempore confirmatæ non modo novam in dies ſingulos fluxui occaſionem præbent, verum etiam acerrimis quibuſque Medentium conatibus reſiſtunt. Hinc ſalubre practicorum conſilium, niſi graviores morbi urgeant ab impuro ſeminio proficiſcentes, loco Mercurii, decocto uti ex ſarſa perilla, & guajaco, quibus craſſos quoſvis humores incidi, & attenuari contingit, ſuperfluitates omnes abſumi, exulcerationes exſiccari, & cicatrice obduci, partes omnes, & viſcera reſoluta, & relaxata corroborari, uno verbo luis venereæ ſymptomata, inter quæ diuturnus, ac contumax fluxus gonorrhoicus eminet, tuto feliciterque debellari. Illud tamen ſedulo, & accurate cavendum eſt, ne calidioribus, ac ſenſibilioribus corporibus, ut de acrioribus purgantibus dictum eſt, exhibeantur, ſed ſolum laxioribus, phlegmaticiſque, ne in illis plus æquo commoveamus, atque acres nimis, ſolutoſque humores ultro ſollicitemus, dum in his acuto ſolidarum partium motu, humorumque exſolutione opus eſt, ut hi penitus abſumantur, illæ vero ad priſtinum robur, ac tonum reſtituantur; deinceps ut ea ratione adhibeantur, qua alvi dejectio ſuccedat, quod ſennæ additione facile obtinetur, ne ſudorem ad quem proclivia non ſunt noſtrorum ægrotantium corpora, fruſtra provocemus, vel humoribus nimis exagitatis eumdem nihil conferentem, & ſummo cum incommodo eliciamus. Si ex reſiduo quod eſt addita radice graminis, paſſuliſque fiat decoctio pro potu ordinario, credi vix poteſt, quanto facilius, ac tutius optato fine potiri valeamus.

XXIV. *Ad aquas B. Virginis, aut alias ſulphureas nullo habito diſcrimine ejuſmodi ægrotantes mittendæ.*] Si remediis e ſulphure petitis digerendi, ſuperfluitates conſumendi, abſtergendi, leniter adſtringendi, atque exſiccandi facultatem ineſſe quotidiana experientia compertum eſt, minus mirari ſubit, aquis B. Virginis, aut aliis ſimilibus præcipuam ineſſe virtutem ad diuturnum, contumacemque gonorrhoicum fluxum tuto feliciterque debellandum, cum non exigua ſulphuris portione, quo ſcatent ſulphureæ ſint nuncupatæ. Enimvero noſtra hac ætate clariſ. in Lyceo Patavino Medicinæ practicæ Profeſſor Primarius Alexander Knips Maccoppe ejuſcemodi aquas tanti faciebat, ut ſi quid in ſumma rerum anguſtia ſperandum, ab earum uſu ſperare ſe jure merito poſſe confideret, unde omnes, qui ejuſcemodi fluxu laborabant, eos ad Patavinas thermas mittebat. Neque ſane ejuſce rei judicium in arcto; ſi quidem non ſolum moleſtiſſimos ſuccos, qui genitalia verſus propulſi vaſorum oſcula reſerando, fibraſque corrumpendo ulcuſcula ibidem excitant, mirum in modum temperant, corroſoſque eorum parietes vi contentorum abſtergunt, atque exſiccant, & fibris, qua fieri poteſt tono reſtituto ſerpentes plagas probe jam dilutas figunt, comprimunt, atque ocyus obliterant, ſi fluxui ab hoc potiſſimum fonte prodeunti ſit occurrendum,

dum, ſed vaſcula ductus, poros, atque meatus partim nocui veneni, partim vi incurrentis lymphatici, ſeroſique humoris diductos medicati humoris appulſu repurgant, fibraſque ad tonum reſtituunt, unde ſubſidere eoſdem neceſſe eſt, ſi fluxui laxatis præter morem partibus ſit ſubveniendum. Quid quod pulcherrima earum laus eſt acidiſſimis particulis, unde ſæviſſima hujus morbi ſymptomata originem ſæpe trahunt, ratione ſalium quos continent plurimum adverſari, atque interea coagulatis ſanguinis grumis diſſipatis ſuccos omnes ad æquabilem circuitum reſtituere, eoſdemque per deſtinata loca ab incongrua vitioſorum ſalium miſcella liberari, quod æque de aliis fontibus affirmari nequit, acidulis præſertim, ut ſunt Recobarii, S. Mauritii, & ſimilibus, quæ quamvis ulcuſcula detergere, & exſiccare, gallicamque gonorrhæam recentem curare valeant, ſi confirmata cum ſit præſcribantur, aut aliquo ſymptomate ex gallico morbo proficiſcente divexatis, vel novis in dies malis corripi eoſdem continget, vel idem adeo atrociter ſęvire, ut in poſtremæ neceſſitatis diſcrimine conſtituantur. Cujuſce rei cauſa ex eo fere petenda eſt, quod vel reliquias morbi e corpore eliminandas vi adſtringente, & uti cl. Sydenhamius inquit plus ſatis ſanativa arctius hujuſmodi aquæ conſtringunt, & figunt, vel virulenti miaſmatis calcar quoddam in iiſdem latet, quo lente conficiens labes novis veluti ſtimulis excitatur, atque inde corpus maximis cruciatibus concutiens brevi ad ultimos niſus perducitur, ut a cl. Gratiano demonſtratum eſt. (f)

XXV. *Si bilioſæ, calidiores, & macilentæ ſint Mulieres poſt aquas thermales lacte tractandæ.*] Cum ejuſcemodi corpora aquas ſulphureas ferre commode poſſint, decoctum lignorum ſudoriferorum non poſſe ſupra jam adnotatum eſt. Non inde tamen omni auxilio deſtituenda, quod gallicæ lui ſpeciatim adverſetur. Ejus vero ſpes potiſſimum reponenda in leviſſima decoctione ſarſaperil. & radic. Chin. in ea parca doſi, quæ exagitando ſit impar, cum pravos, vitioſoſque humores acidiſſimis veneni particulis inquinatos corrigere, & ad priſtinam temperiem reſtituere valeat, atque ea quidem non ſola, ſed lacte diluta, quo ſubtiles ejus volatileſque particulæ contemperentur, dum oleoſæ, mites, ac lævigatæ ſanguinem ingredientes ſolidas partes obliniunt, ac nutritio rore humectant. Si parum radicis tormentil. & biſtort. addatur, quibus laxatis partibus robur addatur (hiſce ſolis in ejuſcemodi corporibus utendum tradit Aſtrucius) multo facilius per me licet optato fine potiemur.

XXVI. *Prolapſui uteri dicto iiſdem purgantibus &c.*] Duplicem eſſe uteri prolapſus gradum ſupra oſtendimus: alterum in quo vaginæ membrana ſic laxatur, ut ejus capacitatem inſtar ovi obturet: alterum in quo foras apparet. Curatio igitur juxta duplicem ipſius gradum varianda. Si primum contingat, ſeroſi omnes humores membranam laxantes abſumendi ſunt, & ejuſdem fibræ corrugandæ, & corroborandæ. Id quod purgantibus, decoctis lignorum, quæ ſudorifica dicuntur externa adſtringentium adplicatione præſtari poſſe neminem latet. Sin alterum prædicta membrana reponenda, & in naturali ſuo ſitu detinendus, quod congruis peſſariis, aliiſque ejuſmodi medicinis obtineri poſſe manifeſta res eſt.

CA-

(f) *Diſſert. de font. Recobar. pag.* 222.

C A P. V.

De affectione hyſterica.

I. NUllus morbus Mulieribus tam familiaris, nullus qui omnes corporis partes tam varie exerceat, quam hyſterica affectio.

II. In abdomine enim motus undas repræſentantes, & veluti globi cujuſdam celeriter moti, & agitati ad gulam aſcendentis, dolores modo fixi, modo vagi colon, & regionem ſcrobiculi cordis, nec non renes occupantes, eodemque tempore ingens ſtrepitus, ac ſonitus ſe produnt, inflatio ventris, vomitus materiæ viridis, acidæ, aquoſæ, aut vomendi conatus inſignis ſubſequitur, icterus, urinæ ſtillicidium, veſicæ dolor, alvi ſtypticitas ſumma urget, in thorace cordis anguſtiæ, palpitationes, ſyncopes, reſpiratio difficilis alias intercepta, interrupta, quandoque præter morem longa, alta, juguli adſtrictio, ſuffocatio, ſtrangulationis ſenſus, tuſſis ſicca, & ferina; dolor nunc pungitivus, nunc tenſivus thoracis muſculos afficiens in ſcenam prodeunt: in capite dolor pariter atrociſſimus in quadam particula defixus, vertigo, viſus obtenebratio, oculorum inverſio, rotatio, motus convulſivi horrendi, partium attractio, deliria, hemiplegiæ, ſopores, lachrymæ, & riſus involuntarius ſine ulla manifeſta cauſa: in externis corporis partibus maxillarum, humerorum, manuum, crurum, tibiarum, dentium, dorſi dolores, totius corporis perfrigeratio, quæ quidem omnia non in unaquaque Muliere, ſed nunc pauciora, nunc plura obſervantur, & modo hæc, modo illa, frequentiſſime vero, & in omnibus fere flatus, borborygmi, reſpirationis difficultas, ſtrangulationis ſenſus, juguli conſtrictio, ſyncopes, cordis anguſtiæ, palpitationes, nauſeæ, vomitus, deliria, motus convulſivi, quæ omnia copioſa limpidæ, claræque urinæ excretione terminantur.

III. Horum ſymptomatum omnium cauſa proxima eſt ſpaſmodica nervorum, qui per uterum diſſeminantur cum nervis ſexti paris communicantium contractio, qui varie irritati, demorſi, vellicati omnes corporis partes in conſenſum trahunt.

IV. Irritatio porro, morſus, vellicatio excitatur a lympha genitali,

tali, aut ſanguine, aut alio humore in utero conterminiſque partibus retento, vel corrupto, a corpore extraneo in ejus cavitate in ſuppurationem abeunte, ulcere ejuſdem ſerum acre, ac corroſivum plorante.

V. His addendæ aliæ viſcerum affectiones Meſenterii, Hepatis, Pancreatis, Lienis, Renum.

VI. Spirituum etiam quandoque Animalium debilior craſis, ut facile diſſipentur, & a levi etiam cauſa in inordinatos, & perturbatos motus agantur.

VII. Quæ diutius protracta ſanguinis ipſius craſim invertunt, & ſpirituum, unde atrocior ſucceſſu temporis morbus ex eorum intemperie nervis infeſta.

VIII. Huic affines morbi ſunt in primis Syncopes, in qua tamen reſpiratio, & pulſus omnino deficiunt cum extremo faciei pallore, ſudoribus frigidis brevi ad ſalutem terminantibus, ſi grata, & ſuaveolentia naribus applicentur, niſi hyſtericæ affectionis effectus ſint, quæ eorum uſu plerunque augetur.

IX. Tum Apoplexia, in qua tamen partes omnes reſolutæ ſunt, atque omni ſenſu privatæ, & oris detorſio, & ſpiratio ægra, ac ſtertoroſa adeſſe plerunque ſolet.

X. Epilepſia quoque, in qua tamen convulſivi motus externas partes dire exercent, & ſpuma ex ore, & naribus effluit, & facultatum omnium principum læſio ſubſequitur cum oblivione eorum, quæ in paroxyſmo acciderunt.

XI. Mortuis quandoque ſimillimæ evadunt hyſtericæ Mulieres, unde orta ſalubris illa conſuetudo eas per triduum non ſepeliendi.

XII. Difficilis quidem morbus curationis, & interdum in apoplexias, epilepſias degenerans, raro tamen lethalis.

XIII. Quo Mulier a paroxyſmo liberetur, ſi plethorica ſit, ac boni habitus, pulſumque habeat plenum, ac turgidum, ac Menſium diminutione, aut ſuppreſſione laboret venæ ſectio ex brachio primum, mox pede ratione plenitudinis habita inſtituenda. E contra ſi inſignis aliqua ſanguinis hæmorrhagia præceſſerit, aut aliorum humorum profluvium, pallida præter morem ſit, pulſum parvum, ac debilem habeat actionum languore comitatum, ac frigore totius corporis, a venæ ſectione abſtinendum.

XIV. Si venter præter modum elatus ſit, ac tenſus cum inſigni

alvi

alvi adſtrictione oleum amygdal. dulc. s. i. r. e. exhibendum, dum Clyſteres ex decoctione fol. malvar. pariet. matricar. radic. alth. lilior. albor. flor. chammomil. roman. melilot. fœnu græc. & oleis emollientibus cum ſaccharo rubro injiciuntur, ac fotus ex eadem decoctione calidi mane, & veſpere fiunt, ut poſtea omentum vervecinum, vitulinum, aut ſimile dictis oleis imbutum applicetur.

XV. Hiſce aliquandiu fruſtra adhibitis emplaſtrum hyſtericum Sydenhamii, aut ſimile umbelico, aut pudendis admovendum, uti & ſuffumigia (niſi idioſyncraſia quædam prohibeat) ex moſcho, zibeto, benzoe, aliiſque ſuaveolentibus ad uterum apparanda.

XVI. Si longior ſit morbus, & gravioribus ſymptomatibus ſtipatus, mulier vero frigidioris temperamenti, laxioriſque habitus, boli ex Mithridat. optim., vel triphar. magn. ʒ .s. laudan. hyſteric. de le Febour gr. iii. eximiæ ſunt virtutis, ſuperbibendo aqu. artemiſ. matricar. a ℥ ii. tinctur. ſuccin. caſtor. a ʒ .s. ſyrup. de cortic. citr. ʒ ii. M. quibus ſi difficilius boli deglutiantur, Laudanum ipſum ſolvi poteſt eorum loco aſſumendis.

XVII. Immo ſi ſopor profundus Mulierem exerceat cum pulſu parvo, languido, contracto, extremorum frigore ad hæc deveniendum. ℞ aq. Ceraſor. nigr. lilior. conval. a ℥ ii. anthyſteric. Lang. ℥ i. s. ſpirit. urin. vel ſal. armoniac. vel ſanguin. human. a gut. xx. ad xxx. addit. ſyrup. artemiſ. ℥ .s. M. Quibus urgente morbo ſpiritus vini rectificatiſſimus ſubſtitui poteſt ad cochleare exhibendum.

XVIII. In fervidioribus vero calidioribuſque feminis ſola aqua ſtillatitia flor. Chammomil. tot. citr. menth. a ℥ i. s. lauda. liquid. Sydenham. a gut. x. ad xx. cum ſyrupi cortic. citr. ʒ ii. viſa ſunt convenire uſque ad ſymptomatum remiſſionem, quotidie hora ſomni repetenda, ſi convulſiones, vigiliæ, dolores, aliaque ejuſmodi ſymptomata poſtulare videantur: quæ ſi leviora fuerint ſola emulſio in aq. nymph. lactuc. a ℥ v. ſemin. quat. frigid. ℥ i. s. papaver. alb. ʒ ii. nitr. puriſ. ʒ .s. ſufficiet.

XIX. In prædicto vero ſoporis caſu, aut ſyncope aqua frigida epotanda, aut faciei adſpergenda, aut pauxillum vini optimi, ac generoſi aſſumendum: frictiones circa præcordia, in pedibus nonnihil aſperæ inſtituendæ, naribus fumus admovendus ex charta, linteis, pennis, corio uſto, ruta aceto trita.

XX. Cum in altero caſu ſal volatile Angelicum, oleoſum Sylvii, ſpi-

ſpiritus meliſſæ phyala concluſus, & leviora errhina ex hyſſop. ſature. pul. a ℨ i. caſtor. ℈ .s. naribus excipienda locum habeant: cum tamen ſequens nodulus in omnibus tutiſſimus fit. ℞ Oleo ſuccin. ℈ .s. aſſ. fętid. ℈ i. Caſtor. ℨ .s. M. concludantur in nodulo ſerico ad odorandum.

XXI. Extra paroxyſmum pariter ubi res ſit cum Muliere frigidioris temperamenti, laxioriſque habitus, præmiſſa venæ ſectione, ſi Menſium ſuppreſſio adſit, aut diminutio, & leni purgatione ſales centaur. minor. agrimon. tamariſc. artemiſ. vel tartar. ſolub. ter. foliat. tartar. vitriolat. a ℈ ii. ad ℨ i. ex decoctione fumar. ſonch. agrimon. cui ſucceſſu temporis, ſi a ſalibus abhorreat Mulier ſpiritus ſal armoniac. vel tinct. ſal tartar. ad ℨ .s. addi poteſt, cum Veris tempore earumdem ſucci ex juſculo tenerioris pulli cęteris omnibus palmam præripiant.

XXII. Hiſce qualibet octava die purgantia intermiſcenda, inter quæ infuſio ex rhabarb. ℨ ii. tartar. ſolub. ℨ i. in aq. artemiſ. q. ſ. per noctem in loco tepido facta, ut colaturæ addatur ſyrup. roſat. ſolut. ad ℥ iii. aq. Cinam. parum, eximiæ virtutis: aut Magneſ. alb. ℨ ii. Rhabarb. ℨ .s. ex juſculo.

XXIII. Niſi ad Menſium, aut hæmorrhoidum fluxum immodicum proclives ſint etiam pillulæ tartar. Bont. aut Quercetan. ad ℨ i. cum caſtor. ℈ s. & ſyrup. artemiſ. q. ſ. locum habent. Vinum ex infuſione Bryoniæ paratum hyemali tempore adhibendum ad cyathum i. quotidie.

XXIV. Hiſce Martialia ſuccedant limatura martis .s. ſuper lapide porphyrite lævig. a gr. x. ad xv. cum rob. ſambuc., vel in forma liquida tinctura mart. tartariz. vel ſuc. pomor. extract. a ℨ s. ad ℨ i. ex levi decocto artemiſ. meliſ. vel aq. ſtillat. ad ℥ vi. iiſdem plane ſervatis cautelis in iſtorum uſu, quæ in curatione affectionis hypochondriacæ.

XXV. Et ſi aliquam perturbationem inferant laud. opiat. gr. ii. cum confection. hyacint. s. o. ℈ i. exhibendum, vel laudanum liquidum ad gut. xii. circiter ex aq. flor. Chammomil. Menth.

XXVI. Sed nihil aquis acidulis præſtantius ardente Sirio, & lacte autumnali tempeſtate per xxxx. dies primo vere repetendo ex decoct. ſarſ. peril. elect. radic. Chin. lentiſc. uſque ad æſtus ſolis.

XXVII. Si vero calidioris ſit temperamenti, ſiccioriſque habitus; ſo-

ſolum oleum amygdalarum dulcium, & Clyſteres ex aqua hordei, & ſaccharo viſa ſunt convenire ad primas vias abſtergendas; pro alterante vero quotidie ſola decoctio cichor. endiv. violar. borrag. cum pulver. ex matr. perlar. præp. oculor. cancr. præp. raſur. ebor. a ℈ i. ad ʒ .s.

XXVIII. Pro his tamen omnibus ſatisfaciet ſerum lactis caprilis aut ſimplex, aut deſtillatum cum earumdem ſuccis primo vere exhibendum: æſtuoſa vero tempeſtate balnea aquæ dulcis, aquæ Nocerianæ, Wilenſes, vel ſi libet acidulæ Recobarii moderatis hauſtibus, tandem lac diu uſurpandum.

XXIX. In quacumque hyſtericæ affectionis ſpecie motus corporis moderatus, equitatio præſertim, peregrinationes, venationes inſtituantur. A quibuſcumque mentis laboribus abſtineat ægrotans, hilaris vivat, & ſola victus ratione, ſi fieri poteſt, gubernetur.

C A P. V.

De affectione hyſterica.

I. N*Ullus morbus Mulieribus tam familiaris, nullus qui omnes corporis partes tam varie exerceat.*] Quod ſcripſit Democritus in epiſtola ad Hippocratem ſexcentarum ærumnarum, atque innumerabilium calamitatum auctorem eſſe uterum, & Hippocrates ipſe tradidit (*u*), multis, & captum omnem ſuperantibus affectionibus angi miſerrimas Mulieres, aptiſſime cadit in hunc locum. Adeo enim Mulieribus fere omnibus noſtra hac ætate familiaris exiſtit hyſterica affectio, ut ex ſexcentis otioſe, & opipare viventibus vix centum reperiantur, quæ huic morbo aliorum mille ſpecie illudenti obnoxiæ non ſint. Unde comparari jure merito poteſt cum Proteo filio Oceani, & Tethyos, quem in fabulis eſt Deum marinum fuiſſe, in varias ſeſe formas vertere ſolitum, ut nunc Animal, quandoque arbor, aut ignis, aut quid aliud videretur (*x*), vel ut alii crediderunt eumdem fuiſſe ac Vertumnum, quem ajunt captum amore Pomonæ in omnigenam ſpeciem ſe variaſſe (*z*); vel ſi libet cum Hydra, Serpente illo apud Poetas claro ſeptem capitibus in Lerna palude prædito, cum qua Hercules pugnavit, quæ cum Hercules ei unum caput abſcidiſſet, continuo aliis ſeptem augebatur (*a*). Tot namque, tamque horrendis ſymptomatibus ſtipatur, ut cum incomprehenſibilia plerifque videantur a Dęmonibus potius, ut de Epilepſia dictum eſt, quam a morbi viribus premi Mulieres, & exagitari facile judicetur. Quapropter optime a Galeno dictum (*b*) hyſtericam paſſionem unum quidem nomen eſſe, varia tamen, & innumera accidentia ſub ſe comprehendere. Quod probe tenens Riverius ſe continere non potuit,

(u) *Lib. de Virgin. Morb.* (x) *Ovid.* 1. *Faſtor. Virgil.* 4. *Georg.*
(z) *Ser. in* 4. *Georg.* (a) *Ser. in* 6. *Æne. Ovid.* 9. *Met. v.* 69.
(b) *De loc. affect. c.* 5.

tuit, quin Authores præcipuos, qui de Mulierum morbis ſcripſerunt altiori voce damnaret, qui quamvis ſuffocationem hyſtericam ſub titulo hyſtericæ paſſionis egregie explicent, ſymptoma peculiare, propterea quod omnium frequentiſſimum, & moleſtiſſimum eſſe conſuevit generis nomine donantes, diverſis tamen capitibus varios ex utero affectus perperam exponunt, nempe hyſtericam ſuffocationem, capitis dolores, convulſiones, epilepſias, cordis palpitiones, arteriarum in hypocondriis, & dorſo pulſationes, ventriculi, hepatis, & lienis affectus, varioſque in aliis partibus dolores ex utero oriundos, quod illi omnes ab iiſdem omnino cauſis exoriantur, atque unam medendi methodum expoſcant.

II. *In abdomine enim motus undas repræſentantes, & veluti globi cujuſdam celeriter moti &c.*] Voluerunt nimirum Veteres Galenici iſtarum affectionum cauſam eſſe ſanguinis menſtrui circa uterum retentionem, vel ſeminis corruptionem, quo fit ut malignam, ac venenatam qualitatem acquirant, ex quibus maligni vapores elevantur, variaſque corporis partes afficiunt. Verum cum alii ex iſtis animadverterint menſtruantes Mulieres eque,ac vetulas in hunc morbum incidere aliam excogitarunt, humorum ſcilicet excrementitiorum ad uterum confluentium copiam, qui diuturna mora putreſcunt, & corrumpuntur, unde ex vaſis uteri tetri vapores emittuntur modo hanc, modo illam partem afficientes, ac ſymptomata hyſtericæ affectionis excitantes. Cum obſervatione dignum fit eamdem per paroxyſmos invadere, qui nunc frequentius, nunc rarius redeunt, nunc breviore, nunc longiore tempore perdurant, materiæ copiam in promptu habent, quæ nunc citius, nunc tardius colligitur, nunc etiam citius, nunc tardius diſcutitur. Ubi certum ſuæ digeſtionis, & exalationis tempus attigerint ejuſmodi vapores ſubito, & derepente exilire, immo collectos latere diu in corpore, donec cauſarum extrinſecus advenientium concurſu propulſi a venis in omnes corporis partes efflentur, exiſtimarunt. Pro varia copia, ac malignitate nunc levia, & brevi ceſſura ſymptomata proficiſci, nunc graviora, ac diutius duratura, & ſi ea copia cumulentur, ut diaphragma, & pulmonem comprimant, difficultatem reſpirationis, aut ſi veneni ad inſtar peculiari vi faucibus inſenſi operentur, ſtrangulationis ſenſum inducere, ſi vero virtute quaſi narcotica cordi, & ſpiritibus vitalibus contraria, totius corporis refrigerationem, & mortem ipſam arceſſere. Recte illi quidem ſua velut hypotheſi vaporum obcęcati. Ut tamen ſatis eſſet in illa momenti, oporteret ut quæque ſymptomata hyſtericæ paſſionis paroxyſmum concomitantia mediis iſtis vaporibus commode explicarentur. Quod neutiquam fieri poſſe plerique ſuſtinuerunt, atque ii præſertim, qui ad affectionem morbi maxime propriam, & inſeparabilem, ſenſum videlicet globi ad gulam aſcendentis, aliaſque maxime inſignes attenderunt, quas non communi vaporum doctrina aſſequi ſe poſſe ſunt arbitrati; ſed uteri aſcenſu modo ventriculum verſus, modo diaphragma. Quem cum Hippocrates ipſe propoſuiſſet (c) a Platone, & Aretæo in hac parte ſequutus, Farnelius, atque Euſtachius Rudius ſic confirmarunt eumdem, & frequenter ſe deprehendiſſe, & manu depreſſum in propriam ſedem propuliſſe haud dubie aſſerentes, ut nullum ambigendi locum Medentibus reliquiſſe ſibi viderentur. His nullatenus minime aſſentitur Galenus docens moveri quidem nonnihil poſſe uterum, atque

O 2 aſcen-

(c) *Lib. de nat. mulieb.*

aſcendere, ea tamen ratione, qua ad ventriculum pertingat conſtanter negans, multo minus illum prætereundo ad ſeptum tranſverſum. Neque ſane eum fallunt rationes multæ ex Anatome deſumptæ, qua conſtat quatuor validiſſimis ligamentis uterum donari in ſua ſede ita illum firmantibus, ut vix ac ne vix quidem moveri loco queat. Quæ philoſophandi ratio quamvis prioris ſententiæ patronis non parum diſpliceat, atque propterea reponant ſic eadem relaxari in uteri procidentia, ut extra pudenda prodire ſoleat, velint tamen nolint fateantur neceſſe eſt, ſubitum, ac citiſſimum aſcenſum, ac deſcenſum uteri, quem experiuntur Mulieres hyſtericæ cum prolapſu ejuſdem, quem ſenſim ſenſimque relaxatis ligamentis incurrunt, conciliari nullo modo poſſe, neque hyſtericas Mulieres hiſce de cauſis eodem premi, cum a paroxyſmo liberatæ in perfectiſſimo valetudinis ſtatu conſtituantur. Quid quod ne in prolapſu quidem uteri dicto, uterus e ſua ſede dimoveatur, ut Veteribus placuit, ſed ſolum interna vaginæ tunica ob copiam ſeroſorum humorum ejuſdem fibras relaxantium extra pudenda propendeat ſub forma rotunda, ut uterum repræſentet? Sed ne horum conjecturis refellendis diutius immoremur ſufficiat dixiſſe, Sennertum Fernelii, Rudii, aliorumque ſententiam ſuis temporibus vigentem profligare conatum fuiſſe, haud dubie affirmando corpus illud, quod manibus ſe contrectaviſſe dixerunt non ipſum uterum eſſe, ſed teſtes, ac tubas Fallopianas tanto ſemine repletas, ut flatibus diſtenſæ, & e ſuo loco dimotæ ad umbilicum uſque extendantur, globique ſenſum ſurſum aſcendentis producant. Verum non immerito conjectandum videtur, etſi plurimum inter ſe differre videantur ejuſcemodi ſententiæ, in eo tamen cunctas convenire, quod partium dimotionem ſupponant, quæ utero firmiter adhærent, quæque ex propria ſede divelli nequeunt, niſi uterus ipſe, quem firmiſſimis ligamentis firmatum volunt, divellatur, & ſive totus uterus vitioſis humoribus, ac flatibus repletus, ſive partes illi annexæ, nimirum teſtes, & tuba uteri ſurſum moveantur, ſemper uteri aſcenſum nominari poſſe, atque Hippocratis doctrina plaudi, ut egregie Riverius acriter dimicans. Rem ſane tot, tantiſque difficultatibus impeditam, ac varie adeo a Scriptoribus pertractatam, etiam me tacente facile omnes intelligant, ut ſatius eſſe videatur, eam qua fieri poteſt conſulto declinare, atque fine carentem diſputationem aliis relinquere. Verum ecquis non eo facile perducatur, ut reliquis mentis conatibus aliud non ſuadentibus exiſtimet, omnes Veterum hypotheſes falſas fuiſſe, dum meatus, ac ductus, per quos humores malignam, ac veneficam indolem nacti ex utero, conterminiſque partibus, in quibus nidulantur, erumpentes ad cor, & cerebrum deferuntur variis morbi ſymptomatibus pro varia humoris qualitate anſam daturi, patentes adhuc nemo auſus eſt aſſignare, & dum in mortuis ob vehementem hyſtericæ paſſionis paroxyſmum uterus ſemper inſons repertus fuit, in debito ſitu, nec tubæ Fallopianæ, aut teſtes e loco ſuo dimotæ obſervatæ unquam fuere. Tradit quidem Diemerbroekius (*d*) ſe in hyſtericis plerunque aliquem magnitudinis circa uterum exceſſum, in eoque æruginoſum quemdam, vel croceum, aut flaveſcentem humorem inveniſſe, ac Riolanus (*e*) teſtes pugno grandiores, tubamque uteri amplificatam, & dilatatam, Veſalius (*f*) inſtar

(d) *Anat. lib.* 1. *de vent. inf. cap.* 24. (e) *Antopol. lib.* 2. *pag.* 35.
(f) *Lib.* 5. *de human. corpor. fabric. cap.* 15.

inſtar majuſculæ pilæ protuberantes croceo humore ſimulque graviſſime olente refertos, ut Rennigeri (*g*), & quæ extant in M. N. C. (*h*) obſervationes ſilentio prætercam, quæ cum eodem fere recidant, opus non eſt iis diutius immorari. Sed hæc omnia longe diverſa ratione rem ſe habere clare evincunt, cum prædictæ partes exquiſitiſſimo ſenſu præditæ turgere, inflari, tendi, obſtrui, aut alia ratione affici nequeant, quin nerveæ fibrillæ, quibus eædem contextæ ſunt in validiores, atque inordinatas contractiones agantur, atque hinc triſtis ſenſatio, ac ſpaſmus excitetur, qui reliquis corporis partibus communicatus omnia hyſtericæ affectionis ſymptomata inducat, ut infra clare apparebit.

III. *Horum omnium ſymptomatum cauſa proxima eſt ſpaſmodica nervorum, qui per uterum diſſeminantur &c.*] Si nimirum ſedulo, & accurate perpendamus minimòs nervorum ramuſculos, qui per uteri ſubſtantiam diſſeminantur cum nervis ſexti paris a Cerebro originem mutuantibus communicare, nihil fere negotii faceſſet affectionum explicatio, quæ hunc morbum comitari ſolent. Cum enim varie, inordinateque contrahantur, irritentur, convellantur, variæ autem atque inordinatæ contractiones, morſus, convulſio per mirabilem conſenſum partibus communicentur, per quas iidem ipſi nervi diſtribuuntur, eaſdem præ aliis ejuſmodi conſenſum pati oportere, & varie exagitari, torqueri, atque moleſte affici perſpicuum eſt; hinc nil mirum nervos, qui per viſcera Abdominis diſtributi ad pharyngem uſque pertingunt, ut ſpaſmo affecti ſunt motus undas repræſentantes excitare, quos nihil aliud eſſe cenſendum eſt, quam viſcerum eorumdem, ac partium convolutionem quamdam, & quaſi conglobationem, qui ſpaſmus violenter, magnoque impetu ad ſuperiores uſque partes propagatus globi ſpecie ſurſum aſcendentis imponit: Coli vero inteſtini, aut Illei, aut Renum fibras nerveas diſtrahere, premere, aut alio modo torquere, ut inde immanis dolor excitetur, qui Colica hyſterica mulieribus familiaris dici conſuevit, quamque interdum Chyli, aliorumque ſuccorum Chylificationi inſervientium ad ſuperiora evacuatio excipit, ac vomitus, inverſo videlicet inteſtinorum motu ea ratione, qua ad inferiora non ſolum iidem trudantur, ſed ventriculum verſus projiciantur. Quid ſi ſpaſmus adeo vehemens ſit ut turbetur, aut impediatur ſucceſſiva ad inferiora inteſtinorum contractio? Nonne fęces, clyſteres aliaque ejuſmodi per os propellentur, & illiaca paſſio ſubſequetur? Quamvis id raro contingit, dolor tamen regionem ſcrobiculo cordis ſubtenſam dire extorquens illiacæ paſſioni haud abſimilis videtur. Quid ſi ſpaſmus idem ad Renes própagetur? Tantus enimvero dolor excitabitur, ut paroxyſmum nephriticum omnino mentiatur, idque ut egregie adnotat cl. Sydenhamius non ſolum *doloris genere, locoque quo ſævit, ſed adſcitis vomitionibus immanioribus, tum etiam nonnunquam ex eo, quod dolor per ureterum ductus propagetur, ita ut ægre admodum dignoſci queat, utrum hæc ſymptomata ab incluſo calculo, an vero ab affectu aliquo hyſterico enaſcantur*. Jam vero quid de nervis ſentiendum, qui ad ſtomachum deferuntur omnino non ſuppetit, niſi in convulſivas contractiones & ipſos per conſenſum adactos inappetentias, nauſeas, vomitus, conſtrictiones æſophagi, inteſtinorum, ductus choledochi, veſicæ inducere aſſeramus, quibus aut concluſæ aeris particulæ ac ca-

(*g*) *Cent.* 2. *obſ.* 90.
(*h*) *Dec.* 1. *an.* 1. *obſ.* 32.

calore loci, atque adiacentium viſcerum rarefactæ vim adverſus eorum parietes exerceant tantam, ut niſi viam ſibi, aditumque patefaciens inſigni cum ſtrepitu, rumoreque erumpat, eorumdem capacitatem mirum in modum diſtendat, atque inflet; aut bilis derivatio in Duodenum præpediatur, unde bilioſæ ſecernendæ particulæ in ſanguine collectæ eumdem, & reliquos ſuccos inficiant, inquinentque ea ratione, qua cutis anguſtiis intercepti variis fędiſque coloribus eamdem deturpent, unde Icterus; aut veſicæ ſphincter ita ſpaſmo afficiatur, ut externis cauſis urinam e veſica pellentibus non cedat, aut ſaltem guttis tantummodo per intervalla vim præbeat, unde ſtillicidium, & dolor veſicæ; aut inteſtinorum canalis ita coarctetur, ut vermiculari eorumdem motu non ſolum fęces ad inteſtina protrudi queant, ſed ne Clyſteres quidem injici. Quid mirum porro videatur, ſi ſexti paris raſmuſculi, qui in cor tendunt ſpaſmo affecti ejuſdem anguſtias, palpitationes, ſyncopes pariant non aliunde repetendas, quam a convulſione non raro ita vehementi, ut manus pectori admota valde repellatur, immo aliquando vel ſolo viſu, atque aure ipſa propius ad pectus admota percipiatur; vel vero ſanguinis motus auferatur, ut libera circulatione trajici non poſſit. Quæ quidem inordinatæ cordis contractiones ita reſpirationis difficultatem adaugent, ut nihil magis. Cum enim ſiniſter cordis ventriculus totum eodem contentum ſanguinem in Aortam prompte ſatis propellere nequeat, nemo ignorat pulmones præ copia novi continuo affluentis, eidem trajiciendo impares cum ſint, ita turgere, ut nullum pectori ſpatium relinquant, atque propterea explicari ea ratione non poſſe, qua ſufficiens aeris quantitas recipiatur ad ſanguinis ipſius motum per eaſdem promovendum: inde conſequens mulieres ſumma difficultate reſpirationis, & quaſi ſtrangulationis ſenſu, quæ boli ad gulam aſcendentis ſpecie eiſdem imponunt, feriantibus ſcilicet Laryngis muſculis, premi, vexarique debere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Quemadmodum enim cor, & pulmones adeo prompte ab irruentis ſanguinis copia liberari non poſſunt, ſuperiorum partium venas, ac jugulares præſertim, illaſque omnes, quæ colli, laryngis, ac pharyngis muſculos perreptant majorem in modum turgidas remanere contingit, tunc vero prædictos muſculos quamdam convulſivi motus ſpeciem pati, quo fit, ut collum omne præter morem elatum Mulieribus videatur. Quid ſi prædictis ſpaſmis nervoſæ partes muſculorum reſpirationi inſervientium in convulſivum illum motum adigantur, per quem ſubito, iterumque contrahantur, atque aer prius copia inſpiratus mox vehementerque extrudatur? Tuſſim enimvero ſiccam, & ferinam, quia irritans materia in bronchiis non hæret, ſupervenire debere, eamque dolore earum partium comitatam, quæ in conſenſum trahuntur, muſculorum ſcilicet thoracis luce clarius apparet. Quid ſi per eorumdem nervorum propagines convulſivi, atque inordinati motus cerebro communicentur, aut peculiari Meningum parti, unde affecti nervi ortum traducunt, atque membranis pericranium inter, craniumque ſitis, atque exquiſitiſſimo ſenſu præditis? Vertigines nempe, tremores, ſopores, deliria aliaque ejuſmodi ſymptomata ſupervenient, variæ animæ ſpecies obverſabuntur timoris, triſtitiæ, aut contra hilaritatis, ac ſi organa fletui, aut riſui inſervientia quoque afficiantur, lachrymæ ſimul, & cachinni apparebunt: dolor etiam ille exorietur vix tolerabilis clavus hyſtericus dictus, quaſi clavus ferreus in caput vi adigeretur. Quid ſi externis corporis partibus? Præter-

terquamquod, ut nerveis fibrillis inſtructæ ſunt doloribus maximis vexantur, accedit præterea ita liberum per minimos canaliculos eoſdem irrigantes ſanguinis circuitum ſpaſmo præcludi, ut inſigniter frigeſcant, nec prius calore efferveſcant, quam remiſſo parumper paroxyſmo hærenti ſanguini, aliiſque humoribus via adituſque præbeatur. Cujuſce rei argumento prope certiſſimo ſunt urinæ claræ, limpidæque ſimul, & copioſæ, quas poſt finitum paroxyſmum excerni aſſerit Sydenhamius, atque ejuſce morbi ſignum fere pathognomonicum conſtituit, relaxatis videlicet tubulis renalibus; atque ureteribus ea ratione, qua ſerum priuſquam particulis ſalinis, a quibus colorem acquirunt, imbuantur, maxime tenue, & limpidiſſimum velut aquæ potatoribus contingit, excernatur, & per veſicam elabatur.

Irritatio porro, morſus, vellicatio excitatur a lympha genitali aut ſanguine, aut alio humore &c.] Quam hactenus expoſuimus cauſam non me latet minus placere pleriſque Recentiorum medicorum, qui quotidiana experientia edocti viros quoque eadem pati ſymptomata, quæ patiuntur mulieres hyſtericæ, dum affectionibus hypochondriacis corripiuntur, borborygmos ſcilicet, & flatus veluti globi cujuſdam aſcendentis ad umbilicum cum faucium conſtrictione, & ſenſu ſuffocationis, qui tamen carent utero, & tubis Fallopianis, eamdem etiam cauſam eſſe putarunt, & communi nomine affectionis hypochondriacæ eſſe appellandam. In ea autem aſſignanda orta litigia. Cl. enim Le boe Sylvius (*i*) acidum Pancreatis nimis auſterum vitioſe in inteſtinis cum bile efferveſcens accuſat, unde copioſe flatus, & vapores elevantur, qui cum ſint valde acres, abdominis, & præcordiorum dolores procreant. Hoc vitium ubi in ſanguinem irrepſerit, eumdem ad varias coagulationes diſponit, unde alia ejuſce morbi ſymptomata ſubſequuntur. Eamdem fere ſedem præter fligmorum etiam Sydenhamius (*k*) conſtituere non dubitavit, dum ſuppoſita debili nervorum, ac ſpirituum animalium textura liquidum nerveum iners, & minus elaſticum ad viſcera imi ventris deferri putat, quæ ad humorum ſecretiones, excretioneſque a natura ſunt comparatæ, unde iſtorum ſeparatio lædetur, atque propterea ſalſi, acres, irritantes, aut acidi, aliaque qualitate peccantes humores non tantum circa viſcera, quam in univerſa maſſa colligentur, qui nervea partium filamenta mordendo, vellicando, aut aliter afficiendo omnia prædicta ſymptomata procreabunt. Carolus vero Piſo (*l*) præcipuam morbi ſedem in cerebro, vel potius nervorum principio collocavit, cujuſce rei ſollicitus Wiliſius (*m*) hunc affectum ad motus convulſivos retulit, ejuſque cauſam eſſe ſtatuit conſuſum, perturbatum, atque inordinatum ſpirituum animalium motum circa nervorum principia exiſtentem propter particularum heterogenearum cum ipſis admixtionem; quæ particulæ heterogeneæ copula exploſiva ab eodem vocatur; hanc copulam retinere ſpiritus, & una ſecum in canales nerveos deducere; atque hiſce confuſi, agitati ſpirituum animalium motus jactis fundamentis omnia hyſtericæ paſſionis ſymptomata egregie dilucidat. His addenda ex his compoſita ſententia cl. Etmulleri, qui non excluſo acido ſucci pancreatici ventriculi, aut glandularum inteſtinalium vitioſe efferveſcente, par-

(i) *Prax. med. app. trac. 7. p. 5. 81.*
(k) *Differt. epiſt.* (l) *In ſelect. obſerv.*
(m) *De morb. convul. 445. & affect. hyſt. & hypochond. pathol. vindic. 633.*

partium tamen nervoſarum convulſiones tum Abdominis, tum aliarum partium genuinam hujuſce morbi cauſam prætendit. Si quid ego in re ardua, ac perdifficili ſentio, quamquam haud inficias ire auſim Scriptores magnos, & doctos ad veritatem propius acceſſiſſe, cum ſuam unuſquiſque de affectionis hyſtericę cauſis doctrinam congeſſit, dummodo tamen ſuus cuique locus tribuatur, atque in earum diſquiſitione ordo ſervetur, parcant tamen ſi in illorum ſententias non eo, cum docent eaſdem eſſe ac affectionis hypochondriacæ, nullas in utero conterminiſque partibus eſſe agnoſcendas. Quamvis iſtorum affectuum ſymptomata inter ſe ſimilia, ac utrique valde communia videantur, animadverſione tamen digna, occurrunt quamplurima, quæ eorum differentiam inſignem faciunt. Hyſterica enim affectio, ut ex dictis colligi poteſt, ſubito, vehementer, & ex improviſo gravidas, puerperas, viduas, plethoricas poſt grave aliquod animi pathema, vel virgines poſt repentinam fluxus menſtrui ſuppreſſionem aggreditur, ut omni ſenſu, ac motu privatæ repente in terram concidant acri, ac incredibili frigore externas corporis partes occupante, ut manibus percipi, nec calefactis linteis temperari queat, dolore in capitis vertice certæ regioni infixo adeo atrociter divexatæ, ut a clavo ferre nil atrocius poſſent, globo ex imo ventre gulam verſus aſcendente preſſæ, frequentique animi deliquio, ſubitaque ad ſuffocationem uſque intercepta reſpiratione cum faucium tam forti ſtrangulatione, ut nil magis a laqueo, ſolo pennarum accenſarum ſuffitu naribus admoto levamen interdum prorſus mirabile percipientes, nullum interdum quocumque adhibito medicamine, ut propterea pro mortuis habitæ ſepulchro deſtinatæ nonnullæ fuerint. Percurre quæſo ſingulas, & univerſas affectionis hypochondriacæ notas: ullam ne in tanta earum diverſitate reperies, quæ cum prædictis ſuffocationis uterinæ ſymptomatibus, aut frequentia, aut invadendi modo, aut vehementia comparari queat? Subitam, ac vehementem ſenſus, ac motus privationem, qua ex improviſo in terram concidunt ne dixeris, quæ in hypochondriacis non obſervatur. Neque acre illud, atque incredibile frigus, neque clavum hyſtericum dictum, neque globi aſcenſum, neque animi deliquium, & ad ſuffocationem uſque interceptam reſpirationem, fortemque ſtrangulationem teſtibus viris fide digniſſimis Hippocrate, Aretæo, Fernelio, Dureto, Montano, Ballonio, Hollerio, Mercuriali, Jo. Heurnio, quos ipſe Hoffmannus ſequutus eſt, quæ ſi a malo hypochondriaco non ſunt remota, minus tamen frequenter, vehementerque aggrediuntur. Quoſnam hypochondriacos videas in ſolo pennarum accenſarum, aut rerum graveolentium ſuffitu medicinam adeo præclaram agnoſcentes, ut eo ſolo & ab ingruentis paroxyſmi diſcrimine, & ab eodem graviſſime infeſtante ita vindicentur, ut in perfectiſſimo valetudinis ſtatu incantamenti ad inſtar conſtituantur? Quoſnam qui medicamentis fruſtra adhibitis mortuis ſimillimi evaſerint, ut propterea maxima medentium diligentia opus ſit, ne in fraudem inducantur in judicio ferendo, ut infra videbimus? Hiſce addas velim hyſtericam affectionem, quæ medicaminum vires, medentium niſus eludunt, ſenſim ſenſimque ingraveſcentem, atque altas in penetralibus viſcerum radices agentem in epilepſiam, in lethalem ſyncopem, in uterinum furorem, in uteri hydropem terminari, cum malum hypochondriacum, ut alibi demonſtratum eſt (n) in ſcorbutum præſertim, qui ſummus ejuſdem gradus eſt, in Icterum, alioſ-

(n) *Aph. 3. cap. 9.*

alioſque ejuſcemodi morbos, in quibus viſcera imi ventris, hepar, lien, pancreas plerunque tumore aliquo laborare ſolent, aut aliter offendi deſinat, cum in iis, quæ hyſterica affectione occubuere uterus inſons repertus non ſit, ut vago paſſim illorum rumore circumferri ſolet, ab humoribus excrementitiis in ejus cavitate collectis; neque tubæ Fallopianæ aut teſtes immunes, ſed pravis corruptiſque humoribus diſtentæ, aut repletæ, ut præclariſſimæ obſervationes Diemerbroekii, Riolani, Veſalii aliorumque ſuperius allatæ teſtantur. Nil igitur veroſimilius afferri poſſe videtur, quam ſi dicatur uterum propter lymphæ genitalis (exquiſitiori enim Anatomicorum ſolertia compertum eſt organa ſemen ſecernentia deeſſe mulieribus, ideoque ne ſemen quidem effundere, ſed ſuccum eidem analogum) aut ſanguinis, aut alterius humoris retentionem corruptionemque, aut extranei corporis, falſi videlicet germinis, aut ſimilis in ejus cavitate ſuppurationem, aut aliter male affectum hyſtericæ affectioni anſam ob hanc potiſſimum rationem præbere, quod nervi per ejus ſubſtantiam diſtributi varie irritati, demorſi, vellicati omnes quibuſcum inſignem habent communicationem ad violentas, atque inordinatas contractiones partium, quibus inferuntur ciendas excitant, unde varia ſymptomata pro convulſionis, aut ſpaſmi varietate proficiſcuntur, quæ quidem omnia cum ab uteri convulſione primum, ac ſpaſmo tamquam rivulus a fonte emanent, ſumptum non immerito a præſtantiſſimo Mauriceau afferendi conſilium, eumdem omnium ſymptomatum cauſam quibus hyſtericæ mulieres in paroxiſmo corripiuntur habendum eſſe, atque juxta Hippocratis aſſertum plerorumque morborum, quibus eædem præ viris dire exercentur. Utero partes conterminæ immo ad uteri fundum hiantes ſunt tubæ Fallopianæ dictæ, duo ſcilicet ductus, qui inde magis amplientur, & ſui quoque lateris ovarii dorſum conſcendentes, mox infra demiſſi, orificiis ſuis in lacinias quaſdam ornamentum foliaceum dictas diviſis propendent, ſubſtantia eadem fere, qua uterus, præditi: ad duorum ferre digitorum ab uteri lateribus diſtantia duo alia globoſa corpora conſita ſunt Veteribus teſtes, Recentioribus ovaria nuncupata eidem utero per latum ligamentum, perque aliud ſatis validum connexa. Nil igitur mirum videatur, aut tubas Fallopianas, aut teſtes Veterum, quos noſtri ovaria dicunt quocumque humore repletas, diſtentas, aut alia ratione affectas ipſa ipſius hyſtericæ affectionis ſymptomata progignere, quæ ab uteri læſione exoriri ſupra oſtendimus, cum hujuſce, & illarum partium per nervos reciproce communicantes conſenſus ejuſmodi ſit, ut una affecta aliæ quoque parum diſſitæ immo connexæ afficiantur. Quod autem lympha genitalis, ſuccus geniture analogus circa uterum congeſtus, ſtagnans, corruptus in extremitates nervorum ejus ſubſtantiam perreptantium ea ratione afficiat, quæ vel una ſatis valere poteſt ad effrænes motus, atque inordinatas contractiones univerſi corporis comitandas, vel ex eo maxime apparet, quod in virginibus circa decimum quartum ætatis annum inſignes mutationes contingunt, quarum omnium maxime ſpectanda videtur, quæ mammarum turgentia, ſtimulis, ac deſideriis ad Venerem, ſanguinis menſtrui fluxu ſe prodit, ut ſupra a nobis eſt demonſtratum, quæ omnia protenſo quaſi digito commonſtrant circa pubertatem ad uterum eum ſanguinis, aliorumque ſuccorum afſluxum fieri, quo non ſolum extrema vaſorum oſcula referantur pro ſanguinis menſtrui evacuatione, ſed talis in extremitates nervorum motio excitatur,

tur, quæ ad cerebrum uſque pertingens Veneris ideas animo repræſentat. Hiſce porro ad ſtimuli ſedem major ſanguinis, aliorumque ſuccorum fluxus promovetur, atque deſideria ad Venerem incenduntur. Quid igitur mirum videatur, majore facta ſtagnatione, congeſtioneque, componentes eorum partes ſenſim a ſe mutuo ſolvi, atque ſecedere, ſubtiliores avolare, craſſiores vero remanere, paulatimque corrumpi, acres propterea, volatiles, tenujoreſque particulas exaltatas ita prædictas nervorum extremitates mordere, vellicare, aut alia ratione afficere, ut inde diriſſimum malum hyſtericum ſubſequatur? Magnum ejuſce rei, clarumque argumentum eſt virgines circa pubertatis annos Venerem avide appetentes, viduas intermiſſum coitum eodem vehementer exerceri, ut Galenus, Foreſtus, Ballonius, Lemnius præclare oſtenderunt, quia videlicet ea copia ſuccus genituræ analogus, lympha genitalis, ſanguis ſi libet, aliique humores ea copia cumulantur, ut non ſine morſu, atque vellicatione in extremitates nervorum contineri in organis a natura comparatis non queant, ex qua violenti ſpaſmi ad univerſum corpus propagantur. Quo loco fateor me juſtis laudibus æquare non valere, quod in hanc rem tradit egregie Charleto (o) inquiens: *Mulieres quædam acribus copioſis ſpermatis igniculis prurientes deſiderio conſueſcendi cum viris in ſæva hyſterica pathemata incidunt; hinc tantus in virginibus juxta, ac feminis ſalacioribus mali hyſterici eſt proventus*. Qua de cauſa Veteres fere medici ad credendum vehementer adducti ſunt retentum ſemen pro principe hyſtericæ paſſionis cauſa habendum eſſe, conjugium (p) eaque omnia, quæ retenti in utero feminis exitum promovent ad earum incolumitatem tantopere conferre, certiſſimis obſervationibus edocti finito hyſterico paroxyſmo ex relaxatis muliebribus copioſum humidum extillaſſe liquorem. Quod vero ſpeciatim a ſanguinis ſive menſtrui, ſive lochiorum in puerperis ſuppreſſione, aut diminutione hyſtericum malum proficiſcatur, haud equidem inficiari quempiam poſſe exiſtimo, qui ejuſce rei ſollicitus virgines percontetur, quibus menſium fluxus circa pubertatis annos inſtat, aut etiam feminas, in quibus difficilior idem eſſe conſuevit: facile enim intelliget graviſſimis ſymptomatibus hyſtericis miſellas premi, præſertim vero clavo hyſterico, non aliunde, quam a retardato libero ſanguinis curſu per vaſa uterina, atque hinc ſubſequente præternaturali eorumdem diſtenſione, atque nervearum, quibus contextæ ſunt fibrarum morſu, vellicatione, ſpaſmo, qui ad univerſum nervorum ſyſtema propagatur repetendis. Cujuſce rei locupletiſſimos teſtes habemus, & in actis Wratiſlavienſium, (q) in quibus eadem deſcribuntur, & laudatum ſupra Hoffmannum, qui ob repentinam purgationis menſtruæ per vehementem terrorem, præſertim vero in perſonis naturæ ſenſibilioris ſuppreſſionem, graviſſima mox hyſterica, quin & epileptica excepiſſe ſymptomata teſtatus eſt. Eadem & puerperis evenire ob perturbatum Lochiorum fluxum, præterquamquod & Hippocrates, (r) & Hoffmannus adnotarunt (ſ), quotidiana experientia adeo certum effecit, ut probatione nequaquam indigeat. Quod ſi a ſanguine, aliiſque humoribus optime conſti-

tutis

(o) *l. c. p.* 76.

(p) *Hip. lib. de virg. morb. cap.* 3. *Valeſcus de Tarant. phil. pharm. lib.* 6. *Duretus in enarrat. ad cap.* 109. *Hollerii. Zacut. Luſitan.* 52. *prax. med. ad mirand. obſ.* 91. (q) *an.* 1700.

(r) *Lib. de natur. mul. ſect.* 9. (ſ) *Loc. cit.*

tutis tam gravia ſymptomata ob ſolam quandoque vaſorum diſtenſionem exoriuntur, a corpore extraneo in ejus cavitate in ſuppurationem abeunte, ab ulcere ſerum acre, ac corroſivum plorante, eadem adhuc graviora provenire poſſe lippis æque, ac tonſoribus notum eſt plus, quam ipſorum digiti, atque ungues.

V. *His addendæ aliæ viſcerum affectiones Meſenterii, Hepatis &c.*] Si hiſce finibus coerceretur cl. Le boe Sylvii opinio aſſerentis cauſam affectionis hyſtericæ eſſe acidum Pancreatis nimis auſterum vitioſe in inteſtinis cum bile efferveſcens, unde copioſi flatus, & vapores elevantur, qui cum ſint valde acres, Abdominis, & præcordiorum dolores procreant, non eſſet cur multum dimicaremus. Quamvis enim bilem cum ſucco pancreatico efferveſcere nulla ratione poſſe alibi a nobis demonſtratum ſit (t) efferveſcentiæ tamen nomine eorumdem, atque omnium humorum, qui in cavitatem inteſtinorum confluunt, aut qui in plicis Meſenterii, aut Liene, aut Renibus ſeparantur receſſum quemdam a naturali temperie, pravam mixtionem, corruptionem ſi libet intelligeremus, qua mordendi, vellicandi indolem nacti, atque ramuſculis ſexti paris, qui per omnes haſce partes diſtribuuntur moleſti eadem omnino ſymptomata excitarent. Dolendum tamen ceu proximam, & immediatam cauſam, & quod magis eſt unicam conſtituiſſe, cum pro remota tantum habenda videatur, & inter multiplices, quæ citra uteri læſionem hyſtericam paſſionem gignunt, collocanda. Cujuſce rei præclariſſimum exemplum contemplandum Medentibus exhibuit laudatus Mauriceau in nobili quadam Muliere, quæ cum Renis abſceſſu laboraret, alternis fere diebus annorum ferme ſupra duorum curriculo maximis ſuffocationibus, cordis anguſtiis, palpitationibus, deliquiis divexata fuit, perinde ac ſi morbi cauſa ab utero male affecto eſſet repetenda, qui aperto ejuſdem cadavere, illæſus omnino repertus eſt una cum partibus eidem inhærentibus, aut proxime communicantibus. Mirum autem aliorum viſcerum inciſione inſtituta Renis abſceſſum ſatis inſignem haud injucundo ſpectaculo comparuiſſe a grandiori lapide Renis medium occupante inductum, quo ægrotans occubuit, cum a Medentibus iis remediis continuo pertractaretur, quæ in uteri ſuffocatione paſſim adhiberi ſolent, quem ne atonia quidem premi ore oculiſque defixi deprehenderunt, ut quatuor ante Menſes prædixiſſe teſtatus eſt.

VI. *Spirituum etiam quandoque Animalium debilior craſis, ut facile diſſipentur &c.*] Neque lymphæ genitalis, neque ſanguinis menſtrui, lochiorumque ſuppreſſionem, neque uteri aliorumque viſcerum affectiones pro cauſa paſſionis hyſtericæ ſemper habendas eſſe, facit potiſſimum viduarum contemplatio; quæ quamvis coitu non utantur, ut antea ſolebant, nec non plerarumque, quæ Deo datæ ea ſunt caſtimonia, ut ne imaginariam quidem venerem patiantur, nihilominus tamen ejuſmodi morbo obnoxiæ evadunt, cum e contra Mulieres nuptæ viro, ac coitu ſæpe utentes, quibus Menſes ſatis liberaliter profluunt hyſterico malo frequentiſſime, ac pertinaciter laborent: quemadmodum etiam annoſæ quædam feminæ, quibus jamdiu Menſes naturaliter intermiſerint, atque omnis propterea ſanguinis, aliorumque ſuccorum ſuperflua quantitas defecerit, in eoſdem tamen morbos adnotantibus Carolo Piſone, & Hoffmanno ſupra laudatis labuntur: immo ut ſubdit cl.

 Mauri-

(t) *aph. lib. 3. p. 55.*

Mauriceau iidem viri, frequentius tamen Mulieres ob odorem Moſchi, Zibethi, flor. aurantiorum, roſarum, aliorumque corporum ſuaveolentium, nec non ob terrorem, metum, triſtitiam, iram, dolorem ſummum, aliaque animi pathemata. Quibus rite perpenſis cl. Sydenhamius ſuam illam ſpirituum animalium ἀταξίαν, ſeu inordinatum, ac confuſum motum propter debiliorem, & rariorem eorumdem texturam invexit, ut facile diſſipentur, & a levi etiam cauſa in motus inordinatos, & perturbatos excitentur. Et ſane in hyſtericis Mulieribus adeſſe hanc debilem ſpirituum craſim, vel ex eo maxime conſtat, quod Mulieres præ viris debiliorem, & rariorem texturam, atque univerſum nervorum ſyſtema maxime ſenſibile obtinent, mollioremque totius corporis habitum. Quibus ſane de rebus illud conſequitur, ut ſi viri Symptomatibus, quæ hyſtericis ſimilia videantur, afficiuntur, ii potiſſimum litterati ſint, & acriori ingenio præditi, quia nimirum rariori, tenuiori, ac facile diſſipabili ſpirituum craſi donantur. Arguunt eamdem craſim cauſæ externæ, quæ ſæpiſſime hyſtericos ſpaſmos excitant, inter quæ ſunt præcipue prædicti odores fortes, & acuti, nec non graviora animi pathemata teſte ipſo Aretæo, quibus ſpiritus animales nimis raris, ac tenues commoventur, variaſque motus perturbationes excitant. Vomitum ſilentio prætereo materiæ flavæ, viridis, bilioſæ, quique a corruptione inſigni ſuccorum in primis viis ſtabulantium pendere videtur, quo hyſtericæ Mulieres optime valentes extemplo corripiuntur ab hoc inordinato, ac confuſo ſpirituum animalium motu repetendum, ut alibi a nobis demonſtratum eſt. (*u*) Non immerito propterea conjeciſſe videtur, ſuppoſita hac debili nervorum, ac ſpirituum textura liquidum nerveum ad viſcera imi ventris deduci, quæ ad humorum ſecretiones, excretioneſque ſunt comparatæ, unde eædem labefactantur, ac propterea diverſi humores falſi, acres, irritantes, aut alia qualitate peccantes non tam circa viſcera, quam in univerſa maſſa ſanguinea colligentur, a quibus demorſis nerveis partium filamentis hyſtericæ paſſionis ſymptomata excitantur. Dolendum tamen hanc unicam hyſtericæ paſſionis cauſam agnoviſſe, eamque & affectionis hypochondriacæ ciendæ haud imparem, nunquam in ſemine, aut ſanguine menſtruo corruptis, nec in ſuccorum depravatione, ſive etiam humorum acrium congeſtione conſtituendam. Præterquam enim quod ſumma in obſcuritate verſari vel ex iis erui commode poteſt, quæ cum vera eſſe ratio evincit, obſervationes cum multæ, ac frequentes, tum certæ ac conſtantes confirmant, accedit præterea ſpiritus in feminis, & litteratis hominibus, ut citato loco oſtendimus, eo quod pauci ſunt, debilioris, ac rarioris texturæ in inordinatos, & irregulares motus, minime tamen in effrænes violentaſque abire turbas, quæ ad atrociſſimos dolores, ad immanes convulſiones, membrorum contractiones, rigiditates excitandas valeant, quæ potiſſimum feminis hyſtericis præ viris hypochondriacis familiares eſſe conſueverunt.

VII. *Quæ diutius protracta ſanguinis ipſius craſim invertunt, ac ſpirituum, unde atrocior ſucceſſu temporis morbus &c.*] Quoniam ſæpe ſæpius contingit a gravioribus animi pathematibus, atque diuturnis cujuſvis generis aſſiduiſque mentis cogitationibus ſpiritus diſſipari, ac volatilibus particulis privari; nec non fibrarun Cerebri tonum parumper infringi laxarique præſertim in Mulie-

(u) *aph. lib. 3. de affect. hypoch.*

Mulieribus, quæ paſſionibus pronæ ſunt, & valde ſenſiles, diſſipabilique ſpirituum textura donantur, fieri minus vix poſſe videtur, quin liquidum nerveum minori vi, atque elatere per nervorum fibras excurrat, præcipue vero per illas, quæ ventriculo, aliiſque infimi ventris viſceribus diſtribuuntur, unde eædem debito tono deſtitutæ, ac langueſcentes ſuis muneribus obeundis impares evadant, atque hinc tota œconomia naturalis viſcerum abdominis turbetur, atque propterea alimentorum coctio, chyli perfecta elaboratio, excrementorum ſecretio labefactetur. Jam vero chylum imperfecte elaboratum, neque ab excrementitiis ſordibus optime depuratum, immo viſcido acribus irritantibus imbutum per venas lacteas in ſanguinem propelli perſpicuum eſt, atque univerſam ipſius maſſam vitiari, heterogeneis particulis referciri, ſpiritus earum mixtione coinquinari, in corticalibus Cerebri glandulis ſecerni, atque hinc affectionem hyſtericam diro ſymptomatum ſatellitio ſtipatam a confuſo ſpirituum animalium motu circa nervorum principia exiſtente propter particularum heterogenearum cum ipſis admixtionem, quas copulam exploſivam vocavit Wiliſius, eamque retinere ſpiritus, & una ſecum in canales nerveos deducere arbitratus eſt, tandem ſubſequi. Si Wiliſius animadvertiſſet, quam facile a lymphæ, ſeu ſucci genituræ analogi, quem ſemen Veteres appellarunt, aut a ſanguinis menſtrui ſuppreſſione tota uteri non ſolum, ſed univerſi corporis œconomia alteretur, ſecretiones, excretioneſque perturbentur, pravæ vitioſæque ſordes in ſanguine cumulentur: quam facile etiam viſceribus imi ventris hepate, pancreate, liene, meſenterio, glandulis copioſiſſimis ventriculi, inteſtinorum, renibus male affectis diverſorum ſuccorum, humorumque, qui variis uſibus deſtinati ſunt ſeparatio vitietur, ſalinæ propterea, acres, viſcidæ aliæque extraneæ particulæ vel in ſanguine remaneant, vel novæ continuo ingerantur: ſi perpendiſſet demum liquidorum ſecretionem in glanduloſis viſcerum folliculis a motibus proportionatis, & ſpecificis nervearum fibrarum, & ſanguinis circa ipſa viſcera fluentis, unde homologæ ſanguinis particulæ a certis glandularum oſcillationibus ſucceſſive admittuntur, pendere, alterata vero oſcillationum proportione propter langueſcentem debilioremque nervearum fibrarum contractionem a ſpiritibus animalibus mitiori energia in eaſdem fluentibus excitatam, prædictos ſuccos, humoreſque alterari, ſylveſtres aliaſque excrementitias, ac pravas partes a glandulis recipi, atque hinc primas vias, ſanguinem, ſpiritus incongruis, ſuperfluis, vitioſiſque ſalibus inquinari: & quod magis eſt omnique animadverſione digniſſimum ad toties inculcatam nervorum ſexti paris diſtributionem ad omnes fere partes, omnia fere viſcera, univerſum fere corpus, nec non ad mirabilem illum nervearum fibrarum conſenſum, ut una affecta, aliæ quoque licet longe diſſitæ afficiantur, attendiſſet, arduum futurum reor, ut uſque adhuc allegatas hyſtericæ paſſionis cauſas, quas ad lymphæ genitalis, ſanguinis, aut alterius humoris in utero, conterminiſque partibus ſtagnationem, corruptionem referre licuit, ad extranei corporis in ejus cavitate ſuppurationem, ulcus, aliorumque viſcerum imi ventris affectiones, ac demum ad ſpirituum Animalium debiliorem craſim, exploſiſſet, cum ejuſmodi ſint, ut omnes diutius protractæ ſuum illum ſpirituum motum circa nervorum principia exiſtentem, quam unicam hyſtericæ, & hypochondriacæ cauſam conſtituit, ciere valeant, augere, confirmare. Nonnullas ex iſtis attigiſſe præ cæteris videtur Etmulle-

rus

rus ſupra allata ſententia, qua acidum ſucci pancreatici, ventriculi, aut inteſtinalium glandularum vitioſe effervefcens (licet gratis dictum, ut vidimus) una cum partium nervoſarum convulſionibus tum Abdominis, tum aliarum partium accuſat, præcipuas tamen frequentioreſque prætereundo diſputationem tot tantiſque difficultatibus impeditam, ac varie a Scriptoribus pertractatam aliis reliquit.

VIII. *Huic affines morbi ſunt in primis ſyncopes, in qua tamen reſpiratio, & pulſus &c.*] Hyſtericæ affectionis ſigna primum tradere, mox ejus ętiologiam afferre conſultum duximus, id ſuadente nonnullorum conſilio, qui ex affectionibus, quibus perardui, ac difficiles morbi maxime propriis ſtipantur accurate, atque ordine examinatis de eorumdem natura, & eſſentia æquum, & adæquatum judicium ferri arbitrantur. Illud tamen diligenter curandum eſt, ut ab aliis morbis, quibuſcum aliquam habet affinitatem, cognationemque diſtinguatur. Id quod tribus potiſſimum generalibus ſignis conjici poſſe animadvertit Riverius. Quorum primum eſt, quod ſi ægra hyſtericæ affectioni ſit obnoxia, ejuſque ſymptomatibus premi non raro conſueverit, dum rurſus aggrediuntur, de alio affectu cogitandum non ſit: Alterum eſt, quod Mulieres dum prædictis Symptomatibus vexari incipiunt, de utero male affecto conqueruntur: Tertium demum, quod hyſtericæ Mulieres fętidis rebus naribus admotis, & ſuaveolentibus in pudenda immiſſis magnum levamen percipiant, quod aliis affectibus commune non eſt. Verum ut de priore dicamus, ecquis tuto ſe pronuntiare poſſe confidat, eadem ſemper mala in eadem Muliere eſſe invaſura, cum innumerabilibus ferme premi ſoleant? Ad alterum quod ſpectat, an citra erroris ſuſpicionem affirmari queat in omnibus Mulieribus quacumque ex cauſa hyſterica affectione ægrotaverint, etiam utero illæſo omnino non ſuppetit. Tertium demum non ita firmum, & conſtans eſt, ut de aliis etiam affectionibus prædicari non poſſit, in quibus ſpirituum animalium motus inconcinnus, ac perturbatus eſt. Satius itaque duxerim peculiariter hyſtericam affectionem ab aliis affectionibus diſtinguere, ut idem Riverius, aliique accuratiores practici præſtiterunt. Inter affines morbos animadverſionem meretur Syncopes. Si tamen ſedulo, & accurate perpendas Syncopes cauſam, ut ſupra dictum eſt, eſſe ſublatum ſanguinis motum, facile intelliges reſpirationem ſimul, & pulſum omnino deficere, ceſſante vero ſanguinis, & ſpirituum influxu in univerſi corporis partes, ac cutis porulis collabentibus extremum faciei pallorem, ſudoreſque frigidos ſupervenire oportere, cum in hyſterica affectione color plerunque naturalis ſervetur, & pulſus utcumque debilis percipiatur. Quoniam vero dici ſanguinis motus intercipi nequit, quin vita hominis periclitetur, hinc illud conſequitur, ut ſyncopes brevi in ſalutem, aut mortem terminetur, cum hyſtericus paroxyſmus ad plures dies quandoque perſeveret. Saluti autem in Syncope plurimum tribuit ſuaveolentium naribus applicatio, aut ori ingeſtio. Quæ enim grati odoris fragrantia inſinuuntur, cum ſubtiliſſimas habeant partes, momento fere ſpiritus erigi contingit, & recreari, prompte vero cordis vias remetientibus liberum ſanguinis curſum reſtitui, atque morbum auferri. Quæ de hyſterica affectione ne dicantur, facit confuſus, perturbatuſque ſpirituum animalium motus modo in has, modo in illas partes influentium ſalvo libero cordis pulſu, niſi ſpaſmus tantus hinc excitetur, ut ſanguinis motus auferatur;

quo

quo caſu ſyncopes effectus morbi erit aliis notis dignoſcendus, quarum præcipua eſt ſuaveolentium applicatione augeri, aut confirmari, cum primario invadente nulla ſit iis medicina præſtantior.

IX. *Tum Apoplexia, in qua tamen partes omnes reſolutæ ſunt, atque omni ſenſu privatæ &c.*] Cum proximam apoplexiæ cauſam in impedito ſpirituum animalium a Cerebro ad organa ſenſui, & motui deſtinata, & ab iis ad Cerebrum excurſu conſtituerimus (x) ab hoc eodem fonte ſenſuum omnium internorum, externorumque abolitionem repetendam eſſe duximus, atque omnium partium reſolutionem: Symptoma autem frequentiſſimum ſi quod aliud ſuperveniens iis, qui in Apoplexiam labuntur, eſt oris detorſio, quam potiſſimum fieri diximus, quod Muſculis os ad latus adducentibus denegatur ſpirituum animalium influxus, liber vero præbetur Muſculis eidem muneri dicatis in latere oppoſito, unde cum tendantur iſti, inflenturque nulla vi contranitente, oris detorſio emergit. Quæ ne in hyſterica paſſione minime contingant, facit perturbatus ſolum, & confuſus ſpirituum animalium influxus modo in has, modo in illas partes, unde partes non ſolum reſolvuntur, ſed varie inordinateque concutiuntur: & quamvis hinc ſpaſmus excitari queat cynicus dictus, qui oris & ipſe detorſionem conjunctam habet, qua ratione diſtinguendus ſit citato loco tradidimus monitum cl. Etmulleri ſequuti, qui in oris detorſione a reſolutione prodeunte partem illam, quæ trahitur, & reſoluta eſt, mollem, & flaccidam percipi, & ad partem ſanam trahi poſſe oſtendit, & hanc ipſam partem in naturalem manus ope reſtitui, cum e contra a convulſione oriunda partem ſanam, atque illam, quæ convulſa eſt duram, & firmiter contractam percipi contingat, & ſi retrahi velit, non ſine inſigni dolore poſſit. Quid quod ſi Apoplexia fortis ſit in qua præter Cerebrum etiam Cerebellum afficitur, diminuta ſpirituum ſecretione atque derivatione in nervos ad cor, & partes reſpirationi inſervientes ſpiratio ægra, & ſtertoroſa ſubſequi debeat, quæ longe ab hyſterica paſſione ſunt remota?

X. *Epilepſia quoque, in qua tamen convulſivi motus externas partes dire exercent &c.*] Illud maxime Epilepſiæ proprium eſt, ut partes externæ convulſivis motibus varie, inordinateque exagitentur, quod vel ex eo repetendum eſt, quod ſpiritus Animales in vehementes turbas adacti cæcoque impetu hac illac irruentes in partes, quæ motui præſertim voluntario famulantur, & naturali, violentas contractiones, motuſque effrænes excitant: deinceps ut ſpuma ab ore, & naribus effluat a convulſione œſophagi, & pulmonum, qua feri, & ſalivæ copia ejicitur, cui mixtus aer in bullas elevatur, cum ſpaſmi in hyſterica paſſione, in qua nervorum ramuſculi ſexti paris afficiuntur internas magis occupent, & viſcera, quibus diſtribuuntur. Accedit etiam, quod Cerebrum primario afficitur in Epilepſia: Fieri hinc minus vix poſſe apparet, quin illa pars, qua utitur anima ad cogitandum, & ſentiendum ita concutiatur, ut inepta omnino evadat ad eos tremores ſuſcipiendos, quibus principes animæ operationes exercentur: quod perquam raro in hyſterica affectione contingit, ut præ cæteris Cornelius Celſus docuit inquiens: (z) *Vulvæ morbus interdum ſic exanimat, ut tanquam comitiali morbo proſternat:* diſtat tamen hic caſus in eo quod neque oculi claudantur, neque ſpumæ profluant, nec nervi diſtendantur.

XI. Mor-

(x) *aph. lib.* 1. *cap.* 1. *com.* x. (z) *Lib.* 4. *cap.* 20.

XI. *Mortuis quandoque ſimillimæ &c.*] Quomodo hyſtericæ Mulieres quando mortuis ſimillimæ evadunt ab iiſdem ſint diſtinguendæ, operæ pretium eſt inquirere. Id autem variis modis ſcriptores fere Veteres explorari poſſe tradiderunt: primum quidem ori goſſipium, aut lanam, aut plumas leviores applicando, quæ ſi non moveantur, ægram pro mortua habendam: deinceps ſpeculum terſum ori pariter apponendo, quod tantillum ſpirante ægra halitu ex ore exeunte infici debet: tandem poculum aqua plenum pectori imponendo, quæ viva adhuc exiſtente Muliere moveri debet. Quæ ſigna quamvis ut plurimum locum habere videantur, perpetua tamen non eſſe, nec omnimodam certitudinem præ ſe ferre arbitratus eſt Riverius, cum quædam Mulieres hyſtericæ ſola tranſpiratione vivant inſtar animalium in latibulis degentium hyemis tempore, & omnino abolita ſit in iis reſpiratio. Quod diligenter tenens cl. Raymundus Jo. Fortis caute agendum docuit, neque goſſypio, aut lanæ, neque ſpeculo, neque poculo aqua pleno fidendum docuit, cum in arteriis etiam tranſpiratio perficiatur: ſecurius vero ſternutatorio medicamento vivam a mortua diſcerni poſſe. Cum tamen Mulieres hyſtericæ, vivæ adhuc ſepultæ fuerint, & quandoque a Medicis diſſectæ, ſaluberrimum utriuſque conſilium ſectandum traderem, hyſterica affectione defunctas per triduum ſepeliendas non eſſe, aut ſaltem donec fœtere incipiant.

XII. *Difficilis quidem morbus curationis, & interdum in Apoplexias, Epilepſias &c.*] Hyſterica paſſio quamvis terribilis videatur, minus tamen periculi præſeferre, quam vulgo creditur, omnes cum Veteres, tum Recentiores Medici uno ore affirmarunt. Nihilominus tamen exempla non deſunt Mulierum, poſtquam effrænes, atroceſque motus convulſivi eaſdem exercuerunt, quæ in Apoplexias lapſæ ſunt, aut in paralyſim, ſeu hemiplegiam ad annos uſque perſeverantem. Ita cl. Mauriceau cujuſdam Mulieris junctæ ſibi affinitate meminit, quæ cum duobus tantum utero Menſibus geſtaſſet hyſterica paſſione vehementi adeo correpta eſt, ut convulſionibus, & apoplexia ea potiſſimum de cauſa ægrotaverit, quæ in paralyſim dimidiæ corporis partis deſinit, etiam poſt partum, quem maturo tempore feliciter obtinuit ſuperſtitem, nec prius invaleſcens, quam thermopotatio inſtituta, qua egregie a morbo liberata eſt. Nullum eſſe morbum, cui tam facile epilepſiæ, & convulſiones artuum junguntur, quam qui ex uteri vitio enaſcitur adnotavit ipſe Hoffmannus. Niſi tamen aut gravior Syncopes ſuperveniat, aut inſignis convulſio, qua liber ſpirituum Animalium influxus etiam ad partes vitales omnino intercipiatur lethalis eſſe conſuevit, licet adeo chronicus, ut non immerito opprobrium Medicorum una cum affectionibus hypochondriacis nuncupetur.

XIII. *Quo Mulier a paroxyſmo liberetur, ſi plethorica ſit, ac boni habitus &c. venæ ſectio e brachio &c.*] Curationem hujuſce morbi duplicem eſſe, alteram quæ in acceſſione perficitur, alteram, quæ extra paroxyſmum tradiderunt fere Veteres omnes, Recentioreſque Medici. Illi quidem in acceſſione vapores, atque auram veneficam diſcutiendam, & a nobilioribus partibus revellendam; humores in utero contentos, unde eadem elevatur evacuandos, & uterum ad propriam ſedem, quando contingit, reducendum. Quæ omnes indicationes quamvis falſæ ſucceſſu temporis viſæ ſunt Recentioribus, qui hyſtericæ affectionis cauſas altius, ac ſubtilius commenti ſunt,

ut

ut vidimus, ejuſmodi tamen fuere, ut quempiam ad ſtatuendum facile adduxerint omnem rectæ curationis rationem in eo conſiſtere, ut remedia cauſis morbi avertendis accommodata invenirentur. Quod nulla meliori ratione præſtari poſſe deprehenſum eſt, quam ad ægrotantium naturam attendendo, & generaliores quaſdam affectiones, quibus earum corpora excercentur; quo potiſſimum lites, quæſtiones, jurgia, aliter mente incedente, finem habuerunt. Atque ut ad rem noſtram accedamus, utrum in hyſtericæ affectionis paroxyſmo locum habeat venæ ſectio quæſtio digna fuit, ut a Veteribus fere Medicis ageretur. Si cl. Varandæum, Sennertum, Raymundum Jo. Fortis conſulimus animadvertentes in hyſterica affectione, dum Mulieres invadit inſignem adeſſe virium languorem, totius corporis refrigerationem ob malignos illos ſuos vapores cor, & cerebrum infeſtantes, quibus in mortis diſcrimine Mulieres conſtituuntur, venæ ſectionem minus tutam, immo periculi plenam exiſtimarunt. E contra Mercatus, Rodericus a Caſtro, Hoechſtederus, Higmorus, Riverius, Septalius aliique ad ſanguinis menſtrui copiam, atque retentionem curam animumque convertentes, venæ ſectionem cæteris omnibus remediis anteponendam eſſe facile judicarunt. Quid in re ardua ipſe ſentiam pronuntiare vix audeo. Utcumque tamen ea intelligenda ſit, veritati ſumme conſonum videtur aſſerere cum plethorica ſit Mulier, bonique habitus, & quod magis eſt pulſum habeat plenum, ac turgidum, ac Menſium diminutione, aut ſuppreſſione laboret, nullum inveniri Medentibus datum eſſe præſtantius, aut pro ægrotantium opportunitate valentius auxilium venæ ſectione, quæ præterquamquod ad ſpaſmorum ac convulſionum vehementiam, quæ in plethoricis Mulieribus major eſſe plerunque conſuevit, compeſcendam præſtat, ad cauſam etiam, qua morbus efficitur, aut ſaltem augetur, aut confirmatur profligandam plurimum valet. Qua in re conſentientes habemus clariores Medicinæ proceres, qui nuperrimis temporibus floruerunt Mauriceau, Hoffmannum, alioſque ſupra laudatos, qui ſi major ſanguinis copia urget, etiam iterandam venæ ſectionem docuerunt, ne ipſis quidem gravidis exceptis, certis ac frequentibus obſervationibus edocti Mulieres hyſtericas omni ſenſu, motu, ſpiratione, ac loquela fere privatas, quibus multus ſanguis aderat, vel a ſuppreſſis repente evacuationibus accumulatus, venæ ſectione inſtituta protinus ad ſe rediiſſe. Quamquam libentiſſime a Varandæo, Sennerto, Jo. Forti, aliiſque fuerim, qui venæ ſectionem altiori voce damnarunt in hyſterica affectione, ſi res ſit cum Mulieribus, quæ immodicas evacuationes ſanguinis, aut aliorum humorum paſſæ ſint, ideoque ſpirituum, & cruoris inopia laborent, atque inde fibrarum motricium languore, cum venæ ſectione ſpiritus, & humores magis depauperentur, fibræque motrices magis magiſque ad elaterii exercitium ineptæ conſtituantur. Cujuſce rei argumentum prope certiſſimum erit pallor inſignis faciei, & totius corporis, qui etiam naturalis cum ſit venæ ſectioni ferendæ minus eſt aptus; præ cæteris vero pulſus parvus, ac debilis, cum actiones reliquæ ægre, & cum languore peragantur, ac frigus totum corpus detineat; quibus rite perpenſis citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, illud ſummopere verendum eſſe, ne dum ſpaſmis uteri venæ ſectione conſulere ſtudemus, eoſdem graviores, ſævioreſque inanitione accedente juxta Hippocratis doctrinam excitemus.

XIV. *Si venter præter modum elatus ſit, ac tenſus cum inſigni alvi adſtrictio-*

ne ol. amygdal. dulc. &c.] Venæ ſectio vel locum habeat, vel neutiquam in paroxyſmo hyſtericæ paſſionis, nihil impedit, quominus alia remedia in uſum vocentur, quæ nimiam irritationem ſiſtere valent, & hinc perturbatum ſpirituum motum coercere, nec non fibras criſpatas, & convulſas laxare. Quibus indicationibus ſatisfacimus remediis internis, vel externis. Inter interna remedia, ubi venter præter modum elatus ſit, ac tenſus cum inſigni alvi adſtrictione, oleum amygdalar. dulc. eximias habere vires perſpicuum eſt. Præterquam enim quod ad criſpatas fibras emolliendas plurimum valet, quibus coercitæ aeris particulæ, ac loci calore rarefactæ ventris inflationem, ac tenſionem procreant, accedit præterea alvum nimio ſpaſmo conſtrictam blande ſubducere, quod a purgantibus ſperare inane non non modo eſt, ſed diſcriminis plenum tentare, cum nulla re magis ægræ lædantur, quam ab iis, quæ ſtimulandi vim habent, quæ humidi copiam evacuant, a quo humorum acredo temperatur, quæque particulis acribus, & irritantibus fœta cum ſint ventriculi, & inteſtinorum fibras vellicando, tormina, & atroces abdominis dolores procreant. Ad leniendos porro inteſtinorum ſpaſmos, ac morboſas fibrarum uteri contractiones emolliendas Clyſteres ex carminativis, & emollientibus confecti egregie conducunt, inter quæ folia malvarum, parietariæ, radicis althææ, lilior. alborum, & ſimilia eminent additis oleis emollientibus, ex quibus etiam fotus, inunctiones parantur ad prædicta obeunda munera opportuniſſimæ, ſi quæ alia.

XV. *Hiſce aliquandiu adhibitis emplaſtrum hyſtericum &c.*] His a Veteribus fere Medicis Hippocrate, & Galeno accenſentur ſuffumigia ex ſuaveolentibus, uti ſunt moſchus, zibethum, benzoe ad uterum apparanda. Quibus addendum, quod tradit Capivacius, qui quandoquidem conjugium efficax remedium noverit, ut efficacius evadat, jubet ut vir penem inungat oleis aromaticis, & zibetho. Neque hujuſce rei ratio in arduo ſita, adnotante Hoffmanno, cum ſulphurea exhalatione, aut immediata eorum adplicatione fibras uteri ſpaſmo conſtrictas relaxari contingat, atque hinc craſſos, & putridos humores effluere, ut Foreſtus teſtatus eſt (*a*). Verum in iſtorum uſu ad idioſyncraſiam quamdam diligenter attendendum traderem, qua pleræque Mulieres a ſuaveolentibus odoribus adeo graviter læduntur, ut in graviſſimas convulſiones hyſtericas labantur, cum e contra nonnullæ teſtante cl. Wall (*b*) vel Moſchi frictione naribus inſtituta a graviſſimis paroxyſmis liberentur. Si enim a ſuaveolentibus lædi antea minime conſueverunt, minus verendum eſt, ne eorum odor etiamſi ad nares uſque pertingat, ipſis officiat. Sin contrarium acciderit, juſtus ſubrepit timor, ne caput impellens ſpiritus in ἀταξίας adigat, & novum paroxyſmum multo graviorem excitent, ut ſupra oſtendimus. Tutiora porro, & experientia magis probata viſa ſunt emplaſtra, quæ graveolentiam habent aliquam, qua lædi minus plerunque ſolent Mulieres, ut ſunt ex bdellio, ſagapeno, aſſa fœtida, galbano parata, ſi umbilico, vel pudendis adplicentur, quæ teſtantibus Veteribus ipſis Medicis eximias habent facultates, & de quibus notabile exemplum attulit idem Foreſtus, unde Sydenhamius ſuum illum confecit ex galbani in tinctur. caſtor. ſolut. & colat. ℥ iii. Tacamahac. ℥ ii. f. emplaſtr. pro umbilico, quod cum alia votis minus reſpondeant apprime utile, ac proficuum deprehendi ſæpius ſolet. Balſamum Galbanetum uterinum Sen-

(a) *Lib.* 28. *obſ.* 32. (b) *Trans. phil.* 2. 474. *an.* 1744. *ar.* 18.

Sennerti ſilentio prætereo, quod ex gum. galban. oleo therebinthinæ in retorta ſoluto, & ſtillato conficitur, aut illud Hadriani Mynſicht, quod eadem fere ratione compoſitum eaſdem vires habere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior fit nulla.

XVI. *Si longior ſit morbus, & gravioribus ſymptomatibus ſtipatus, Mulier vero frigidioris temperamenti boli ex Mithridato optim. &c.*] Sed nihil ad effrænes ſpirituum motus coercendos, atque hinc criſpatas, & convulſas fibras relaxandas opio, & ex ipſo paratis medicamentis, maxime ſi iis quæ ſpecifica virtute utero, conterminiſque partibus mederi communiter reputantur, inter quæ ſuccinum, caſtoreum, aſſa fœtida, aliaque eminent, conſocientur. Inter opiatas compoſitiones non ignobilis olim fuit Mithridatum, tum Triphara magna, quæ ſine opio parari ſolebat, & cum opio, quod poſtremum nuperrimis etiam temporibus invaluit, cum primum plane obſoleverit. His accenſendum Laudanum hyſtericum de le Febour, quod ex ſuccino, myrrh. croc. oriental. caſtor. ſpirit. vin. opii extract. certa chymicorum induſtria præparatur, ejuſque vires eximias in hyſtericis ſuffocationibus, atque inordinatis, effrænibuſque motibus uterinis dictis ſuus Auctor deprædicat. Verum tam in hujuſce laudani, quam in Mithridati, & Triphare aliarumque ſimilium confectionum uſu, illud ſummopere animadvertendum traderem, quod Hippocrates præclare adnotavit (*c*) ut nempe feminarum naturæ recte diſcernantur, earumque temperamentum præſertim internoſcatur. Si enim frigidioris naturæ fuerint, & temperamenti ut ajunt pituitoſi, in quo fibræ laxæ ſunt, motus ſanguinis tardior, & languidior, ſeri & lymphæ copia adeſt, ſpirituſque jam torpidi quæ calefaciendi vim habent, ut fere ſunt allata remedia tuto, & citra noxæ periculum adhiberi queunt, cum jam perturbatum ſpirituum motum ſedandi virtute ſint prædita: immo tincturæ ipſæ ſuccini, caſtorei in aquis artemiſiæ, matricariæ, aliiſque, quas uteri amicitia claras fecit æque ſunt commodiſſimæ, quibus addi poteſt aqua ipſa Cinammomi, quæ teſtante cl. Mauriceau ad flatus diſcutiendos, qui ſtomacho contenti inſignes anguſtias, & ſuffocationes excitant, ſimulque ad laxas ipſius fibras corroborandas opportuniſſima exiſtit.

XVII. *Immo ſi ſopor profundus Mulierem exerceat cum pulſu parvo, languido, contracto, extremorum frigore ad aq. Meliſ. cerafor. &c.*] Symptomatum etiam, virium, ac ſanguinis, humorumque motus habenda ratio. Si enim non effrænes perturbatique motus, artuum inſolitæ contractiones, violentæ geſticulationes ægram extorqueant, ſed tantum ſopor profundus, cur opiatis medicamentis ſit pertractanda, quibus ſopor augeatur, aut confirmetur omnino non video; multo minus ſi vires jam langueſcant, quod nulla meliori ratione innoteſcere poteſt, quam pulſum reſpiciendo, qui ſi parvus, languidus contractuſque fuerit de ſpirituum, ac cruoris inopia, atque inde fibrarum motricium languore ſuſpicandum non eſt, quo etiam fit, ut ſanguis in partibus longe a corde diſſitis ægre admodum, & ſerius quam par eſt moveatur, hinc frigus totius corporis percipiatur. Quo caſu ſi opiatis medicamentis ægras pertractare animus ferat, nullus dubito, quin non ſolum incaſſum laborent, ſed cum neque ſalutem, neque levationem afferant ullam, brevi in extremum vitæ diſcrimen eaſdem adducant. Tunc vero ſa-

(c) *Lib. 1. & 2. de morb. Mulier.*

ſalubre conſilium cenſemus iis uti, quæ aut odore, aut ſapore grata ſunt, ut meliſſa, ceraſa nigra, & ſimilia, quæ calida dici conſueverunt, ex quibus aquæ ſtillatitiæ eliciuntur in hiſce morbis præſtantiſſimæ. Quod plane dicendum de ſpiritibus ardentibus, aut tincturis per vini ſpiritum ex Simplicibus anthyſtericis paratis, quæ propterea aquarum anthyſtericarum titulo inſigniuntur, quæque humoribus lentis, ac difficilibus, vel ſeroſis peccantibus, vel atonia ſolidarum partium, qua ſpiritus alicubi hærentes excitando, eorumque debiliorem craſim, & texturam corroborando, qua lentos ac difficiles humores reſolvendo æquabilem, atque ordinatam ſecretionem, atque derivationem in nervos promovendo alacriores Mulieres facile reſtituunt, atque ad motum, & ſenſum expeditiores. In horum quoque cenſu veniunt ſpiritus quidam urinæ, ſal. armoniac. ſanguinis humani, qui tenuitate, ac volatilitate, qua donantur, ſanguinem, ac ſpiritus debiles, ac langueſcentes erigere valent, fibras ad priſtinum elaterii ſtatum reſtituere, atque hinc hyſtericum paroxyſmum ab hoc fonte prodeuntem profligare. Si in hiſce tantum caſibus, nimirum in humorum viſciditate, lentore, in ſeroſa colluvie, in ſolidarum partium atonia, atque hinc oriundo inæquali, perturbato, ac confuſo ſpirituum animalium motu cocleari ſpiritus vini rectificatiſſimi utendum intelligat cl. Mauriceau, nil eſt ſane cur eidem libentiſſime non aſſentiamur, quemadmodum Sylvio, aliiſque aſſentiri viſi ſumus (*d*) qui hoſce eoſdem ſpiritus in apoplexia, epilepſia miris laudibus extulerunt, dummodo eorum uſus certis tantum finibus coerceatur, neque fervidiori temperamento præditis, aduſtis, ſtrigoſiſque, in quibus acres, bilioſæque particulæ ſunt exaltatæ, ſolidæ partes plus æquo tenſæ, ſpiritus ad cæcum furorem, atque impetum proni.

XVIII. *In fervidioribus vero calidioribuſque feminis ſola aqua ſtillat. flor. Chammom. tot. citr. &c.*] Fateor me juſtis laudibus hoc loco efferre non poſſe præclar. viros Rodericum a Caſtro (*e*) & Ludovicum Mercatum (*f*) qui peſſimum morem calidiora medicamenta in hyſtericis ſuffocationibus ab uterinæ lymphæ orgaſmo prodeuntibus altiori voce damnarunt, & e medio tollere quantum illis licuit, conati ſunt, multis, ac frequentibus, tum certis ac conſtantibus obſervationibus edocti graviſſima detrimenta hinc emanaſſe. Et vero nulla difficultate laborare facile judicaverim, quod præclar. viri conſulto protulerunt, cum calidioribus medicamentis acres, tenuiores, mobilioreſque particulas nerveas fibras uteri pungentes, vellicantes, convellentes magis magiſque attenuari contingat, exſolvi, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſas, atque una cum ſucco nerveo in cerebri fibras illabentes ſpirituum agitationem, atque furorem augere. Cum Mulieres fervidiori temperamento præditæ, calidioreſque, in quibus motus ſanguinis celerior eſt, & vehementior, pulſus frequens, ſulphureæ partes ſunt exaltatæ, & copioſæ, ſpiritus agiliores, ſubtiliores, acrioreſque, in hyſtericas affectiones allatis de cauſis labantur, cuinam rationi innitatur eorum methodus, qui calefacientibus, volatilibus, ſpirituoſis medicamentis earum corpora pertrectant, omnino non ſuppetit. Optime igitur earum incolumitati conſulemus, ſi convulſionibus divexatis, atque inordinatis corporis geſticulationibus, doloribus, vigiliis anodynum aliquod emulſionis forma propi-

(d) *Lib.* 1. *cap.* 1. *com.* 19. *pag.* 29. & *cap.* 8, *com.* 18. *p.* 159.

(e) *De morb. Mulier. lib.* 2. (f) *De morb. uteri cap.* 3. *lib.* 2.

pinemus ex frigidis, ut ajunt, ſeminibus, & papaveris albi in aquis refrigerantibus addito nitro puriſſimo, quorum virtutem ad nimium humorum æſtum, fervoremque compeſcendum, & libidinem extinguendam qui non cognoſcit, medicinam cognoſcit plane nullam, ut ſuperiori capite oſtenſum eſt. Quamquam ſi gravius hyſtericæ Mulieres conflictentur, quam ut ſperandum ſit levioribus hiſce anodynis placidam exoptandam tranquillitatem conciliari, vel nullum revera emolumentum ex iiſdem perceperint, præſto ſit Laudanum liquidum, quod ex aquis aliquibus ſtomacho & palato gratis (hæc enim dum Mulieribus præſcribimus, in eam ſpem facile adducimur, id nobis dent ultro, concedantque, ut omnia modo noſtro præſcribamus) & ſimul utero amicis exhibitum, tanti facit Sydenhamius, ut ſi quid in ſumma rerum anguſtia, vel ad ſymptomata mitiganda, quæ ex uſu aliorum medicamentorum accidere ſolent, ſperandum, ab hoc uno remedii genere ſperari jure merito poſſe confidat. Ejus etiam pulcherrima laus eſt, vel ſi diutius hora ſomni uſque ad ſymptomatum remiſſionem propinetur, certum levamen, nullum noxæ periculum afferre, ita ut vomitus, choleræ, colicæ hyſtericæ, aliaque id genus mala, quæ Mulieres dire exercent, hoc uno, fruſtra aliis adhibitis tuto feliciterque profligentur.

XIX. *In prædicto vero ſoporis caſu, aut Syncope aqua frigida in uſum vocanda &c.*] Non me præterit tamen, quid hiſce objicere ſoleant ii, qui pro volatilibus ſpirituoſiſque medicamentis, quæ in hyſtericis paroxyſmis adhibenda contendunt, acriter dimicant, nempe & in fervidioris naturæ feminis ſenſus, & motus privationem, altumque ſoporem, aut ſyncopem facile ſubſequi, quibus ſolvendis narcoticorum uſu earum corpora pertractare ſi ferat animus, nulli dubitant, quin incaſſum laborent, qui in iis auxilii ſpem invenire adnituntur. Recte illi quidem. Sed verendum, ne illis ſummopere officiat inſignis excitandi facultas, ſpiritus erigendi, recreandi, langueſcentem ſolidarum partium tonum firmandi, quæ ſoli aquæ frigidæ potui, aut ejuſdem adſperſioni in facie, quandoque etiam pauxillo vini optimi ori ingeſto ineſſe ſolet ex Hippocratis conſilio (*d*), quem ipſe Mauriceau ſequutus eſt, nec non frictionibus circa præcordia, item in pedibus cum panno aſperiori inſtitutis, naribus vero admotis odoramentis quibuſdam fœtidis, ut Hippocrates præcepit, qui tamen leviores ſint, mitioreſque, ex charta nimirum, linteis, pennis, corio uſto, ruta aceto trita, & ſimilibus, non ex ſpiritibus oleoſis, volatilibus, ſaliniſque ſumme actuoſis, ne nerveis cerebri membranis ſtimuli addantur, ſpiritus vero ad irregulares motus proni plus æquo commoveantur, exagitentur, unde cæco furore, atque impetu hac illac irruentibus morbus augeatur.

XX. *Cum in altero caſu ſal volatile Anglic., oleoſum Sylvii &c.*] Quæ quidem detrimenta in ægras Mulieres quæ frigidioris naturæ ſunt, laxiorique habitu donantur emanare poſſe tantum abeſt, ut credam, ut etiam maximos, & uberrimos fructus facile eaſdem aſſequi tam ego intelligam, quam qui maxime. In his enim ſalini, volatiles vapores, dum in nerveas cerebri membranas nonnihil laxas impingunt, tonum ipſis addunt, vigoremque, priſtinum elateris exercitium reſtituunt, ſanguinem vero humoreſque alicubi impactos, hærenteſque commovent, diſcutiunt, ſpiritibus energiam conciliant, unde concinne, atque ordinate in nervos influere contingit, at-

(d) 1. *de natur. mulier.*

atque hinc paroxyſmum averti. Si in hiſce tantum caſibus ſternutatoria præſcribenda eſſe nonnulli cum Raymundo Jo. Forti, Riverio arbitrentur Hippocratis doctrinæ vehementer addicti dicentis. *Mulieri, quæ uterinis moleſtatur, aut difficulter parit ſuperveniens ſternutatio, bonum*: iis non ægre admodum indulgebimus, cum Schneideri membrana, tum nervis omnibus cum eadem mire conſentientibus proritatis, viſcera ac partes lentis, viſcidis acribus, ac ſuperfluis ſuccis impeditas expedi contingat, laxatis præter morem vaſculis tonum reſtitui, atque hinc irritationis ſive in extremitates nervorum, ſive circa eorumdem principia cauſa deficiente, hyſterica ſymptomata ſedari. Illud tamen, & ipſi concedant mihi neceſſum eſt, quod volo, ut ſcilicet errhina ex hyſſopo, ſatureja, & ejuſmodi aliis parata, quæ levem excitant ſternutationem adhibeantur, non quæ acriora ſunt, uti euphorbium, helleborus, & ſimilia, quæ nerveas fibrillas majorem in modum vellicando convulſionem lethalem progignant, ut alibi a nobis eſt demonſtratum (e), & tunc ſolum cum *Mulier*, ut Riverius ipſe ait, *valde ſepulta videatur*, cum cæteroquin oleum ſuccini, aſſa fœtida, caſtoreum ad odorandum tutiſſima ſint æque ac efficaciſſima, ſi quæ alia.

XXI. *Extra paroxyſmum pariter ubi res ſit cum Muliere frigidioris temperamenti &c. præmiſſa venæ ſectione, & leni purgatione, ſales &c.*] Ut extra paroxyſmum congrue, & opportune hyſtericis Mulieribus conſulamus, eo nervos induſtriæ omnes intendendos eſſe, ut uteri aliorumque viſcerum vitia emendentur, maſſa ſanguinea a ſordium, pravorumque excrementorum ſarcina liberetur, ſpiritus, & nervorum ſyſtema corroboretur, perſpicuum eſt. Illud autem ſedulo, & diligenter animadvertendum eſt, ut ſordium natura internoſcatur, an viſcidæ tenaceſque ſint, an vero acres, tenues, ſalſæ: pro diverſitate ſiquidem peccantium humorum diverſa indicantur remedia. Id autem nulla meliori ratione innoteſcet, quam ad ægræ Mulieris temperamentum, & habitum reſpiciendo, nec non ad affectiones quaſdam, quæ cum morbo conjunctæ eſſe plerunque ſolent. Si enim frigidum temperamentum fortita fuerit, in quo ut ſupra animadvertimus fibræ laxæ ſunt, motus ſanguinis tardior, & languidior, ſeri & lymphæ copia ſupra cæteras partes adeſt ſine febre, æſtu, proclive eſt credere craſſos, tenaceſque ſuccos uterum conterminaſque partes impedire, mucilagineas ſordes ſanguinis craſim inquinare. Ea igitur quæ ſpiſſitudinem humorum tollunt, quæ incidunt, attenuant, abſtergunt, fibrarumque motum adaugent hic locum habere ambigendum non eſt. In horum cenſu venit in primis venæ ſectio, præſertim ſi Menſes aut omnino ſuppreſſi ſint, aut maximopere retardati, ut etiam in paroxyſmo præſtandum eſſe duximus. Imminuta enim ſanguinis mole, imminui etiam reſiſtentiam, quam viribus illam moventibus craſſities, viſciditas, & lentor humorum afferebat manifeſta res eſt. Quo ſane conſequitur, ut cor, arteriæ, & partium intra quas ſanguiferi canales excurrunt motrices fibræ validius, & fortius ſe ſe contrahant, his autem ita ſe contrahentibus totum ſanguinem vehementius propelli, atque agitari, ſtagnantes hærenteſque particulas dimoveri, circulo reſtitui, attenuari, dividi, expeditius moveri, ſeu quod eodem recidit ſanguinem fluxilem reddi. Quid ſi excrementitii humores in primis viis ſtabulentur, qui coctiones, excretioneſque impediant? Quid ſi Hepatis, Pancreatis, Meſenterii alio-

rum-

(e) *Lib.* 1. *cap.* 1. *tom.* 21. *p.* 30.

rumque viſcerum imi ventris infarctus adſint a lentis viſcidiſque humoribus ortum habentes? Purgationem nimirum aliis omnibus remediis præmittere apprime utile & neceſſarium eſſe notum omnibus eſt, planeque perſpectum. Quoniam vero una purgantis pharmaci exhibitione totus peccans humor educi non poteſt, præſertim ſi craſſitudine peccet, ob quam cæteris noſtri corporis glandulis non ſit accommodatus; hinc ſalubre practicorum conſilium, facta primarum viarum abſterſione ſales in uſum vocare, qui lixiviales dicuntur, qui videlicet ex cineribus quarumdam plantarum combuſtarum per lixivium extrahuntur, aut qui medii appellantur, qui videlicet ex acidorum cum alckalicis mixtione parantur, quique viſcidis, craſſiſque ſordibus attenuandis, incidendis, laxatis ſtomachi, & inteſtinorum fibris roborandis opportuniſſimi exiſtunt. Prioris generis ſunt ſales centaur. minor. agrimon. tamariſc. artemiſiæ, alterius vero tartarus ſolubilis, tartarus vitriolatus, & ſimiles, qui ex decoctione exhibiti plantarum, quæ eaſdem fortitæ ſunt vires, dici vix poteſt, quam apte ſpiſſos craſſoſque humores ad fluendum diſponamus, quem ſervare ordinem maximopere neceſſarium eſt, ne infarctus, concretiones, ſtagnationeſque, quibus referandis ſtudemus, ultro ſollicitemus. Præmiſſis iis, quæ humores ad fluendum diſponunt, ſpirituoſa addi ſucceſſu temporis poſſe; ut ſunt ſpiritus ſal. armoniac. & ſimiles ultro ambigendum non eſt. De virtute ſuccorum, qui ex iiſdem plantis eliciuntur Vid. lib. 3. cap. 8. com. 11. p. 105.

XXII. *Hiſce, qualibet octava die purgantia intermiſcenda, inter quæ infuſio rhabarbari &c.*] Dum humores ad fluendum diſponuntur, aut revera reſolvuntur, impuritates quaſdam deponere certum eſt, quarum præterea eliminandarum cura habenda per alvi vias, quæ omnium ſunt opportuniſſimæ, quidquid Sydenhamius afferat, qui quid emolumenti, ſive potius non incommodi ex repetita pharmaci purgantis exhibitione ægris adferri queat ſe ignorare teſtatus eſt. Quamvis enim haud inficias ire auſit, quin inteſtina ex impuritatibus liberent ea, & pariter e maſſa ſanguinea humores noxios in ea ſtabulantes aliquantulum extrahant, e contra tamen frequentius repetita plurimum officere in corporibus imbecillis, ac præſertim in ætatibus tenellis affirmare non dubitavit, ingentem humorum colluviem in viſcera imi ventris eliciendo, unde tumores in iiſdem facile ſubſequuntur tanto magis in dies mole augeſcentes, quanto ſæpius æger purgetur. Quamvis ego a Sydenhamio fuerim, ut alibi adnotatum eſt (*f*) ſi de præpoſtera purgandi ratione loqui intelligat, validioribuſque purgantibus in corporibus imbecillis, & ætatibus tenellis, non tamen propterea conceſſerim tanta damna emanare poſſe, ſi de commodiſſima purgandi ratione ſermo ſit, quam epicraſim vocant, & de rhabarbaro, quo nullum efficacius, aut pro ægrotantium opportunitate valentius reperiri medicamen ad pravas, vitioſaſque ſordes eliminandas, ſanguinis craſim, ſolidarumque partium, atque affectorum viſcerum ſtructuram emendandam ita citato loco demonſtratum eſt, ut nullus ambigendi locus videatur.

XXIII. *Niſi ad Menſium, aut hæmorrhoidum fluxum immodicum proclives ſint, etiam pillul. tartar. Bont. &c.*] Haud ipſe ignoro Bryoniæ radicem in uteri hydrope, in hyſterica ſuffocatione ab obſtructionibus ejuſce viſceris, ſpecificam audire, cum ſerum craſſum, viſcidum, & lentum alicubi impa-

(f) *Loc. cit. pag.* 107.

pactum potenter diſſolvat, atque per alvum extra corpus educat. Atque ex ea quidem parari ſolet fecula, quæ tamen exiguæ admodum eſt virtutis, nec non extractum, quod majoris eſt energiæ. Verum cum radix Bryoniæ adeo potens ſit, & acre catharticum, ut ejus vehementia docente cl. Geoffroy (g) ſit temperanda cremore tartari, ſale vegetabili, aceto tum ſimplici, tum ſtillatitio, aut aliquo pulvere ſtomachico, & aromatico, hyſtericas Mulieres eodem nunquam pertractandas traderem, cum acribus, atque viſcidis humoribus irretita purgantia majorem partium nervoſarum inducant irritationem. Ut ſummum prævalente muco inerti pillulæ quædam, quarum baſis eſt, & ad blandiſſime purgandum opportuniſſimæ, quorum in cenſu veniunt tartareæ Bontii, Schroderi, Quercetani, & ejuſmodi aliæ, quarum vires citato loco ita explicuimus, ut ſupervacaneum ſit hiſce diutius immorari: de quibus tamen monere Medentes opus habeo, ut aliquid caſtorei ipſis addant, quod in ejuſcemodi hyſtericis Mulieribus ad quaſdam turbationes præcavendas commodiſſimum eſt, ſi quod aliud. Si quis radice bryoniæ uti velit ea vino infuſa ea ratione, ut leniter admodum, & paulatim purgando operetur, uti commode poterit hyemali tempore, quo nullus medicinis locus præbetur.

XXIV. *Hiſce martialia ſuccedant. Limatura Martis &c.*] Martialium operandi rationem eamdem eſſe in viris hypochodriacis, & feminis hyſtericis extra omnem dubitationis aleam poſitum crediderim, ſi ſolidæ partes, ſuccique ſpectentur primis viis, atque proximis viſceribus inhærentes, in quo agere debent: atque hinc abſorbendi vi potentiſſima præditum eſſe Martem, mucoſaſque quiſquilias atterendi, fibras ventriculi, & inteſtinorum membranas conſtituentes firmandi, ad aſſueta munia idoneas reddendi, coctiones reſtaurandi, ſanguinis ac ſpirituum craſim roborandi facile judicaverim; quod ut alibi dictum eſt (h) ab aliis ſcindentibus, penetrantibus, abſorbentibus medicamentis ſperare inane prorſus eſt.

XXV. *Et ſi aliquam perturbationem inferant laudan. opiat. gr. ii. cum confect. hyacint. &c.*] Vel in ſubſtantia exhibeatur Mars allatis de cauſis, vel in forma liquida, & quacumque doſi, illud accuratiorum practicorum, ac Sydenhamii præſertim obſervationibus compertum eſt, feminis quandoque magnas tum animi, tum corporis perturbationes inducere, idque non ſolum primis diebus, quod vel hypochondriacis, aliiſque morbis laborantibus, in quibus Martis regimen convenit, familiare eſt, ſed per totum etiam illud tempus, quo eodem utuntur. Sumptum hinc conſilium Martem, dum in ſubſtantia exhibetur, cum rob. ſambuc. quod optimum hyſtericum eſt, ſociandi, dum vero in forma liquida aquis artemiſiæ, aliiſque quarum vis eſt utero amica, & antiſpaſmodica eum potiſſimum in finem, ut minus mulieres perturbentur, neve hac ratione Martis uſus interrumpatur, qui ut in longius protrahatur expedit ut cum maxime: immo ſi ejuſmodi irritationem inducat, ut moleſtiam inferat, quo melius ferre eumdem poſſint, laudanum aqua hyſterica mixtum ſingulis noctibus ad tempus aliquod propinandum ſuadet laudatus Sydenhamius, quem accuratiores practici in hac parte ſequuti ſunt.

XXVI. *Sed nihil aquis acidulis præſtantius &c.*] Præterquamquod hyſterica affectio niſi perite tractetur facillime revertitur adnotante cl. Hoffmanno, vel

(g) *Mat. med. p. 2. de Veg. indig. p.* 120. (h) *loc. cit. pag.* 105. 106.

vel in alium morbum chronicum, inque primis hypochondriacum degenerat, unde aquæ acidulæ ab omnibus fere Medicis cum Veteribus tum Recentioribus, moderniſque commendatæ adverſus hypochondriacum malum locum habent, ut contra nonnullorum opinionem alibi demonſtratum eſt; (*i*) accedit præterea hyſtericis mulieribus aliis etiam de cauſis ſumme prodeſſe, quia videlicet in hyſtericos affectus frequenter incidunt, quod vel menſium ſuppreſſionem patiuntur, vel ſteriles ſunt, cum menſibus revocandis, ac ſterilitati debellandæ opportuniſſimæ ſint, quidquid de eximia hac virtute ſuſpicentur nonnulli, qui Martis vena, ac ſpiritu vitrioli ſcatere deprehenderint. Licet enim a Foreſto (*k*) acceperint imminuendo ſemini aquas fabrorum ferrariorum juxta Aetium aptiſſimas eſſe, a Liſtero vero (*l*) rubiginem per Dioſcoridem præſtare, ne feminæ concipiant, cum tenella eorum ova indureſcant, aut aliter vitientur, a Langio demum (*m*) de quodam homine narrante, qui ex nimio vitrioli ſpiritus uſu pro excitando appetitu teſticulos fere amiſerit, iidemque adeo ſenſim, ac ſenſim fuerint imminuti, ut piſorum magnitudinem vix æquarent, credere tamen aquas acidulas quod martiales & vitriolicæ ſint æque officere mulieribus poſſe, & genituram earumdem ulla ex parte labefactare ridiculum eſt, cum in acidulis Martis vena, vitrioli ſpiritus, aliæque activæ particulæ ita inter ſe mixta ſint, temperata, & aqueo principio diluta, ut non ſolum ſanguineam maſſam effœtam, ac mucilagineis ſordibus inquinatam attenuent, atque detergant vaſa, ductus ad uterum pertingentes, atque eos præſertim, qui ad ovaria eorumdemque tubas ſpectant penetrent, impactoſque in iiſdem ſuccos incidant, expellant, altiuſque repurgent, ſed laxatum fibrarum tonum reſtituant, unde pallidos Virginum colores, menſium ſuppreſſiones, aliaque ſymptomata auferri contingit, ſterileſque mulieres ſingulari quodam genio fœcundari, atque hinc hyſtericæ affectionis fundamenta ab imo convelli.

Et lacte autumnali tempeſtate.] Si paratis primis ſecundiſque viis, fluidarum partium, ſolidarumque textura eo redacta, ut hæ ad numerum pateant, illæ vero ubique, & æquabiliter fluere poſſint ad irritationes omnes, & abhinc prodeuntes nervearum fibrarum convulſivas contractiones ſedandas, ad læves politaſque particulas, quibus nutritio, vireſque reſtituantur in ſanguinem introducendas, lac præſtantiſſimum eſſe diximus in affectione hypochondriaca, in qua ventriculus, atque inhærentia viſcera corruptis viſcidis, acidiſque humoribus ſcatent, quanto magis proderit in hyſterico malo, in quo ventriculus plerunque, atque proxima viſcera ab incongruis, ſuperfluis, vitioſiſque ſuccis impedita non ſunt? Sed de ejuſdem virtute plura alibi dicta ſunt. (*n*)

XXVII. *Si vero calidioris ſit temperamenti, ſiccioriſque habitus &c.*] Si mulier calidiori temperamento ſit prædita, in quo fibræ ſenſiles ſunt, ad inſolitas corrugationes pronæ, motus ſanguinis celerior, & vehementior, ejus conſiſtentia ad tenuitatem vergens, ſulphureæ partes exaltatæ, & copioſæ, cum calore, æſtu, humores tenues, acres, vel extremitates nervorum vel eorumdem principia irritare, mordere, ſpiritus mobiliores, agilioreſque

R per

(i) *loc. cit. pag.* 108. (k) *Obſ. lib.* 16. *obſ.* 17.
(l) *Exercit. alt. de font. Med. Angl. cap.* 4.
(m) *in Colleg. ſup. Fabr.* (n) *loc. cit. p.* 108.

per nervos hac illac cæco furore, atque impetu irruere cenſendum eſt; hinc ea omnia in uſum vocanda, quæ acredinem humorum corrigunt, diluunt, refrigerant, & nutritio rore humectant, quæ convulſivas contractiones laxant, ac mulcent. Horum in cenſu venit oleum in primis amygdal. dulc. tum clyſteres, & cætera omnia, quorum eximias virtutes in propoſitis indicationibus abſolvendis ita alibi expoſuimus, (*o*) ut ſupervacaneum ſit iis diutius immorari.

CAP. VI.

De uteri inflammatione, ulcere, ſcirrho, cancro.

I. UTi cætera viſcera, ita uterus haud infrequenter inflammatur, cum ſanguis æque in ejus vaſis ſegnius, quam par eſt moveri queat, vel plane conſiſtere, vel in lymphatica lateralia effundi, unde levior, aut gravior morbi gradus.

II. Ejus ergo cauſæ remotæ eædem erunt, ſcilicet vaſorum laxitas, & atonia, vel adſtrictio nimia, plenitudo ſanguinis, craſſities, viſciditas, lentor, ejuſdem acredo inſignis.

III. Cauſæ antecedentes & externæ ſunt præcipue menſium, & lochiorum ſuppreſſio, partus contra naturam, difficiles, laborioſi, graviora animi pathemata, abdominis refrigerationes, aquæ frigidæ potio fluentibus lochiis, violenta uteri contrectatio ab imperita obſtetrice, peſſaria minus caute adhibita, ictus vel caſus ſupra regionem uteri.

IV. Prodit ſe uteri inflammatio febre acuta, tenſione, & dolore comitata in ejus regione, qui ad veſicam interdum magis protenditur cum urinæ ſtillicidio, ac ejuſdem difficultate, interdum ad rectum inteſtinum cum ſtypticitate, aut dolorifica fęcum excretione, interdum ad lumbos, interdum ad alterutrum inguen cum cruris ejuſdem lateris gravitate, ad umbilicum, ad ſupernum ventrem cum duritie oſculi digito immiſſo apparentibus, reſpirationis difficultate, ſingultu, vomitu, convulſionibus totum corpus occupantibus.

V. Quæ omnia ſi vehementer increſcant horroribus confuſis ſupervenientibus, poſtea vero miteſcant, dum febris lenta invadit, & alvus, & urina ſupprimitur in ſuppurationem abire facile judicandum.

VI. Hinc in ulcus ex remanente dolore quodam, & mordicatione in utero, vel ipſius cervice immiſſo ſpeculo Matricis viſu conſpicuum, manu obſtetricis, concubitu ſenſibile, & purulentæ materiæ variæ quanti-

(o) *l.* 1. *p.* 109. 110.

titatis, coloris, odoriſque pro varia ipſius indole excretione ſe ſatis prodens.

VII. Si loco ſuppurationis præpoſtera methodo adhibita ſanguis tenuioribus, mobilioribuſque partibus reſolutis, craſſiore, atque inerti remanente indureſcat, ſcirrhus febre, dolore, aliiſque ſymptomatibus ceſſantibus ſubſequitur ſuperſtite duritie, & renitentia in uteri regione illius circumſcriptionem referente, gravitate, ponderis ſenſu inſigni in utero, conterminiſque partibus, frequenti mejendi ſtimulo, doloris exacerbatione in fęcum excretione, menſtruorum ſuppreſſione, ſtillicidio ſatis clare innoteſcens.

VIII. Si inflammatio fiat in margine ſcirrhi, & vaſis per ipſum decurrentibus, quæ adhuc aliquam admittunt circulationem, tumor facile ulceratur, & cancer exoritur dolore ſe prodens, qui prius obtuſus cum eſſet punctorius, & lancinans efficitur totum hypogaſtrium ab oſſe pubis ad umbilicum uſque occupante, tumore circa collum uteri, & maxime orificium ejus internum ſpeculo matricis adhibito viſibili, inæquali, tuberoſo, liveſcente, aut nigricante venarum propaginibus quaſi radicibus circumſepto, excretione putridæ, fętidæ, ſanioſæ materiæ flavi, aut nigri coloris cum ſanguine mixtæ acerrimæ, erodentis, pudendorum ardore, febri hectica, anxietate, nauſea, atrophia.

IX. Ex his liquet uteri inflammationem magni ſemper faciendam. Quamvis enim in ſphacelum non abeat, graviſſimus tamen, ac periculoſiſſimus morbus eſt. Si in abſceſſum degenerat & ulcus difficulter plerunque ſanatur, præſertim in cacheticis, & menſium defectu laborantibus: ſi in ſcirrhum toto plerunque vitæ curſu miſellas exercet: ſi in cancrum cum ſaniei fętidæ excretione brevi ad interitum ducit.

X. Simul igitur ac inflammationis indicia apparent ſanguis primum ex brachio etiam repetitis vicibus in plethoricis mittendus, mox plenitudine imminuta ex pede.

XI. Si menſes, aut lochia ſuppreſſa ſint, doloreſque, & ſpaſmi ægrotantem exerceant ol. amygdal. dulc. ſ. i. r. e. ad ℥ v. circiter exhibeatur, mox ad ℥ i. .s. quotidie loco cęnæ ex juſculo tenui, nec non clyſteres ex decoctione malvar. althææ, lactuc. aut aq. decoction. hordei, aut emulſione ſemin. Cucurbit. & amygdal. dul. & niſi uteri cervix dura, ſummeque dolens prohibeat, in uterum injectio ex ſolo lacte, in quo flores ſambuci, verbaſci, ſempervivum, ſemina lini, aliaque ſimilia ebullierint.

R 2 XII.

XII. Cæterum fotus emolliens ex ſpongia aqua moderate calida imbuta, & per horæ dimidium tantum mane, & veſpere regioni uteri inſtituatur, eoque remoto omentum vitulinum, aut vervecinum oleo amygdal. dulc. cucurbit. lini recentis madidum ſuperimponatur.

XIII. Frictiones ſolum dolore, febre, aliiſque gravioribus ſymptomatibus ceſſantibus lumbis, & coxis inſtituantur.

XIV. Juſculum etiam cichoreo, endivia, lactuca, borragine, acetoſa alteratum dum ferri a ſtomacho poſſit bis in die propinetur addit. nitr. ſtib. aut ſal. prunel. a ℈ i. ad ʒ .s. & ſyrup. aciditat. citr. q. ſ. ad gratum ſaporem.

XV. Siti urgente liberalis potus concedendus aquæ Nocerianæ vel cujuſvis deſtillatæ malvar. violar. cichor. vel pluvialis ſi libet moderate tepidæ, & in nimio humorum orgaſmo etiam frigidæ ſyrupis ribeſiorum, berberum, aciditatis citri, ſucciſque acidis limonum, granatorum alteratæ.

XVI. Sedata inflammatione, doloribus vero, & ſpaſmis remanentibus, quibus lochia ſupprimuntur, laudanum liquidum tartariz. ad gut. xv. in aq. bryoniæ, vel bolus ex laudan. nepent. gr. i. aſſ. fœtid. ℈ .s. viſæ ſunt convenire: doloribus vero remittentibus, ſiti, calore, pillulæ Beccherianæ, aut in delicatioribus ſubjectis Stahlii, vel Hofſmanni ad gr. xv. per octo dies bis quotidie.

XVII. Hiſce fruſtra adhibitis boli ex trochiſ. de myrrha, borac. miner. dictam. cretic. pul. a ℈ i. caſtor. gr. v. cum tinctur. ſuccin. q. ſ. propinentur, ſuperbibendo decoct. flor. lilior. albor. fol. politric. dictam. Cretic. croc. oriental. cum ſyrupo artemiſ. q. ſ. in delicatioribus vero aqua rut. bryon. ſerpil. pulej. cum tinctur. caſtor. ℈ i. ſpirit. ſal. armoniac. gut. x. M.

XVIII. Hilaris vivat ægrotans, & quæcumque animi pathemata effugiat, & ſi acutiſſimus ſit morbus, vireſque conſtent ſolis panatellis ex juſculis vituli, pulli utatur, morbo vero diutius protracto, viribuſque collabentibus paulo liberaliori victu, aut ſaltem frequentius.

XIX. Si in ſuppurationem abierit inflammatio qualibet octava die purgandum potione ſolutiva, aut infuſione rhabarbari, ſi cachectica ſit mulier, ſi vero boni habitus ac fervidi temperamenti Caſſia, Tamarindis, & ſimilibus; dum dierum intermedio priore in caſu decoctio vulneraria ex plantag. centinod. virg. aur. veronica, conſolid. heder. tereſtr. flor. hypper. millefol. addito ſyrupo therebinth. ad ℥ i. aut præmiſſo

miſſo bolo ex therebint. aq. malvar. lot. apprime utilis : in altero vero ſerum lactis caprin. ad Lib. i. addito mel. roſac. ad ℥ i. non omiſſis injectionibus primum ex decoctione hordei cum mel. roſac. q. ſ. tum dolore urgente addito ſief alb. ſ. o. tandem ex decoctione vulneraria cum tinctur. ſuccin. balſam. Tolutan. aut Copaib. gum. elem. a ʒ ii. mel. roſac. .s. M.

XX. Sed opportuno tempore aq. B. V. aut Brandulenſes, tandem lac omnium præſtantiſſima.

XXI. Ubi ſcirrhi indicia appareant, Menſes vero, aut Lochia ſuppreſſa ſint, viribuſque mulier conſtet, ſanguis primum ex Brachio, mox Pede detrahendus, & interdum ex hæmorrhoidibus: e contra debili exiſtente muliere, aut Cachexia laborante.

XXII. Priore etiam in caſu boli ex gum. amoniac. aut ſagapen. aceto ſcilitic. diſſolut. ʒ .s. ſapon. venet. raſ. ℈ ii. ſal. tartar. fix. vel tartar. vitriol. ʒ i. extract. rhabarb. ℈ iv. Hier. picr. q. ſ. ad pondus ʒ .s. cum decoctione ex quinque radic. aperient. addito ſyrupo de althæa Fernel. exhibendi per triginta circiter dies.

XXIII. Hiſce alii ſuccedant ex limatur. mart. ſ. ſuper lapide porphyrit. lævig. aut croc. mart. cæleſt. a gr. x. ad xx. rhabarb. el. pul. gr. xv. Mac. optim. ℈ i. m. cum ſyrup. abſynt. aut ejus ſuc. condenſat. q. ſ. f. pillulæ pro una, & ſic pro aliis per xxx. & ultra dies. Horum loco in gracilibus, & delicatis ſerum lactis caprili ſubſtitui poteſt cum tinctur. mart. aut magiſter. mart. mynſicht ad ℈ i.

XXIV. Sed opportuno tempore aquæ acidulæ opportuniſſimæ.

XXV. Extrinſecus fiat Cataplaſma ex farin. fabar. hord. furfur. a m. ſ. ſemin. lin. fœn. græc. a ℥ i. .s. flor. melilot. chammomil. verbaſc. a p. ii. lixivii ſapon. q. ſ. M. coq. pro uſu dicto, nec non injectio in uterum ex decocto eorumdem ſeminum, & florum, uti & radic. alth. lilior. fol. malv. viol. branc. urſin. in aqua ſimplici parato.

XXVI. Inde ad aliud tranſitus fiat ex abſynt. tanacet. abrotan. thym. ſcordeo, flor. Chammomil. ſal. nitr. armon. farin. fabar. lupin. a q. ſ. pro Cataplaſmate : cujus loco unctiones eſſe poſſunt ex ol. abſynt. tanacet. abrotan. addendo camphoram q. ſ.

XXVII. Tandem ad emplaſtrum de melilot. de cicut. de nicotian. vel ad unguentum Rhaſis, & ſimilia.

XXVIII. Hæc omnia penitus proſcribenda in cancro vel occulto, & ſola venæ ſectio, ſi ut dictum eſt, ſuppreſſi ſint menſes, aut Lochia,

chia, vireſque conſtent primum ex Brachio, mox Pede celebranda, & hæmorrhoides aperiendæ.

XXIX. Tum ægrotans purganda conſerva Caſ. Donz., aut infuſione rhabarb. cum tartaro ſolubil. aut ſimili levi medicamento qualibet octava circiter die: quarum dierum intermedio pulvis abſorbens Wedelii dempto martis vitriolo ad ʒ .s. exhibeatur ex juſculo cichoraceo, ut inde ad ſuccos depuratos Fumar. Sonch. Anagalid. Borrag. Acetoſ. deveniatur ex juſculo exhibendos iiſdem plantis alterato per quindecim dies: poſtea vero ad eoſdem ſuccos cum ſero lactis caprili deſtillato addita carne vitulina, caudis cancrorum, ranis excorticatis, hordeo uſque ad Caniculæ exortum.

XXX. Quo tempore aut aqua Noceriana ſimplex, aut B. V. aut ſi libet in cachecticis impuriſque corporibus etiam acidulæ aliqua portione Nocerianæ aquæ alteratæ, balnea aquæ dulcis erunt opportuniſſima.

XXXI. Autumno tandem diæta lactea, in qua ægrotans quater in die ℥ vi. lactis aſſumat mane cum pauca panis quantitate, totidem meridie cum juſculo hordei pauxillo, aut horizæ, aut alterius mollis paſtæ decoctæ, totidem veſpere ex decocto Thee aut Caffè; demum loco cœnæ totidem cum ovi vitello, augendo in dies ſingulos lactis quantitatem uſque ad Lib. iiii. viginti quatuor horarum ſpatio, ſi ferri a ſtŏmacho poſſit ſine moleſtia, & ejuſdem corruptione: cui plurimum tribuet abſtinentia diligens ab eſu carnis, fructuum, herbarum, a vino, cujus loco aqua eſſe poterit corticibus citri alterata, aut lentiſco, viſco quercino, radice Chinæ.

XXXII. Sin minus lactis uſus conferre videatur, decoctum ſubſtitui poteſt ex caudis cancrorum fluviatilium, pulpis ranarum, radice Chin. raſur. Cor. Cer. Ebur. paſta ex ſemin. melon. hord. mund. macis pauxillo in aqua Noceriana paratum.

XXXIII. Si dolores dire exerceant emulſiones ſemin. papav. alb. in aq. lactuc. nymph. primum, mox iis fruſtra adhibitis pillulæ de Styrace, de Cynogloſ. ad gr. vi. aut laudan. opiat. gr. ii. hora ſomni exhibenda.

XXXIV. Succus ſimplex ſolatri, ſedi majoris, Geranii Robertiani, virg. aur. cancror. expreſſus, & in mortario plumbeo piſtillo plumbeo agitatus in uterum injiciatur primum, mox ipſæ emulſiones ſemin. papaver. alb. in aq. ex iiſdem ſuccis elicitis, aut decoctio in lacte caprili ex foliis nenupharis, hyoſciami, violis, roſis, a mi ſemin. papaver. alb.

alb. ℥ .s. pro eodem dicto uſu: dum extrinſecus emplaſtrum Diapalmæ Diapompholig. a ℥ .s. ſacchar. ſatur. ʒ .s. op. ſpirit. vin. diſſol. ʒ i. fulig. ſplend. ℈ iiii. quæ malaxentur cum oleo Solani expreſſo q. ſ. pro emplaſtro, applicari utiliter poteſt, ſi in uteri cervice ſit cancer: quo non ulcerato exiſtente ſequens etiam locum habebit. ℞. ol. roſat. ℥ ii. Cer. alb. ʒ vi. plumb. uſt. ℥ .s. m. pro linimento.

XXXV. Tandem diæta omnium præſtantiſſimum remedium, etiam ſi febris accedat, quæ ſola venæ ſectione moderanda, ſi vires ferant, clyſteribus, & refrigerantibus, ut in inflammatione pertractanda.

C A P. VI.

De uteri inflammatione, ulcere, ſcirrho, cancro.

I. *UTi cætera viſcera, ita uterus haud infrequenter inflammatur cum ſanguis æque in ejus vaſis &c.*] Cum de ſanguinis menſtrui fluxu ageremus oſtendimus Aortam deſcendentem multo ampliorem eſſe in feminis, quam in viris, pluresque in illis, quam in iſtis habere ramorum diviſiones pelvis capacitatem majorem eſſe, os ſacrum, & os cocygis latiora a natura eſſe efformata, & magis extrorſum porrecta, uti & oſſa innominata, quæ a ſe invicem quoque remota ſunt, crura pro cęterarum partium ratione craſſiora: atque hiſce omnibus quidem illud potiſſimum ſequi, ut ſanguis majore impetu, & velocitate ad inferiores partes feratur. Subdimus uteri vaſa tam arterioſa, quam venoſa ex ſpermaticis, & hypogaſtricis orta non recto curſu, ſed varie contorta, curva, & quaſi ſerpentinis ductibus hiare cum ob alias rationes tum ob hanc potiſſimum, ut expeditus ſanguinis regreſſus per venas parum impediatur: membranas, quæ internam, & externam uteri ſuperficiem cingunt, & in quas vaſa varie inferuntur, atque diſſeminantur omni fulcro deſtitutas eſſe: pendulum tandem eſſe uteri ſitum ejuſque venas valvulis carere: hinc difficilem eſſe ad ſuperiores partes ſanguinis curſum, per uterina vaſa progreſſum lentum admodum, ac ſegnem, ac propterea ibidem aggeſtum minimas eorum extremitates ſic diſtendere, ut aperiantur tandem, & ſanguini menſtruo viam ſternant, aditumque. Hæc ubi diligenter teneamus, nihil fere negotii faceſſet propoſitæ rei explicatio, cur uterus, uti cętera viſcera inflammationibus, atque hinc prodeuntibus graviſſimis malis obnoxius evadat. Quid enim facilius, quam ut ſanguis, qui dictis de cauſis in utero aggeritur, cumulaturque, ut diſruptis ipſius vaſis certo, ſtatoque tempore erumpat, ſegnius quam par eſt moveatur, atque hinc inflammatio imperfecta, quæ phlogoſis dicitur, excitetur: aut in minimis vaſis plane ſubſiſtat, parteſque ejuſdem globuloſæ, aut fibroſæ a novo continuo affluente ſanguine intra lateralia lymphatica pellantur, tumoremque, ruborem, ac dolorem procreent, unde vera ac imperfecta inflammatio ſubſequatur, quam maxime apparere in inflammatione tunicæ adnatæ, ita alibi a nobis demonſtratum eſt, ut ſi paulo diutius huic argumento immoremur aut in caſſum laborare de induſtria velle vi-

videamur, aut illorum patientia abuti, quibus hæc ſingulis, & univerſis jamdiu cognita ſunt, planeque perſpecta (*p*). Atque hinc potiſſimum petenda eſt differentia uteri inflammationis, quam plerique Veterum præeunte Aretæo, & Noſtrates Hoffmanno tradiderunt in leviorem, ſuperficialem, & graviorem, profundioremque: cum illa a phlogoſi, ſeu inflammatione imperfecta proficiſcatur, quæ prudenti conſilio pertractata intra paucos dies facili negotio diſcutitur, hæc vero a perfecta inflammatione exoriatur, quę febre intenſa, & ſævis ſymptomatibus continuo mulieres extorquentibus comitata brevi ad interitum ducit.

II. *Ejus vero cauſæ remotæ eædem erunt, ſcilicet vaſorum laxitas & atonia, vel adſtrictio nimia &c.*] Vid. ibid. com. 3.

III. *Cauſæ antecedentes, & externæ ſunt præcipue Menſium, & lochiorum ſuppreſſio*] Ad cauſas antecedentes, & externas uteri inflammationis pertinent ea omnia, quæ cęterarum partium inflammationibus progignendis tribuunt: Ejuſmodi ſunt temperamentum plethoricum, bilioſum, exercitationes corporis violentæ in aere frigido, venti auſtrales, boreales, & ejuſmodi alia, quæ ſingula ſi animo, & cogitatione percurras aut plenitudinem nimiam inducere facile deprehendes, aut craſſitiem, viſciditatem, & lentorem conciliare, aut acredinem, aut ſolidas partes ea ratione afficere, qua minima vaſcula ſanguini libere trajiciendo inepta conſtituantur, unde in laterales ramos effundi cogitur, atque tumorem, doloremque ciere, quibus tamen recenſendis immorari operæ pretium non duximus, cum ex dictis de phrenitide, angina, pleuritide per quam clare innoteſcant. Non me præterit improviſam Menſium, & Lochiorum ſuppreſſionem prædictis etiam inflammationibus procreandis opportuniſſimam exiſtere: quod vero uteri inflammationi ſpeciatim tribuat facit potiſſimum ipſius alteratio, quæ ſuppreſſis Menſibus, aut Lochiis contingit. Fluentibus enim ipſis, minima vaſorum oſcula aperta ſunt, atque a cęteris partibus ad ea ſanguinis curſus dirigitur, aut ſaltem qui coacervatim aggeſtus eſt foras eliminatur. Quotieſcumque igitur, aut Menſes, aut Lochia ſupprimuntur, quoniam vaſa diducta anguſtantur, contentuſque in iis ſanguis excerni nequit, atque ad alias refluere partes, hærere facile, ac ſubſiſtere cogitur, aut a novo continuo affluente in laterales ramos effundi, unde phlogoſis, aut vera inflammatio excitatur, quam puerperis præſertim ſolemnem eſſe teſtatus eſt Hippocrates (*q*) inquiens: *ſi inflammati fuerint puerperæ uteri, venter ardet, & magnus fit, & ad præcordia ſuffocatio habet, & uterus ubi puerperii purgamenta intus manſerunt a frigore occulte diſtenditur*: Hinc non immerito in hæc verba alibi incidit: (*r*) *Niſi a partus purgamentis Mulier repurgetur, magno morbo tentabitur, vitæque periculum incurret, niſi quis celeriter adhibita curatione convenientem purgationem promoveat*, ut ſilentio prætercam, quod libro de morbis Mulierum in eamdem rem protulit: *Interdum minime exeunt* (nempe lochia) *verum id Mulieri exitium portendit, niſi quis celeriter venam incidat, aut alvum emolliat &c.* Quæ ſane omnia ab Hippocrate, aliiſque Veteribus propoſita ita ſucceſſu temporis accepta, ac probata fuerunt, ut clariores medicinæ proceres, qui nuperrimis temporibus floruerunt, ac Mau-

(p) *Vid. lib. 2. cap. 4. com. 2. p. 55.*
(q) *Lib. 1. de Morb. Mul. ſec. 72.*
(r) *De nat. puer. pag. 239.*

Mauriceau præſertim affirmare non dubitarit, lochiorum ſuppreſſione nil deterius, ac periculoſius puerperis accidere poſſe, ſi primis ſtatim diebus quo tempore uberius fluere deberent derepente contingat, cum iis diuturna mora curruptis inſignis inflammatio ſubſequatur. Qua in re tamen multis minus arriſit. Vel enim lochiorum corruptio contingit propterea quod in uteri vaſis eadem ſubſiſtunt, vel quod in ejus cavitate. Quoties ſanguis in uteri vaſis adhuc movetur, ac curſum ſuum retinet, arduum, atque inſolens explicatu eſt, qua ratione, aut modo corrumpi queat. Si in uteri cavitatem effuſus, niſi aer exterior accedat, non tam facile putreſcere, vitiarique poſſe ſuadere videntur præſtantiſſimorum virorum obſervationes, quibus compertum eſt fetus jam mortuos, ſecundinas, menſes, lochia ſumme fetida diu in uteri cavitate contineri nullo fere ægrotantium diſcrimine. Ipſe cl. Mauriceau quorundam fetuum abortu natorum meminit, qui vix ulla corruptionis præbebant inditia, licet Menſe plus uno jam mortui in ventre jacerent (*ſ*). Quid quod Hildanus fetum mortuum memorat (*t*) qui trium menſium ſpatio incorruptus in utero ſervatus eſt? Recte quidem. Quid quod alterum refert cl. Mauriceau (*u*) ad quinque uſque Menſes emortuum abſque ulla inſigni corruptione a Matre geſtatum? Alterum Elias Camerarius deſcribit (*x*), qui in quatuor fere Menſium ætate conſtitutus ad partum uſque naturalem fetum alterum comitatus eſt nullo prorſus aut fratris, aut matris detrimento? Inſignem demum ſanguinis quantitatem in utero, ac vagina imperforatæ cujuſdam Mulieris anni dimidio fine ulla alteratione retentam eſſe tradit idem Mauriceau, (*z*) propterea quod ab externo aere munitus, ut cl. viri Boerhaavius (*a*) Queſneii (*b*) la Motte (*c*) aliique oſtenderunt. Sed non in ea rationum inopia verſamur, ut non aliunde ad afferendum retenti ſanguinis corruptionem inflammationi ciendæ imparem eſſe argumenta conquirere valeamus. Videmus ſiquidem altero, aut tertio partus die lochia quamvis inſigniter imminuta, ac ferme ſuppreſſa naturali colore, odore, ac conſiſtentia prædita effluere, iis tamen omnibus ſubſequentibus ſymptomatibus, quibus inflammationem uteri adeſſe facile conjicimus. Quapropter illud exiſtimaverim nulla difficultate laborare, quod cl. Boerhaavius conſulto protulit (*d*) tum cum lochia ſupprimuntur ſangninem intus retentum in arteriis hærere, in venas minime redire, ac phlegmon uteri oriri, quod antea jam docuerat ipſe Valeſius (*e*) ad credendum vehementer adductus ſanguinem in iis puerperis, quibus ſupprimuntur ejuſdem evacuationes, in utero facile ſubſiſtere, ſtagnare, atque uteri inflammationem progignere.

Partus contra naturam, difficiles, laborioſi &c.] Quid ſit partus contra naturam ſupra a nobis demonſtratum eſt (*f*). Labores, conatus inſignes, ac niſus eum comitari diximus, hinc in Mulieribus præſertim plethoricis, atque bilioſis potuque vini generoſi abutentibus, aliiſque rebus, quibus ple-

S nitudo

(ſ) *Obſ.* 245. 268. 412. (t) *Obſ. chirurg. cent.* 2. *obſ.* 51.
(u) *Obſ. ult.* 1. (x) *Cautel. circ. part. natur. p. m.* 553.
(z) *Obſ.* 495. (a) *De concept. apud Haller. tex.* 685.
(b) *Mem. de l' Acad. Royal de Chirurg. p.* 58.
(c) *Reflex. obſ.* 392. (d) *De concept. tex.* 686.
(e) *Com. ægr.* 10. *lib.* 3. *ſect.* 2. *epid.*
(f) *Vid. cap.* 3. *com.* 3.

nitudo ſanguinis, aut fluiditas, & fuſio excitatur, adeo inſignia ſanguinis profluvia exoriri, ut vires hinc prolabantur omnino; atque in mortis diſcrimine prope certiſſimo conſtituantur, propterea quod ad affectam partem, quam ſpaſmi, ac convulſiones exercent vi, atque impetu irruente ſanguine, ejus vaſa plus æquo dehiſcant, diſrumpantur, erodantur. Quid ſi præ ſpaſmo, ac convulſione liber curſus ſanguinis præpediatur; aut fętu viam ſibi, atque exitum parante vi inſigni facta adverſus uteri fundum, ipſius tunicæ, quæ ſæpe ſæpius non adeo firmæ ſunt, ut validioribus niſibus, conatibuſque reſiſtant, contundantur, atterantur, diſcerpantur? Contuſas nimirum, attritas, aut aliter male affectas fibras inflammari, obdureſcere, turgere, vaſorum orificia præcludi, atque hinc inflammationem in fibris uteri augeri, denegato vero in eaſdem liquidi nervei, & arterioſi influxu ſphacelum ſubſequi perſpicuum eſt. Id quod hiſtoriæ cum certæ, ac notiſſimæ, tum etiam multæ, ac conſtantes teſtantur, quæ in Mauriceau paſſim legi poſſunt (*g*) in Bartholino (*h*) in Heiſtero (*i*) in Bonetto (*k*) in Ephem. N. C. (*l*) in Wedelio apud Garmannum (*m*) præſertim vero in Enrico Fueſio ſcripto, cujus mentio fit in E. N. C. (*n*) cui titulus: *De ſphacelo uteri frequentiſſima mortis puerperarum cauſa*: atque frequentius contingere, quam vulgo creditur viri cl. la Motte, Veslingius, aliique haud dubie affimarunt. Id æque affirmari non poſſe de partu naturali, qui difficilis ſit, ac laborioſus ob grandiores fętus exeuntes, ea potiſſimum, quæ citato loco oſtendimus ſuadere videntur. Cum enim ejuſmodi fętus magnis, craſſiſque placentis donentur, quæ vaſis æque amplis, capacibuſque ſunt præditæ, hiſque vaſa uteri ſint proportionalia; avulſa ex iis uterina placenta ſanguinem magna vi, atque impetu erumpere, atque hinc uteri hæmorrhagiam ſubſequi debere demonſtratum eſt. Id tamen intelligendum eſt de fętu exeunte antequam conatibus, niſibuſque vehementibus, atque violenta fibrarum uteri contractione a continuo illuc affluente ſanguine liber ejus excurſus præpediatur, ac phlogoſis febre ſubſequente excitetur, quæ facile in veram tranſit inflammationem, etiamſi partus ſuccedat, ut a cl. la Motte demonſtratum eſt, qui non ſolum in partu contra naturam, & in ipſo naturali, laborioſo, ac difficili, ſed in facili etiam, qui violentus ſit, contuſiones, lacerationes in nymphis, in vagina, in interno uteri orificio, ac ejuſdem parietibus oriri facile exiſtimat, atque hinc inflammationes, abſceſſus, ſphacelos ſubſequi (*o*). Hinc ſapienter admodum prudenterque dictum a cl. Dionis (*p*) tunc cum fętus capite prolabente deorſum ad os uteri, & partus doloribus Mulierem exercentibus certa brevioris, faciliorisque exitus ſpes allicimur, ſi forte ad ſecundum, & tertium diem protrahatur, eadem plerunque fruſtrari, ut dubii, ancipiteſque hærere cogamur, an fętus ſtatim extrahendus ſit, an ultra expectandum. Quartam enim expectare diem quandoque periculoſum, cum uterus ita ſæpe lædatur, ut vel inane prorſus ſit fętus extractionem moliri, aut prius etiam Mulier intereat

(g) *Obſ.* 251. (h) *Lib.* 6. *de inſ. part. v. cap.* 1.
(i) *Obſ.* 176. (k) *Anat. pract. lib.* 3. *ſect.* 38. *obſ.* 2.
(l) *Dec.* 1. *an.* 2. *ob.* 254. *Dec.* 2. *an.* 7. *obſ.* 10. *an.* 9. *ob.* 115. *Dec.* 3. *an.* 5. & 6. & *alibi*. (m) *De mirac. mort. lib.* 1. *tit.* 8. *ſect.* 48.
(n) *Vol.* 2. *p.* 328. (o) *Ref. obſ.* 418. & *chap.* 5. *liv.* 5.
(p) *Des achouch. liv.* 3. *chap.* 14.

reat (*q*), quandoque vero ſit ocyus fetus vitam, & matris in diſcrimen adducere, cum aut iteratis validiſque conatibus, ac doloribus, aut ipſo capite ita producto, ut viæ anguſtiæ aptari queat tandem erumpat, ut laudati la Motte obſervationibus compertum eſt (*r*). Quod niſi forte contingat, & fetus jam capite ad exitum paratus via hærere cogatur, perſpicuum eſt per quam facile internas uteri partes, quæ in gravidis præſertim teſtantibus viris cl. Deventero (*ſ*) James (*t*) & Raymano (*u*) molles ſunt, ſpongioſæque, vulnerari, contundi, aut alia ratione affici poſſe, qua inflammatio ſubſequatur.

Graviora animi pathemata, abdominis refrigerationes, aquæ frigidæ potio fluentibus lochiis &c.] Omnes cum Veteres, tum Recentiores Modernique Medici tanti faciunt Lochiorum ſuppreſſionem, ut ſi a quavis cauſa uteri inflammationem oriri arbitrentur, eam ab hac potiſſimum tamquam rivulum a fonte emanare facile conſtituant. Iis enim, quibus effectus in morbis adnotare animus eſt, hujuſce rei inditium ſatis validum obverſatur in uteri inflammationibus lochiorum ſuppreſſionem fere ſemper adeſſe, aut in pauca quantitate, & ſeroſa eadem effluere, ut præſertim præclariſſimis obſervationibus Mauriceau liquido conſtat (*x*), quibus fere ad credendum vehementer adducti ſunt, ſi id primis partus diebus contingat, uteri inflammationem præſto eſſe, cum nulla frequentius cauſa ſuppetat, ad quam eadem ſatis apte referri poſſe videatur, aut ſi ſuppetit, non ejuſmodi eſſe, ut ad uteri inflammationem ciendam ſufficiat. Id autem aſſequi nulla ratione poſſum, quomodo in hoc omnes uno ore conſentiant vehementem timorem, triſtitiam aut quid aliud de repente puerperas corripiens, frigus immmodicum, Abdominis refrigerationes, aquæ frididæ largas potiones fluentibus lochiis eadem ſupprimere, ſimulque copioſius ciere poſſe, ab his tamen omnibus uteri inflammationem, aut lethalem convulſionem proxime oriri inficientur, cum neutra earum lochiis, aut ſupprimendis, aut imminuendis par ſit, niſi prius vaſorum ſtructuram, directionemque, unde eadem proficiſcuntur, pervertat. Neque illud unquam ſentiendum traderem graviora animi pathemata, & frigus eo quod ſanguinem cogendi, denſandique vi, prædita ſint ineptum eumdem ad exiliſſimos illos meatus, ac ductus, a quibus effluere debent permeandos conſtituere, unde in uteri vaſis, aut ejus cavitate ſubſiſtat, ſed cum vires ſuas in ſolidas partes potiſſimum exerceant, quod uteri orificio, ac minimis vaſorum oſculis, quæ ab interna ipſius ſuperficie erumpunt conſtringendis, occludendiſque opportuniſſimæ exiſtunt, ut a cl. La Motte demonſtratum eſt (*z*). Quo ſane conſequitur, ut cum ſanguis in anguſtiſſima uteri vaſa plus æquo conſtricta libere circulari non poſſit, atque vias a natura comparatas æque occluſas ac coarctatas remetiri, preſſione ipſa ſua, ac redundantia, ſolidorum læſio, quam timor aliaque graviora pathemata prius excitarunt, augeatur, atque hinc uteri inflammatio, aut graviſſima, lethaliſque convulſio, ut fere cl. Paſta, qui (*a*) quæſtionem diligentiſſime pertractavit, ſi quis alius. Et vero

S 2 vix

(q) *La mot. obſ.* 318.
(r) *Refl. obſ.* 108. 311. 312.
(ſ) *Part.* 1. *cap.* 9. (t) *Diction. tom.* 6.
(u) *Eph. N. C. vol.* 8. *obſ.* 40. (x) *Obſ.* 186. 483. 350.
(z) *Obſ.* 440. (a) *Conſid.* 3. *p.* 443.

vix in aliam ire poterit ſententiam, qui ea in memoriam revocarit, quæ de inſigni vi timoris, aliarumque animi commotionum dicta ſunt (*b*). Convulſiones enim fibrarum Cerebri, atque Meningum, atque hinc prodeuntes lethales apoplexias auctoritate ducti Galeni, Aretæi, M. N. C., Bonetti, Fortunati Fidelis, Raygeri, Bartholini, Plinii, Valerii Maximi, aliorumque adnotavimus, ut Melancholias in pueris, epilepſias, atque alia graviſſima mala ſilentio præteream a ſola forti imaginatione, ab ira, amore oriunda, quæ ad evincendam inſignem animi poteſtatem in nervos, & ſpiritus alibi oſtendimus (*c*). Quæ omnia quamvis cæteris omnibus communia ſint, ut autem puerperis frequentius accidant facit potiſſimum mechanica uteri ſtructura nervis exquiſiti ſenſus prædita, quæ partus vi alterata a levi quacumque cauſa pervertitur, unde ſpaſmi inſignes, ac convulſiones, quibus liber ſanguinis curſus præpeditur, atque inflammatio ſuſcitatur, hinc jure merito ab Hoffmanno dictum (*d*): *terrore nihil perniciofus puerperis: quem etiam gravidis* eorumque fœtibus perniciofum eſſe, atque funeſtum certiſſimis obſervationibus deprehenſum eſt (*e*), inter quas illa eminet a Gherbezio memorata (*f*) de quadam Muliere, quæ cum quatuor jam poſt hebdomadas a partu optime ſe haberet, atque domeſticorum conſuetudine fruens quibuſdam cibis, ut rebatur innocuis, & puerperæ ſtatui accommodatis veſceretur, cum forte in cæpæ torrefactæ fruſtulum incideret iiſdem immixtum, inhorreſcens, altiorique voce exclamans ſe certo certius perituram, epilepticis convulſionibus correpta eſt, quas aphonia primum, mox triduo poſt mors tandem excepit. Quo loco fateor me juſtis laudibus æquare non valere ſalubre Juncheri monitum, puerperas tamquam vulneratas merito conſiderandas, quibus ex leviſſimis cauſis febres inflammatoriæ accedunt. Jam de *Abdominis refrigerationibus, aquæ frigidæ potione fluentibus lochiis* ſi loqui velimus, animadvertendum eſt inſignem eſſe vim aquæ frigidæ capiti affuſam ad Carum profligandum ex eo potiſſimum quod membranæ Cerebri cum fuerint minus ad oſcillandum paratæ affuſa aqua frigida tendi, atque obrigeſcere contingit, ſpiritus vero ad fluendum ineptos in motum adigi, atque Animal a profundo ſomno excitari (*g*). Aquæ etiam per quam frigidæ potiones valere plurimum adverſus Choleram, Dyſenteriam, Vomitus, ubi cetera minus commode reſponderint, morbi videlicet decurſu, & reſolutis viribus cl. virorum obſervationibus ducti alibi demonſtravimus (*h*), qua ſolidis partibus tonum, ac robur conciliando, qua acres, erodenteſque humores contemperando, qua demum ductus, ac meatus, ex quibus immodice fluunt conſtringendo. Non minus elucet ejuſdem operandi ratio contra Synochos febres tam ſimplices, quam putres, & ardentes ipſas ex Hippocratis, Martiani, Galeni, Aretæi, Celſi, Alpini aliorumque teſtimonio (*i*). Non multum tamen frigidam ægris propinandam, nec ventri, & hypochondriis eam admovendam eſſe ſalubre mo-

(b) *Lib.* 1. *cap.* 1. *com.* 6. *pag.* 16.
(c) *Lib.* 4. *de febr. pag.* 22. 37. 58. 100. 122.
(d) *De hæmorrh. p. m.* 69.
(e) *Eph. N. C. dec.* 1. *an.* 2. *obſ.* 83. *an.* 4. & 5. *obſ.* 21. *cent.* x. *obſ.* 33.
(f) *Intric. extricat. med. part.* 2. *cap.* 20.
(g) *Aph. lib.* 1. *cap.* 3. *p.* 58. (h) *Ibi. cap.* 2. *p.* 25.
(i) *Lib.* 4. *cap.* 2. *pag.* 71.

monitum Medentibus reliquimus , (*k*) cum vaſa totius ambitus corporis facile convellantur, atque libera ſanguinis circulatione præpedita inflammationes, aliique graviſſimi morbi, & mors ipſa ſuſcitetur, ut Aetius, Rhodius, Borellus, Boyleus, Donatus, aliique Scriptores magni, & docti, quos alibi memoravimus teſtati ſunt, & obſervationibus præſertim, quæ extant in M. N. C. confirmatur, quaſque legi ex fonte malumus, quam hic referri (*l*). Quæ cum ita ſint minus mirari ſubit ab Abdominis refrigerationibus, aut aquæ frigidæ largis potionibus nervos, vaſaque uteri, præſertim in puerperis, in quibus propter placentæ avulſionem vulneratus fere eſt teſtante cl. Mauriceau plus æquo convelli, conſtringi, aut alia ratione affici, qua liber ſanguinis curſus præpediatur, unde inflammatio ſubſequitur. Cui quidem opinioni robur addit Hippocrates (*m*) qui frigoris noxas contra vulnera ita dicendo explicavit, ut quempiam facile ad credendum vehementer adduxerit eadem omni diligentia, omnique contentione ab externi aeris injuriis munienda.

Violenta uteri contrectatio ab imperita obſtetrice.] Haud infrequens inflammationis cauſa ab obſtetricibus repetenda eſt, adverſus quas altiori voce exclamavit cl. Harvæus, eaſque juſtiſſimis contumeliis increpavit (*n*) quæ cum parturientes *præ dolore ejulare, opemque efflagitare audiunt, ne imperitæ, parumque ſatagentes videantur, manus oleis obliniendo, locaque muliebria diſtendendo mire tumultuantur: porrectiſque potionibus medicatis facultatem expultricem irritant, atque moræ debitæ impatientes, dum accelerare, ac facilitare partum cupiunt eumdem retardant potius, & pervertunt efficiuntque non naturalem, ac difficilem relictis retro ſecundinis, aut parte aliqua placentæ utero etiamnum adhærente: miſeraſque Mulieres aeris injuriis exponunt, & ad ſedile fruſtra cogentes fatigant, inque præſens vitæ diſcrimen deducunt.* Quod certo certius evenire cenſendum eſt, ſi eo uſque peſſimo conſilio perducantur, ut unguibus, alioque inſtrumento bullam rumpant, & aquas emittant. *Tunc enim fetus* ut ex Boerhaavio liquet apud Haller (*o*), *ſolo ſuo nixu proprii corporis os uteri dilatare debet .... & per ſicca loca cogitur tranſire, & fetus figuratus debet tranſire ſpecie ſolidi, qui prius ſub fluidi ſpecie tranſibat, neque membra fetus æquabiliter aut premunt, aut premuntur.* Quo ſane conſequitur, ut mollis, ac delicata uteri ſubſtantia contundatur, diſcerpatur, aut alia ratione afficiatur, quæ vel una ſatis valere poteſt ad inflammationem ciendam, etiamſi fetu, & placenta ſimul educta, puerpera ſummis doloribus, ac convulſionibus, quibus dire extorquetur plane ceſſantibus ita melius habere videatur, ut certa valetudinis ſpe recreetur, foveatur, confirmetur, cum febre, frigore, lochiorum ſuppreſſione doloribus, uteri duritie, ac tenſione brevi poſt comparentibus non culpa ejuſdem, aut pravo humorum apparatu, ſed ſola obſtetricis, aut Chirurgi cauſa in ſummum vitæ diſcrimen adducatur, ut cl. Mauriceau obſervationibus comper-

tum

(k) *Ib. cap.* 3. *pag.* 93. 94.

(l) *Vid. Dec.* 1. *an.* 1. *obſ.* 84. *Ibid. an.* 6. & 7. *obſ.* 211. *Dec.* 2. *an.* 5. *obſ.* 131. *Ibid. an.* 9. *obſ.* 200. *Ibid. an.* 10. *obſ.* 171. *Dec.* 3. *an.* 1. *obſ.* 126. *Ibid. an.* 3. *app. p.* 97. *Ibid. an.* 7. & 8. *obſ.* 73.

(m) *Aph.* 20. *ſect.* 5.

(n) *De partu p.* 532.

(o) *De concept. tex.* 655. & *Hal. not.* 22.

tum habuit (*p*). Id enim puerperis commune eſt, ut gravi in iis factâ læſione uteri, minime tamen graviſſima, ut fere teſtatur la Motte (*q*) de quadam obſtetrice, quæ veſicam, & uterum filiæ manu diſcerpſit, deque alio Chirurgo (*r*), quæ loco placentæ uteri ſubſtantiam arripuit, atque crudeli barbarie ductus avulſit, ſummo cruciatu exiguo temporis intervallo liberentur, atque in perfecto fere valetudinis ſtatu conſtituantur, qui tamen torpor potius eſt in efferatiores turbas abiturus, quam placida exoptanda tranquillitas, quæ tunc potiſſimum aggrediuntur, cum læſæ partes inflammari incipiunt, quandoque citius, quandoque ocyus pro vario læſionis gradu, loco, humorumque ad læſam partem affluentium qualitate, ut paſſim in contuſionibus, fracturis, ac vulneribus aliarum corporis partium deprehendimus.

Peſſaria minus caute adhibita, ictus vel caſus ſupra regionem uteri.] De peſſariis adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Cum enim nil aliud ſint, quam rotunda, & oblongâ corpora digiti ad inſtar ex lana, bombace, ſtupa adſtringentibus rebus conſpurcata, & ſubtiliſſimo panno lineo obducta, quæ in Mulieris pudenda ad varios uſus, præſertim vero ad fluxus immodicos cohibendos, laxataſque partes corroborandas in uteri prolapſu injiciuntur, ut de immodico Menſium fluxu, deque fluore albo dictum eſt, ſi minus eorum capacitati accommodata, aut plus æquo adſtringentia, & intempeſtive adhibeantur, & citra neceſſitatem, interni uteri orificii fibras, canaleſque ſanguiferos corrugari, premi, contundi, aut alia ratione affici contingit, qua liber ſanguinis curſus præpediatur, unde inflammatio. Cum hęc moleſtiam haud exiguam mulieribus inferant, lineis pannis ſuccis adſtringentibus imbutis, ubi opus ſit, utendum tradit Hollerius (*ſ*) ad preſſionem coarctationemque vaſorum ſanguiferorum præcavendam, qua inflammationem facile excitari adnotatum eſt. De ictu, vel caſu ſupra regionem uteri res luce clarior eſt, cum contuſiones non modo externarum partium contingant, qua æquabilis, & ordinatus ſanguinis motus pervertitur, & congeſtiones in internis facile ſubſequuntur, ſed uteri ipſius ſubſtantia labefactari queat, vaſorum orificia præcludi, turgeſcere, indurari, unde inflammatio.

IV. *Prodit ſe uteri inflammatio febre acuta, tenſione, & dolore comitata in ejus regione &c.*] Cum febris plerunque triduo poſt partum lactea excitetur, qua orta, ut ait Boerhaavius, *ſæpe lochia omnino retinentur, unde infinita, & peſſimæ indolis ſymptomata: prout in hoc illudque viſcus rapiuntur: hinc phrenitides, pleuritides, peripneumoniæ, anginæ, paraphrenitides, mammarum inflammationes, pejor hepatis, ventriculi, omenti, meſenterii, lienis, renum, inteſtinorum; tum diſenteria, colica, illiaca, apoplexia, paralyſis*, probe eſt diſcernenda a febre, quæ ab uteri inflammatione dependet, quæ alterutro ex dictis ſymptomatibus ſtipatur, pro varia ſitus læſione, vario inflammationis gradu, & partium reſiſtentia, quæ cum utero conſenſionem habent, quam omnino ſingularem, & maximam vel ipſe Hippocrates (*t*) & Harvæus præ cęteris adnotarunt. Utrique lochiorum ſuppreſſio communis eſt. Prior tamen, niſi forte mammarum ſuppuratio contingat, ad duos

(p) *Obſ.* 16. 18. 382. (q) *Obſ.* 197. (r) *Obſ.* 399.
(ſ) *De morb. inter. lib.* 1. *cap.* 58.
(t) *De mob. Mul.* 1.

duos treſve dies ut ſummum perdurat, altera plerunque lethalis. Id autem nulla meliori ratione aſſequi poſſe facile judicaverim, quam ad febrem acutam attendendo, quæ ut cęteris omnibus inflammationibus communis eſt, ita etiam phlegmon uteri comitari oportere perſpicuum eſt, atque egregie docuit ſupra laudatus Boerhaavius, qui uteri inflammationis deliria accedere, febrimque vehementem, ac proximam mortem ſequi teſtatus eſt. Quam quidem opinionem ipſe Valeſius confirmat (u) qui febres acutas in recens enixis, & iis quæ fetus corruperunt valde periculoſas eſſe oſtendit. *Non enim, inquit, fiunt iis, quæ rite purgantur, ſed quibus ſupprimuntur evacuationes. Id vero fit locis uteri . . . . inflammatis, & proinde obſtructis, atque materia alioqui maligna multum redundante, & inculcata, neque potente exire. Atque etſi poſſit aliter, citra inflammationes, inquam fieri: tamen acuta febris in enixa raro aliter fieT, & ita ſemper fieri putare oportet, quia huc curationis rationem dirigens nunquam errabis.* Apte cadit in hunc locum, quod refert D. Mauriceau de quadam nobili Muliere nono naturalis, ac feliciſſimi partus die ob febrem malignam interempta, qua fere quadraginta ante illos annos pleraſque emortuas fuiſſe meminit, quamvis feliciſſime pepererint, quarumque cadaveribus cultro Anatomico diſſectis, tradita huc uſque morbi cauſa non alia perquirentibus apparuit. Quibus ita ſe habentibus, illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, ut animadvertit cl. Paſta, non ſolum Mulierem, quam memorat in citato commentario, ſed etiam Oecetæ uxorem, quæ circa quintum graviditatis Menſem immaturum fetum edidit, atque illam, quæ in Mendacium foro ægrotavit uteri inflammatione de medio ſublatam, quamvis Hippocrates accuratiſſimus nec lochiorum mentionem fecerit, nec imi ventris tenſionis, doloriſque, aut ſaltem ejuſmodi mentio propter codicum defectum, ad hæc uſque tempora traducta non fuerit. Doloris tamen, tenſionis, tumoriſque meminit præſtantiſſimus Aretæus (x) qui poſtquam febrem acutam maxime propriam uteri inflammationis affectionem conſtituit: *Si totus, inquit, eſt inflammatus totus vehementius pulſatorio motu dolet: ſi poſteriores ipſius partes ſolum inflammatæ fuerint, dolor circa lumbos fit, & ſtercora ſupprimuntur & recti inteſtini compreſſione; ſi partes ejus anteriores, dolor circa pectinem fit, & urinæ ſtillicidium, ac emittendæ difficultas ex veſicæ compreſſione; & lateribus inflammatis, & inguina tenduntur, & crura gravantur: ſi vero fundum ipſius fuerit inflammatum circa umbelicum maxime dolor conſiſtit cum tumore; at ſi circa oſculum eſt inflammatio, circa ſupernum ventrem dolent, & digito immiſſo durum, ac renitens oſculum occurrit. Reſpirationis difficultate, ſingultu, vomitu &c.*] Si Hippocratem audimus (a) ea eſt uteri mobilitas ut facile ad caput, ad pectus, ad præcordia, ad ventrem, ad ſtomachum, ad hepar, ad crura, ad pedes, aut aliquam ex his partibus facile convertatur. Cum eadem olim eſſet & Aretæi, & Platonis, & Fernelii, & Rudii ſententia, nihil fere ſtudii, laboriſque impendendum iis eſſe in quorumdam ſymptomatum explicatione, quæ uteri inflammationem plerunque ſequuntur, perſpicuum eſt. Verum cum ſupra

Galeni

(u) *Com. ægr.* 10. *lib.* 3. *ſect.* 2. *Epid. Hippocr.*
(x) *Cap.* 64.
(a) *De morb. Mul. n.* 6. 17. 42. 43. 49. 50. 58. 67.

Galeni ductis auctoritate, firmiſque rationum momentis demonſtratum ſit (*b*) uterum e loco ſuo dimoveri non poſſe, nil probabilius afferri poſſe videtur, quam ſi dicamus non tantum intercepto in uteri vaſis progreſſu, ipſius in aliarum partium vaſis motum turbari, atque perverti, ſed ob mirabilem uteri cum nobiliſſimis corporis partibus capite, pectore, præcordiis, ventriculo, omnique nervorum ſyſtemate conſenſionem, eodem inflammato, aut aliter male affecto, varia in reliquis corporis partibus ſymptomata excitari, ut cl. Hoffmannus arbitratus eſt, & ea memoria recolenti, quæ citato loco dicta a nobis ſunt apparere facile poteſt (*c*).

V. *Quæ omnia ſi vehementer increſcant horroribus confuſis ſupervenientibus, poſtea vero miteſcant &c.*] Quæ alibi a nobis dicta ſunt, (*d*) non poſſe ſanguinem in aliqua parte diu ſubſiſtere, quin componentes ejus particulæ ſenſim a ſe mutuo ſolvantur, atque ſecedant, ſubtiliores avolent, craſſiores vero remaneant, ac ſenſim ſenſimque corrumpantur, unde fibris, ac vaſorum tunicis exeſis, attritis, corruptis ſuppuratio, atque abſceſſus progignitur hic in memoriam denuo revocanda. Hæc enim fieri vix ulla ratione poſſe, quin acres, volatiles, ac ſulphureæ ſanguinis particulæ libertatem nactæ, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſæ agitationem, ejuſque furorem augeant demonſtratum eſt, atque omnia ſymptomata exacerbari, febrem vero cum rigore, & horripilatione ægrotantes invadere febri tertianæ æmulam, qua minus cauti decipiuntur. Quæ ubi diligenter teneas, facile intelliges cur in ſuppurationem abeunte uteri inflammatione, ejus ſymptomata vehementer increſcant, horroreſque confuſi ſuperveniant, quos facto pure lenta febris excipit, ceſſante nimirum inſigni tenujorum, mobiliorumque partium exſolutione, dum tumore ad eam magnitudinem adaucto, qua rectum inteſtinum, & veſica prematur alvum, & urinam ſupprimi deprehendimus.

VI. *Hinc in ulcus ex remanente dolore quodam, & mordicatione, in utero, vel ipſius cervice &c.*] Frequentiorem eſſe inflammationem in uteri collo, & orificio interno, quod ex multis fibris nerveis ſpiraliter eſt contextum, quam in ipſo fundo oſtendit Hoffmannus (*e*). Hinc quod Riverius, aliique tradiderunt, cum ulcus uteri fundum occupet dolorem percipi verſus regionem pubis, ſeu lumbos, inguina, & imum ventrem corripere, ut Hippocrates teſtatus eſt (*f*) veriſſimum, frequentius vero in ipſius cervice adeſſe facit frequentior ejuſdem præ aliis partibus læſio, quam oculus ipſe confirmat, cum immiſſo ſpeculo Matricis eam clare deprehendit; aut manus cum ab obſtetrice intus ducta exulceratam partem extimulat, aut concubitus, qui ægotanti Mulieri moleſtiam nunquam non ſemper inferre non poteſt. Si ulcus ſimplex fuerit, & benignum, purulentam materiam paucam, albam, & minime fœtidam effluere tradidit Foreſtus (*g*): ſi vero malignum, & depaſcens, viridem, lividam, variique coloris, ac valde fetidam eſſe oportere perſpicuum eſt, ut Hippocrates ipſe docuit, inquiens; *Si uteri fuerint exulcerati, ſanguis & pus purgatur, & fœtor gravis oboritur &c.*]

VII. *Si loco ſuppurationis præpoſtera methodo adhibita ſanguis tenuioribus, mo-* bi-

(b) *Cap.* 5. *com.* 2. (c) *Com.* 3.
(d) *Lib.* 2. *cap.* 1. *com.* 8. & *cap.* 4. *com.* 10.
(e) *De inflam. & febr. uterin. cap.* x. (f) *Lib.* 1. *de morb. Mul.*
(g) *Lib. obſ.* 44.

bilioribuſque partibus reſolutis &c.] Cum uterus magna ſuperfluorum circumundique affluentium humorum copia imbuatur, ſcirrhoſa plerunque evadit, cum obſtructio in iis fere viis accidat, per quas dictæ humorum ſuperfluitates tranſcolari deberent, quod plerunque poſt inflammationem contingit, quæ neque reſolvitur, neque in ſuppurationem abit, unde tenuioribus, mobilioribuſque partibus reſolutis craſſiori, atque inerti remanente indureſcit, ac tumor præternaturalis, durus, doloriſque expers oboritur. Qui quamvis apte ſatis repeti poſſe videatur a Menſium, aut hæmorrhoidum ſuppreſſione, qua fit, ut ſanguis ob languidiorem motum ſpiſſior factus variaque ad loca glandulis obſita depoſitus ſcirrhum procreet, aut a diuturna triſtitia, ac mœrore, quibus ſanguis ad libere fluendum impar, ſolidæ vero partes plus æquo laxæ, debileſque conſtituuntur, aut a pravo victus, & potus genere, ut fere ſunt carnes fumo induratæ, & multum ſalitæ, piſces marini, acetaria, aliaque id genus, quæ acidum, & crudum chylum ingenerando, ſanguineam maſſam lentis mucoſiſque quiſquiliis impediunt, aut a vita ſedentaria, qua ſucci in corpore viſcidi, craſſi, lentique cumulantur, aut ab hæreditaria diſpoſitione, qua nonnullarum partium ſtructura, aut tonus ita labefactatur, ut ad ſcirrhoſam labem facilius ſuſcipiendam proclives reddantur, aut aliis ejuſmodi cauſis, quas fuſe percenſuit numerando, explicavitque dicendo Hoffmannus (*h*) ad remedia tamen plus æquo frigida, & adſtringentia corpori extus applicita, vel in uterum per injectiones immiſſa, vel quæ reſolvendi nimia vi præſtant ore ſumpta egregie retulit cl. Mauriceau. *Scirrhus febre, dolore, aliiſque ſymptomatibus ceſſantibus ſubſequitur ſuperſtite duritie, & renitentia &c.* De ſcirrho, qui inflammationi ſuccedit ſermonem eſſe neminem latet, quam febris, dolor, aliaque graviſſima ſymptomata comitantur. Cum igitur inflammatio neque reſolvitur, neque in abſceſſum degenerat de tranſitu in ſcirrhum ſuſpicandum eſt, quem cum arguit febris carentia, doloriſque ſenſus aut nullus omnino, ſi verus ſit, aut valde exiguus ſi non exquiſitus, neque cancri indolem ſapiat, confirmat porro ſuperſtes durities, & renitentia in uteri regione illius circumſcriptionem referens manu ægrotantis Mulieris pubi applicita, ejuſque contrectatione ſenſibilis, ſi in ipſo uteri corpore ſitus ſit, ſi vero in cervice digiti contactu, ut gravitatem in eadem parte, ut ponderis ſenſum ſilentio prætercam, præcipue quando ægra ſtat, ut animadvertit Riverius, quaſi uterus prolapſurus ſit in pudenda; frequentem mejendi ſtimulum, doloriſque exacerbationem, cum ad dejiciendum ſedet ob compreſſionem videlicet, quam veſica, & rectum inteſtinum ab utero recipiunt, menſtruorum demum, aliarumque expurgationum ſuppreſſionem, aut irregulare ſtillicidium, quod ab uteri, ejuſque vaginæ obſtructione commentus eſt cl. Mauriceau.

VIII. *Si inflammatio fiat in margine ſcirrhi, & vaſis per ipſum decurrentibus, quæ adhuc aliquam admittunt circulationem &c.*] Si Veteres audimus, cancrum uteri ab humore atrabilario fieri putant in ea parte collecto, vel a ſcirrho male curato, qui facile in cancrum degenerat in ea præcipue parte ob copioſum ſanguinis affluxum, qui in venis ſcirrho vicinis retentus, nec ſufficienter per menſtruas purgationes evacuatus aduritur, & malignam corruptionem acquirit. Duplex propterea vulgo habitus: ulceratus, & non

T ul-

(h) *M. S. T. 4. P. 5. cap. 6.*

ulceratus: Hunc a materia morbifica, quæ minoris acrimoniæ & malignitatis particeps eſt, repetunt: illum ab eadem per putredinem vel aduſtionem acriori facta, tumoremque exulcerante: Hinc quod a Recentioribus parum adnotatum exacte ab Aretæo jam pridem proditum, quo loco (*i*) *Cancri*, inquit, *in utero partim cum, partim ſine ulceratione ſunt, tumor reperitur circa oſculum durus, inæqualis, præeminens, colore fæculentus, rubicundus, quandoque etiam ſublividus, & dolent vehementer inguina ad ſupernum ventrem, & pectinem, ac lumbos, ægreque ferunt contactum, & variegatiorem medicationem. Si vero ulceratus eſt cancer ad dolores, durities, & tumorem eroſa etiam, & inæqualia ulcera conſpiciuntur, plerunque quidem ſordida oris tumida, albicantia, turpes cruſtas inductas habentia. Quæ vero pura videntur, feculenta, livida, rubicunda, & cruenta apparent, excernitur autem aſſidue ab ipſo ſanies tenuis, aquoſa, nigra, aut fulva, graveolens, aliquando etiam ſanguis fertur, & alia ſigna ad inflammatum uterum relata*. Quas quidem notas, & affectiones omnes ſe aliquoties obſervaſſe teſtatus eſt cl. Hoffmannus, (*k*) eaſque omnino ſimiles exhibuit, ſuperaddita quoque ſectione poſt mortem inſtituta, qua uterum inflammatum, & ſphacelatum cum infami odore deprehendi, & perrupto utriuſque pariete in veſicam, & inteſtinum rectum aditum patere affirmat, unde urinæ una cum fœda uteri ſanie, vel cum alvi excrementis commixtio ſequitur. Inter cauſas teterrimi hujuſce morbi recenſeri ſolet fluoris albi ſtillicidium, vel Menſium fluxus ſuppreſſus in feminis melancholicis, hypochondriacis, cacheticis, & ætate provectioribus, aut adſtringentium uſu in juvenibus improvide cohibitus, quemadmodum ſe pluribus exemplis didiciſſe teſtatus eſt idem Hoffmannus propter inſignem ſanguinis copiam, ut oſtendit cl. Mauriceau, qua tota uteri ſubſtantia extraordinarium in modum imbuitur, atque ea fere ratione, qua naturæ ordo pervertatur, & a ſubito vehementique niſu, quem ad eumdem expellendum exercet, inſigne aliquod uteri vas diſrumpatur, atque immodicum ſanguinis profluvium excitetur, quod frequentius, quam par eſt recrudeſcens novis continuo, atque aſſidue affluentibus humoribus impedimento eſt, quo minus diſruptum vas coaleſcat, atque propterea ulcera ſubſequantur, quæ ſucceſſu temporis maligna facta in cancrum incurabilem tandem deſinunt. Frequentiſſime tamen ſcirrho cancrum ſuccedere obſervationibus cum multis, ac frequentibus, tum certis ac conſtantibus compertum eſt, quod tunc potiſſimum contingit, cum humorum, quibus uteri ſubſtantia imbuta eſt componentes partes ſenſim a ſe mutuo ſolvuntur, atque ſecedunt, acres, volatiles, ac ſulphureæ exaltantur, atque eam acrimoniam nanciſcuntur, qua uterus exulceratur, quod erat nobis demonſtrandum.

IX. *Ex his liquet uteri inflammationem magni ſemper faciendam. Quamvis enim in ſphacelum non abeat &c.*] Si in inflammatam partem denegetur liquidi arterioſi, & nervoſi influxus, quæ duo ſunt principia, quibus conſervatur calor, ut ajunt nativus, atque humidum radicale, eamdem corrumpi, atque ea ratione affici, qua loco bonæ, ac laudabilis ſuppurationis gangræna, ac ſphacelus ſubſequatur, alibi oſtendimus (*l*). Quod ubi contigerit inflammatam partem ſenſu omni motuque privari, perire, hinc dolore ceſſante ſine manifeſta cauſa, reſpiratione parva, ac debili ſubſequente, pul-

(i) *Lib.* 2. *cap.* 67. (k) *Loc. cit. ſect.* xx. (l) *Aph. lib.* 2. *cap.* 4.

pulſu parvo, humili, valde celeri, formicante, aliiſque ſphaceli ſignis apparentibus brevi ægrum periturum certo certius habendum. Quod licet quandoque affirmari nullatenus poſſe videatur de uteri gangræna, & ſphacelo, quem vel ſponte cecidiſſe, vel ſectione ablatum fuiſſe cum incolumitate Mulierum quamplurimis Authorum obſervationibus compertum eſt, ut ex cl. Schenkio apparet, qui eaſdem magno numero collegit, atque Medentibus contemplandas exhibuit (*m*); graviſſimum tamen, periculoſiſſimum, immo ut plurimum lethale malum eſſe aſſerere non dubitavit Riverius, (*n*) confirmavitque Hoffmannus (*o*), qui brevi necare, & ſolemnem maxime eſſe puerperis, in quibus poſt ſectionem uterus ut plurimum cum vagina durus, coloris ex atro bruni deprehenditur, teſtatus eſt.

Si in abſceſſum degeneret & ulcus difficulter plerunque ſanatur &c.] Cum uterus pars ſit exquiſito ſenſu prædita, quæ cum præcipuis corporis partibus communicat, & ex quibus inſignem humorum illuviem recipit, quoties ulcere afficitur, difficulter ſanari jam idem Hippocrates egregie docuit (*p*). Curationis difficultas in eo etiam verſatur, ut affectæ parti congrua remedia admoveri immediate non poſſint, niſi forte ulcus cervicem tantum occupet, quod cum ipſo viſu deprehendatur topiciſque juſto applicitis pertractari queat, facilius etiam curatur. Quid ſi interna aliqua cauſa potiſſimam partem agat? Cum nimirum inſigni vitioſorum humorum copia, pravaque ſanguinis conditione foveatur, confirmetur (id quod in cacheticis Mulieribus, & Menſium defectu laborantibus præſertim contingit) quam tollere difficillimum eſt, aut longioris temporis curæ, difficilis quoque eſſe ſanationis cenſendum eſt: id quod vel de externis ulceribus Hippocrates olim affirmavit (*q*) inquiens: *aqua inter cutem laborantibus exorta in corpore ulcera non facile ſanantur*: confirmavitque Galenus ſcribens (*r*): *Ubi adeſt calida intemperies, aut lienis vitium, maligna ſunt ulcera, & difficiles curationes, quia corruptis viſceribus ingens continuo impuritas ſuccis infunditur.*

Si in ſcirrhum toto plerunque vitæ curſu miſellas exercet.] Cum uterus ita ſit a natura comparatus, ut inſignem humorum illuviem recipiat, eoſque extra corporis confinia ejiciat, ſi forte ſcirrho corripiatur plurimum diſcriminis, atque moleſtiæ ægrotantibus afferre, atque alios lethales morbos progignere certo certius habendum. Cum enim ſuperfluorum, vitioſorumque humorum ſarcina auferri non poſſit, atque hac via illa præjudicia deleri, quæ intus retenti minantur; eoſdem undique effluere facile contingit, nobiliora viſcera invadere, atque hydropem præſertim ciere. Quid quod in uteri ſubſtantia diutius retenti humores, ac fermenteſcentes acrimoniam adeo malignam nanciſcuntur, ut ſcirrhum in incurabilem cancrum convertant? Quapropter optime a cl. Mauriceau dictum, iiſdem quanta fieri celeritate poteſt, occurrendum. Curationis difficultatem minuit quandoque affecti uteri ſitus, qui ſi vaginæ tantum finibus coerceatur, curationem multo facilius abſolvi Aetius ipſe teſtatus eſt. Earum exempla, quæ ſcirrho in uteri fundo laborantes convaluerint rariora ſunt. Clarum ſatis a laudato Mauriceau memoratur de quadam Muliere, quæ cum ſcirrho totum uteri fundum occupante adeo inſigni, ut graviditatem æmularetur, octo fere Menſium ſpatio ægrotaret, non ſolum incolumis perfectiſſime evaſit, ſed

T 2 et-

(m) *Lib.* 4. *obſer.* (n) *Lib. xv. prax.* (o) *Loc. cit.*
(p) *Lib. de Mul. morb.* (q) 6. *aph.* 8. (r) *Lib.* 5. *de atra bile.*

etiam gravida. Nonnullas etiam refert tres quatuorque poſt partum, aut abortum Menſes ſcirrhis phlegmonodibus ſolum uteri latus, parteſque inguini vicinas occupantibus affectas, quæ ſenſim, ſenſimque in priſtinum valetudinis ſtatum reſtitutæ ſunt. Inſigni tamen temporis diuturnitate opus eſſe, ut iſtiuſmodi tumores reſolvantur, & plerunque toto vitæ curſu miſellas extorquere, ut ſcriptores fere omnes magni, & docti obſervationibus didicerunt, haud dubie idem aſſeruit.

Si in cancrum &c. brevi ad interitum ducit.] Ad interitum ducere uteri cancrum ſive ulceratus fuerit, ſive non ulceratus facit potiſſimum toties inculcata continua ſuperfluitatum illuvies, quæ ad eam partem decurrit, cujus & Riverius, & Mauriceau aliique meminerunt, qua fit, ut in dies ſingulos maligna ulceris indoles augeatur, etiam nervis induſtriæ omnibus adhibitis, ut nonnihil miteſcat, quo ſane conſequitur, ut ægræ Mulieres non ſolum languidam, ac cruciatibus onuſtam vitam vivant, ſed brevi de medio tollantur, quod interdum quinque, aut ſex poſt Menſes, interdum duos treſque poſt annos contingere compertum eſt. Quod ut de quocumque cancro etiam externas partes occupante verum eſſe conſtat, ſic potiori jure de eo, qui internas corripit, ſentiendum eſt, quem nec ſecare licet, nec urere, nec aliud quidpiam tentare. Quid ſi ſanies quæ excernitur pravum fetidumque ſpiret odorem? Tum enimvero veram eſſe putredinem pro certo habendum ;. quam ſi medicamentis compeſcere ſtudeamus eo deteriorem facimus, ac mortem in procinctu ſtantem ſollicitamus.

X. *Simul igitur ac inflammationis inditia apparent, ſanguis primum ex brachio etiam repetitis vicibus in plethoricis, mox &c.*] Inter præſidia chirurgica ad inflammationes vel præcavendas, vel profligandas idoneas venæ ſectionem eminere ita omnium cum Veterum, tum Recentiorum decreto ſancitum eſt, ut qui in dubium eam revocarit garrire, & ſomnia narrare videatur. Quo vero ex loco ſit celebranda in Mulieribus quæ inflammatione uteri afficiuntur inſignis eſt inter Medicos maxime illuſtres diſſenſio. Si Veteres Medicinæ parentes audimus Oribaſium, Aetium, Paulum, & Galenum ipſum, atque Avicennam, quos Riverius (*ſ*) Rodericus a Caſtro (*t*) Jo. Fortis (*u*) Mauriceau (*x*) aliique ſequuti ſunt, illi quidem venæ ſectionem ad revellendum in cubito inſtituendam exiſtimant, mox ad derivandum in pede. Alii e contra cum Mercuriali, quem Hoffmannus ipſe ſectatur, in iis præſertim, quibus conſuetæ ſanguinis evacuationes ſuppreſſæ ſunt ſolum in pede, ad credendum vehementer adducti ſanguinis miſſione in cubito celebranda peſſime ægrotantium incolumitati conſuli, cum ſuppreſſio, quam totius morbi cauſam prætendunt augeatur, aut confirmetur. Alii derivationis, ac revulſionis minus ſolliciti plenitudini ſolum ſanguinis minuendæ ſtudent, nihil intereſſe judicantes, quo ex loco ſanguis mittatur. Hi fere ſunt viri cl. Dionis (*a*) & Senac (*b*). Alii demum brachii venas incidendas putant, nunquam fere malleoli. Eminet inter hos maxime de la Motte (*c*), quem D. Meſnard adeo ſequutus eſt, ut in inflammatione, quæ lactis occaſione mammas corripit, ſi venæ ſectio inſtituenda videatur, poſtquam brachii venam ſemel ſecuerit, malleoli venas inci-

(ſ) *Prax. med. lib.* 15. *cap.* 7. (t) *Part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 21.
(u) *De morb. Mul.* (x) *Loc. cit. cap. x.* (a) *Des accouch. liv.* 4. *caph.* 9.
(b) *V. Europæ Med. Com. F. Roncalli p.* 58. (c) *Reflex. obſ.* 414.

cidendas nullatenus conſulat, niſi conſuetum lochiorum tempus elapſum prius fuerit, cum cæteroquin in uteri inflammatione, atque lochiorum ſuppreſſione phlebotomiam brachii commendet, eamque tandiu repetendam, quandiu opus eſſe videatur in ea quantitate, quæ & morbi, & ægrotantium viribus apte reſpondeat. In hac tanta, tamque multiplici opinionum varietate difficile eſt certi quidpiam ſine alterius offenſione conſtituere. Quoniam tamen veritatis amor, quantum mihi conjicere fas eſt, tanto rationibus præſtantior videtur, quanto eadem eſt difficilior, meæ potiſſimum debitionis eſſe ſentio Medentium animis pro virili parte proſpicere, remque omnem paucis expedire. Qui cum Veteribus ſanguinem ex ſuperioribus partibus detrahendum putant, ſive in uteri inflammatione, ſive in conſuetarum evacuationum, Menſium ſcilicet, & Lochiorum ſuppreſſione, eos ſane rationes multæ non fallunt ex circulatione ſanguinis potiſſimum deductæ, quam celeriorem fieri non immerito conjiciunt in arteriis cruralibus, illiacis, & Aortæ deſcendentis trunco, ſi ſtatim in pede celebretur venæ ſectio; quo ſane conſequitur, ut plurimum ſanguinis affluat ad partem affectam; quæ ſanguinis copia cum æquali reſiſtentiæ momento a vaſorum ſanguiferorum parietibus ſuſtineri non poſſit, propterea quod eorum fibræ contuſæ, diſruptæ, aut aliter male affectæ ſint, eoſdem plus æquo diſtendi, & relaxari contingit, fibras ineptas partes conſtitui, vaſorum orificia præcludi, atque obſtructionem inflammationemque augeri, aut confirmari; quæ detrimenta in ægrotantes mulieres emanare nulla ratione poſſe, ii facile conjiciunt, qui venæ ſectionem in brachio celebrandam eſſe contendunt. Illuc enim velociter ſanguis accurrit, unde inferiorum partium vaſis aliquantulum depletis, ſtagnans in utero ſanguis nonnihil e vaſis excuti, & abſorberi poteſt a venis, & conſuetas ſemitas metiri, ceſſante nimirum nimia uteri, [& vaſorum plenitudine, & diſtractione, qua ſanguis ſibi ipſi exitum per ea loca præcludit. Qui pro inferiorum partium venis dimicant objicere ii mihi videntur nonnullos gravidarum caſus, quæ venæ ſectione in pede inſtituta abortum patiuntur, aut mulierum, quibus menſes fluunt, aut imminent, quæ ſecta vena brachii in non levia incommoda, aut fluxus ejuſdem perturbationem labuntur: argumento prope certiſſimo ſanguinem ab inferioribus partibus ad ſuperiores revelli, ejuſque velocitatem ad affectam partem imminui, (quam ſumme neceſſariam eſſe ſibi in animum inducunt, ut ibidem ſtagnans ſanguis propellatur) & vaſis in quibus hæret admoveri. Sed vereor, ne his plurimum officiant multa inflammationum exempla, quæ ſectis venis ejus regionis, in qua erat inflammatio majorem in modum auctæ ſunt, nec niſi detracto ex oppoſita regione ſanguine, auferri potuerunt. Peſſimos hoſce derivationis effectus vidit cl. Hecquetus (*d*) atque ut vulgari eorum opinioni indulgeret, qui adverſus inflammationem, aut convulſivos uteri morbos venæ ſectionem in pede celebrandam pugnaciſſime ſuſtinent, liberalem eamdem, & largam commendat, ut hac ratione ea ſanguinis copia tollatur, quem ad uterum majori velocitate affluentem ob alterius ſanguinis impedimentum ſtagnare, & inflammationem augere non immerito ſuſpicatur. Sed bone Deus, ecquis laudabiles hoſce effectus perſequi ſe juſto poſſe confidat? Nonne juſtus ſubrepit timor, ut præclare oſtendit D. Sylva (*e*) venæ ſectionem in pede inſtitu-

tam

(d) *Nov. med. conſp. part. 2. cap. 19.* (e) *Gior. de' lett. oltr. tom. 77. p. 87.*

tam plus ſatis mali vi derivationis afferre, quam evacuationis? Erroneas vulgi opiniones rejicere cur intutum judicemus, quandoquidem Veteres Medicinæ proceres, ut notat cl. Paſta, ſupra laudati, & ipſe Galenus venæ ſectioni in brachio adhæſerunt? Sed ſentio jam mihi Galeni auctoritatem reponi, quem, cum ſcribit (*f*): *In locis muliebribus retrahes, ſi eas, quæ in cubito ſunt ſecueris venas*, de uteri inflammationibus loqui minime intellexiſſe, aut de illa ſolummodo, quæ cum menſium profluvio conjuncta eſt facile autumant. In hoc fere eluxit Briſotti ſolertia. Quem tamen egregie confutavit præfatus Paſta (*g*), de acutis, & inflammatoriis uteri morbis loquutum fuiſſe Galenum haud dubie aſſerens, atque ita cogitaſſe conjiciens, ne largius ageret, & D. Sylvæ concederet, quod publici juris fecerat, (*h*) in pleuritide nimirum venæ ſectionem in brachio lateris affecti inſtituendam eſſe, ſeu ad revellendum ſanguinem ab ea parte, quæ inflammatione laborat, cum docuiſſet ſe plurimis obſervationibus didiciſſe eos fere omnes pleuritide affectos, quibus revulſionis cauſa ſanguis educebatur interiiſſe, iis omnibus celeriter ſanatis, quibus e directo incidebatur vena brachii interna. Qui cum D. D. Dionis, & Senac arbitrantur cujuſvis venæ ſectionem nullum inter ſe diverſum effectum afferre, dici vix poteſt quanta in obſcuritate verſentur, ſi Pitcarnium audimus, qui eoſdem altiori voce damnavit, inquiens, (*i*) *ignoraſſe circulationem ſanguinis, qui ſcribunt revulſionem, & derivationem non conſiſtere cum circulatione ſanguinis*. Si D. Meſnard, qui D. la Motte ſequutus eſt, animadvertiſſet, quam arduum ſit certum lochiorum tempus in tanta temperamentorum, clymatum, tempeſtatum, ætatum, victus generis, aliarumque ſimilium rerum varietate definire, procul dubio in inflammatione, quæ lactis cauſa mammas corripit venæ ſectionem in pede ſolum inſtituendam minime docuiſſet, cum conſuetum lochiorum tempus elapſum fuerit, nec eamdem in uteri inflammatione tantopere pertimuiſſet, perinde ac ſi nullum habere unquam locum eadem poſſe videretur. Quapropter primorum opinionem facile ſectandam traderem, qui docent in uteri inflammatione, & Menſium, Lochiorumque ſuppreſſione ſanguinem ex brachio primum mittendum, qua ſuccedentem ſanguinem, qui per axillarem arteriam advehitur minus a præcedente impediri contingit, & amplius in vaſis ſpatium nactum velocius per vaſa ſuperioris regionis moveri, ideoque parum ſanguinis affluere ad inflammatam, obſtructam, aut aliter male affectam partem, ſaltem per aliquod tempus, & quouſque ſanguinis miſſio ratione plenitudinis habita celebratur, quo tempore illud etiam facile conſequitur, ut fibræ non adeo irruentis humoris impetu diſtractæ in priſtinum elaterii ſtatum reſtituantur, hærentem humorem propellant, atque diſcutiant. Quod eo facilius evenire cenſendum, ſi ſaphæna in pede poſtea ſecetur, per quam aucta, ut ſupra dictum eſt, per reſpondentes arterias velocitate, ſtagnans ſanguis propellitur, & a vaſis quibus hæret amovetur, atque hinc inflammatio, obſtructio tuto feliciterque profligatur.

XI.

(f) *Lib. 2. ad Glaucon.* (g) *Confid. 7. pag. 291.*

(h) *Traitè del' uſage des differentes ſortes de ſaignees principalament de celle du pied. a Paris* 1727.

(i) *Elem. Med. lib. 1. cap. 9.*

XI. *Si Menſes aut Lochia ſuppreſſa ſint, doloreſque, & ſpaſmi ægrotantem exerceant ol. amygd. dulc. ſ. i. r. e. &c.*] Uteri inflammationem frequenter occurrere in puerperis, & poſt abortum vel ab improvida obſtetricum in partu difficili tractatione, & contrectatione violenta, vel a violento niſu ſub partus laboribus, ſanguinem præſertim impurum ad uterum pellente, frequentiſſime vero ex lochiorum per dolores, & ſpaſmos hyſtericos fluxu impedito, vel diminuto Hoffmannus teſtatus eſt: (*k*) Hinc dandam eſſe operam, ut dolores potiſſimum, & ſpaſmi ſedentur, ſicque interceptus lochialis fluxus promoveatur perſpicuum eſt. Id quod nulla meliori ratione conſequi nos poſſe, quam exhibitione ol. amygd. dulc. ex cl. James præcepto (*l*) qui ejuſdem uſum in parca doſi, & per Epicraſim prefertim commendat, adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

Nec non clyſteres ex decoctione malvarum.] Parem eſſe clyſterum efficaciam nemo inficias ire auſit, qui animadverterit eorum operationem non ſolum in craſſa inteſtina exerceri fecum excretionem ſollicitando, ſed per conſenſum in tenuia, & partes iiſdem inteſtinis adjacentes, eaſdem relaxando, refrigerando, aut alia ratione afficiendo, qua opus eſſe prudenti Medico videtur. Inter partes cum inteſtinis conſentientes uterus præſertim eminet, hinc quoties contractione, ſpaſmo, inflammatione laborat, dici vix poteſt quam bene cedunt clyſteres emollientes, refrigerantes, qui fere ex decoctione malvarum &c. parantur. A ſtimulantibus certe quantumvis leniter (*m*) cum cl. la Motte abſtinendum traderem, ne dolentem, atque inflammatam partem irritemus, atque morbum, quem ſedari volumus, exaſperemus.

Et niſi uteri cervix dura, ſummeque dolens prohibeat in uterum injectio ex ſolo lacte, in quo flor. ſambuc. &c.] Ad clyſteres revocantur injectiones reliquæ in cavitates naturales faciendæ, ut penis, veſica, uterus. Utrum vero utero inflammatione detento adhiberi queant quæſtio eſt. Si Hippocratem (*n*) Arveum (*o*) audimus, hi quidem tantum abeſt, ut ab ejuſmodi præſidii genere abſtinendum cenſent, ut ad varios uſus opportuniſſimum tradant. En Hippocratem: *Si ex partu uteri inflammationem conceperint ſolani ſuccum, aut betæ, aut rhamni per infuſum immittito.* Quo ſatis conſtat ad ſedandam inflammationem aptas injectiones judicaſſe. Et alibi: *Quin etiam per infuſum uteros eluito, quo ſanguinem educat.* Quo apparet ad diluendos internos uteri parietes, & ſuppreſſa lochia promovenda adhibuiſſe. Iiſdem ſummo cum fructu uſum fuiſſe in nobili quadam puerpera, quam febris, & omnimoda lochiorum ſuppreſſio exercebat Arvæus ipſe teſtatus eſt. Hos fere Riverius (*p*) Mauriceau (*q*) Dionis (*r*) Meſnard (*ſ*) aliique adeo ſequuti ſunt, ut nullum iiſdem efficacius medicamentum innoteſcere Medentibus poſſe, aut pro ægrotantium opportunitate valentius videatur. Contrariam tamen ſententiam ſuſtinet cl. la Motte, atque injectiones in uterum faciendas aut prorſus inutiles cenſet, aut in uſum vocari nulla ratione poſſe contendit, cum internum uteri os vi elaſticitatis fibrarum, quibus uteri ipſius cervix intertexta eſt ſtatim a partu arcte occludatur, aut ſi in uſum vocen-

(k) *M. S. T.* 4. *p.* 1. *ſect.* 2. *cap.* x. (l) *Tom.* 6. *c.* 857.
(m) *liv.* 5. *chap.* 7. *pag.* 630. (n) *De morb. mul. p.* 629.
(o) *De part. p.* 619. (p) *loc. cit. cap.* 8.
(q) *loc. cit. cap.* 11. *pag.* 311. (r) *liv.* 4. *chap.* 9.
(ſ) *Artic.* 10. *p.* 350.

centur ratione ſtimuli, quem in ſenſilem nimis, dolentemque partem infe-runt, etiam nocuas. Ut quæſtio dirimatur duo occurrunt, de quibus mo-neri Medentes opus eſſe judicaverim. Primum enim illud animadvertendum videtur inflammationem, aut cervicem uteri occupare, aut ipſius fundum: deinceps injectiones variis modis præparari: ex decoctione fol. plantagin. roſar. rubr. cum ol. myrtino, & aceto, vel ex aqua decoctionis hord. aut malvar. parietar. chammomil. melilot. radic. aſparag. ſemin. lin. cum oleo violato, & ſimilibus, aut ex lacte dulci; in quo flores ſambuci verbaſc. ſemperviv. ſemina lini aliaque id genus ebullierint, quas varias præpara-tiones ſupra citati Riverius, Mauriceau, Dionis, Meſnard aliique tradide-runt. His breviter delibatis rem omnem facile expediam. Si de inflamma-tione ſermo ſit, quæ uteri cervicem occupet, atque ejuſdem orificium ar-cte adeo occludat, ut non ſine inſigni doloris ſenſu queat dilatari a la Motte fuerim, qui injectionum uſum damnavit, & e medio tollere quan-tum ei licuit conatus eſt. Si vero de ea quæ uteri fundum infeſtat, quo-niam ipſius cervix laxa ſatis mollisque eſſe poteſt, ut idoneum ſiphonem recipiat, cur congruæ injectiones ſint rejiciendæ, omnino non video. Pro-hibeat ne internum uteri os occluſum adeo, coarctatumque, ut nil liquoris in ejus cavum immitti queat, totum in vagina ſuperſit ut cl. la Motte teſtatus eſt? Præterquamquod arduum, atque inſolens explicatu eſt, qua ratione cervicis uteri fibræ poſt partum ita contrahi poſſint, ut non ſine vehementi irritatione, atque doloris ſenſu liquor injici queat, quandoqui-dem digita ſæpe, ac manus ad placentæ extractionem ſe commode immi-ſiſſe affirmavit (*t*), accedit præterea, etiamſi vaginæ fines non elabatur in-jectio, qua relaxando, qua emolliendo, aut alia ratione vicinas partes affi-ciendo, ut de clyſteribus dictum eſt, nunquam prodeſſe non poſſe. Prohibeat ne oleorum aut rerum adſtringentium vis inflammatis, decoriatis, aut ali-ter male affectis partibus infeſta, ut ſe deprehendiſſe præclarus Auctor aſ-ſeruit? Sed ecquis nos in eas anguſtias compellat, ut unius duntaxat gene-ris injectiones uſurpemus, & eas fere, in quarum compoſitione olea, & adſtringentia recipiuntur? Nonne ſolum lac, in quo flores ſambuc. ſemper-viv. aliaque id genus refrigerantia ebullierint vires ſatis inſignes edere poſſe exiſtimemus? Saltem pulcherrima eorum laus erit nocere non poſſe.

Cęterum fotus emolliens ex ſpongia aqua moderate calida.] Vulgares fotus, quibus relaxandi, emolliendi, aut alia quævis ſedandi facultas ineſſe repu-tatur ex decoctione fol. malvar. parietar. radic. alth. lilior. albor. flor. cham-momil. melilot. aliiſque ſimilibus rebus parari ſolent. Eoſdem & in colica & in ventriculi, & inteſtinorum inflammatione, & hyſterica affectione, aliiſque morbis commendavimus, varioſque utendi modos præſcripſimus. Cur in uteri inflammatione ſimplices ex aqua tepida adhibendos crediderim, ut Hippocrates præcepit (*u*) atque obſervationes E. N. C. docuerunt (*x*) fa-cit, quod fotus, ut a nonnullis perhibetur, quo erit ſimplicior, eo pene-trando aptior exiſtat, & quo minus elaſticis, mobilibus, actuoſiſque parti-culis fętus, eo criſpatis uteri fibris emolliendis, relaxandis ſit efficacior, cum paria ſaltem inde emolumenta in ægrotantes emanare poſſe facile con-ſtituam ex aliorum uſu, utcunque radicibus, floribus, herbiſque ſint alte-rata,

(t) *Refl. obſ.* 383. (u) *De rat. vict. acut.*
(x) *Cent.* 3. & 4.

rata, ſed quod juſtus ſubrepat timor, ne cum puerperæ præ cæteris eadem inflammatione corripiantur gravibus, acutiſque odoribus, quos ferre ordinario non ſolent, quibuſque prædicti flores, atque herbæ donantur, lædantur, atque animi deliquiis, cordis palpitationibus, capitis doloribus, aliiſque ſymptomatibus ſupervenientibus in majorem diſcrimen adducantur. Id quod etiam de oleis plane dicendum, quæ ſi nullo inſigni odore conſpicua ſint, ut fere eſt oleum amygd. dulc. cucurbitæ, & ſimilia, eo magis prædictis muneribus obeundis erunt opportuná. Illud ſolum cavendum eſſe facile judicaverim, ne fotus aut plus æquo calidi adhibeantur, aut frequentius quam par eſt, cum igneæ particulæ ſeſe inſinuantes altiuſque uterum penetrantes eumdem aut plus æquo exſiccent, aut ad ſuppurationem diſponant, ut de pulmonum inflammatione docuiſſe viſus eſt Hippocrates, quam iiſdem plane effectibus obnoxiam fieri colligi poteſt ex ipſius textu (*a*), qui ita fere ſe habet: *Ubi fomentis dolor ſedatus non eſt, non diutius calorificis utendum, ne vel pulmonem exſiccent, vel ſuppurationem excitent*; deinceps ne faſciis factis unctionibus venter alligetur, etiamſi tumidus deprehendatur cum cl. virorum Mauriceau (*b*) Nenteri (*c*) la Motte (*d*) obſervationibus compertum ſit, non ſolum eaſdem fruſtra adhiberi, ſed frequentius puerperarum noxa.

XIII. *Frictiones ſolum dolore, febre, aliiſque gravioribus ſymptomatibus ceſſantibus &c.*] Frictionum uſum, quas indoctæ obſtetrices dorſo ad clunes uſque, lumbis, coſciis, cruribus inſtituunt, fateor me commendare non poſſe, ne videlicet ſanguis ad uterum plus æquo ſollicitetur, atque dum lochia promovere volumus, infarctum hinc, obſtructionem, inflammationemque augeamus, aut confirmemus, ea prorſus ratione, quà ſimplici unius alicujus partis, quæ ungue, aut ſimili modo ſcalpitur pruritu inflammationem ſæpius oriri docuit cl. Mauriceau. Quamvis enim ſolum vaſorum extremitates nervorumque, qui ad cutim uſque pertingunt, defricentur, ut Mich. Adolphus oſtendit, ob fibrarum tamen vaſorumque, quæ cute conteguntur continuitatem majoribus Aortæ deſcendentis ramis gradatim communicari contingit, atque ejus trunco ſucceſſive, hinc in eodem, & ipſius ramis, qui cum in cutim, tum in uterum deſinunt, ſanguinis curſum accelerari; quo ſane conſequitur, ut ſi initio inflammationis, aliorumque morborum, qui ab inſigni uteri læſione proficiſcuntur ejuſmodi auxilio uti velimus, dorſo, humeris, & brachiis fit inſtituendum, quo fit ut in Aorta aſcendente dictis de cauſis ſanguinis curſus promoveatur, atque propterea ejus preſſio, atque impetus ad uterum majorem in modum langueſcat: ſolum dorſo ad clunes uſque lumbis, & coſciis cum derivandi indicationem, ut de venæ ſectione in pede dictum eſt, adeſſe conjiciemus, id quod ex doloris, febris, aliorumque graviorum ſymptomatum remiſſione argui poſſe manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

XIV. *Juſculum etiam cichorio, endivia, lactuc. alteratum.*] Hactenus Chirurgicis medicamentis immorati ſumus, nunc ad pharmaceutica devenien-dum, quæque plus æquo rigidas, atque inflammatas uteri fibras relaxare valent,

V

(a) 2. *de vict. rat. in morb. acut.* (b) *obſ.* 158.
(c) *tab.* 189. *ſect.* 4. *cap.* 1. (d) *liv.* 5. *chap.* 9.
(e) *De frict. p.* 105.

valent, nimiumque humorum æſtum compeſcere, atque placidam tranquillitatem ſpiritibus conciliare. In horum cenſu veniunt in primis juſcula herbis refrigerantibus dictis alterata, quorum ſæpe ſimilibus fere in morbis mentionem fecimus, quæque in caſu propoſito uterinæ inflammationis a præclariſſimis viris Mauriceau (*f*) Dionis (*g*) & Meſnard (*h*) juſtis laudibus efferuntur. Illud tamen in eorum uſu cavendum traderem, ne larga nimis, & liberali manu, ut pleriſque mos eſt exhibeantur, ne ſtomachus plus æquo gravetur, atque hinc debile ſatis corpus ſuperveniente ciborum faſtidio ruat in deterius. Hinc ſcite admodum, prudenterque cl. Van-Svvieten præcepit (*i*) *ut parca copia, & ſæpe repetita* in uſum vocentur, additoque ſyrupo aciditatis citri, *quod nimis facilem degenerationem horum juſculorum in putredinem corrigit*. Animadvertant Medentes hoc loco velim, quod ſæpius a nobis eſt demonſtratum, refrigerantia ejuſmodi medicamenta á ſale quodam nitroſo, aut ſaltem quodam armoniacale, qui nitrum quoddam inchoatum dici poteſt, vim ſuam nanciſci. Quod ubi diligenter teneant, facile intelligent, cur ſtibiatum nitrum, aut ſalem prunelæ parca doſi juſculis addendum cenſeam; quorum alterum cum nil aliud ſit, quam ſal quidam, qui a nitri, & antimonii commixtorum deflagratione remanet; hic vero nitrum, cujus pars aliqua ſulphuris vulgaris admixtione deflagravit, quibus fere præparationibus volatilior nitri pars amittitur, minus vereri fas eſt, ne dum blandiſſime attenuando, ſimulque ſanguinis motui compeſcendo fervorique temperando ſtudemus, inflammationem, quæ a ſolidarum præſertim partium laceratione, ſiſſura, contuſione proficiſcitur vi corroſiva, quam nitroſis ſalibus ineſſe nonnulli ſunt ſuſpicati, quamque ita inflammatis partibus ſumme infeſtam (licet perperam id aſſertum credide rim) Redius (*k*) teſtatur, adaugeamus.

XV. *Siti urgente liberalis potus concedendus aquæ Nocerianæ vel cujuſvis deſtillatæ &c.*] Quod vulgo invaluit puerperas liberali aquæ potu haud eſſe pertractandas dici vix poteſt, quam ſit ridiculum, cum nullum contra uteri inflammationes, alioſque graviſſimos morbos, & febres cum lochiorum ſuppreſſione conjunctas eodem præſtantius remedium reperiri Medentibus datum ſit, aut pro puerperarum opportunitate valentius. Ejus præſtantiam contra inflammationes omnes novit cl. Wain Wright (*l*), novit cl. Van-Svvieten (*m*) ac tamquam ſummum remedium in omnibus morbis inflammatoriis commendavit: in puerperis præſertim febre acuta laborantibus novit Redius (*n*), ac non modo utilem, ſed ſumme neceſſariam eſſe teſtatus eſt. Quænam vero ſit eligenda, an Noceriana, vel quævis alia deſtillata malvar. viol. cichor. & ſimilium refrigerantium, vel pluvialis, utpote cæteris præſtantior ſi D. D. Hales (*o*) & Combaluſier (*p*) audimus eaque num cocta potius ſit exhibenda, ut Galenus (*q*) Avicennas (*r*) & Redius ipſe (*ſ*) præceperunt, vel cruda ut viri cl. dalla Fabra, (*t*) Lanzanus, (*u*), & D. Nogues

(f) *loc. cit. cap.* 11. *p.* 311. (g) *liv.* 4. *chap.* 10. *p.* 358.
(h) *art.* 10. *p.* 349. (i) *ſect.* 234. *n.* 4. (k) *In epiſt. ad Telam p. m.* 65.
(l) *Tratt. dell' acq. del Sig. Smith.* (m) *Tom.* 2. 5. 398.
(n) *Tom.* 5. *let. pag. m.* 228. 281. (o) *Statiq. del veget. p.* 333.
(p) *pneumato-patho. n.* 208. (q) *De bonit. aq. cap.* 1.
(r) *lib.* 1. *fen.* 2. *doct.* 2. *ſum.* 1. *cap.* 16. (ſ) *Tom.* 5. *Let. p. m.* 280. *ſeq.*
(t) *Diſ. de met. ac morb. n.* 92. (u) *Vero metod. dell' acqua fredda t.* 2. *c.* 26.

Nogues (*x*) exiſtimarunt, ſubtilius perquirendi ratio mihi omnino non ſuppetit, dummodo moderate tepida hauriatur in eo morbo, quem ſpaſmi plerunque, & dolores inſignes comitari ſolent, qui relaxatis plus æquo rigidis, inflammatiſque uteri partibus, ſucciſque viſcidis tenaciter hærentibus ſolutis, atque acribus, mordacibuſque dilutis, egregie ſedantur. Quamquam ſi ea peccet ſulphurearum, tenuiorumque partium mobilitas, ut in univerſam ſanguinis maſſam diffuſæ ejus agitationem, furoremque inducant, etiam frigidam exhibendam traderem, additis ſyrupis ribeſiorum, berberum, aciditatis citri ſucciſque acidis limonum granatorum, & ſimilium, ut fere Boerhaavius (*a*) & Van-Svvieten docuere (*b*), quorum efficaciam ad nimium humorum motum compeſcendum, qui non cognoſcit, medicinam cognoſcit plane nullam, ut alibi oſtenſum eſt (*c*).

XVI. *Sedata inflammatione, doloribus vero, & ſpaſmis remanentibus, quibus lochia ſupprimuntur, laudanum liquidum &c.*] Nil curæ magis, cordique Medentibus eſſe ſolet, quam interceptum in puerperis lochiorum fluxum promovere pillulis aloeticis Beccheri, Hoffmanni, trochiſcis de myrrha, de karabe, borace minerali, dictamo cretico, tincturis vitrioli martis, ſuccini, caſtorei, rubia tinctorum, ſabina, aliiſque ſtimulantibus, & aperientibus medicamentis, quæ nimis longum foret percenſere numerando, ut fere præſtitit cl. Langius, qui hæc omnia in unum collecta quamdiligenter contemplanda aliis reliquit (*d*). Quæ quantum emolumenti afferre poſſint in eo caſu, in quo etiam ſi ſedata ſit inflammatio, ſpaſmi tamen doloreſque ægrotantem exercent apparere facile cuique poteſt, qui ſedulo, & accurate perpendat, hæc omnia acribus, mordacibuſque ſcatere particulis, quibus humores plus æquo commoventur, ſolidæque partes majores in ſpaſmos adguntur, quo ſane conſequitur, ut ſanguis uteri viis occluſis hærere cogatur, atque hinc lochiorum ſuppreſſio augeatur, aut confirmetur. Optime propterea ſapienterque dictum a cl. Mauriceau (*e*) Meſnard (*f*) Hoffmanno (*g*) ejuſcemodi medicamentis Mulieres, quibus dictis de cauſis lochia deficiunt haud eſſe pertractandas. His porro quemadmodum vigente adhuc inflammatione oleo amygdal. dulc. aliiſque emollientibus medicamentis extrinſecus applicitis ſuccurrendum eſſe diximus, ita remiſſa inflammatione, doloribus vero, ac ſpaſmis adhuc vexantibus certam auxilii ſpem in opiatorum uſu ſitam eſſe credendum, quibus nempe dolores, criſpationes, motuſque ſpaſmodici uteri, & vaſorum ſedentur, atque hac ratione facilis præterfluenti ſanguini via adituſque præbeatur. Quod eo facilius contingere perſpicuum eſt, ſi nonnihil impellentia opiatis conſocientur, ut fere ſunt tartarea, ex quorum miſcella laudanum liquidum tartarizatum conficitur, aſſa fœtida, aqua bryoniæ, & ſimilia.

Doloribus vero remittentibus, ſiti, calore, pillulæ Beccherianæ &c.] Tunc ſolum pillulas Beccheri, Stahlii, Hoffmanni quæ ad Beccheri imitationem ex amaris extractis, gummatibus reſinoſis temperatis, & aloe probe correcta conficiuntur locum habere poſſe cum dolores, ſitis, febris, aliaque gra-

V 2 viora

(x) *Pref. al tratt. dell' acq. dello Smith.*
(a) *De vir. medicam. p.* 104. 206. 367.
(b) *S.* 396. *p.* 51. (c) *De febr. lib.* 4. *cap.* 2. & 7.
(d) *Diſput.* 44. *ſect.* 38. *p.* 599. (e) *lib.* 3. *cap.* 11. *p. m.* 311.
(f) *artic.* 10. *p.* 350. (g) *M. S. l. c.*

viora ſymptomata deſiverint, compoſiti humorum tumultus, fibrarumque laxitatis argumentum prope certiſſimum facit potiſſimum ea ratio, quod aloe, ut a cl. Werlhof. demonſtratum eſt, (*h*) *neque per purificationes cum aqua, & præcipitationes cum liquore acidulo, variaſque miſcellas definit eſſe id quod eſt, aut odorem, ſaporem, effectum aloeticum perdere*: qui fere effectus a ſalibus valde activis proficiſcitur, quibus vaſa interdum corroduntur, unde hæmorrhagiæ ſubſequuntur, ut propterea hæmorrhoidum, vel Menſium fluxui obnoxiis nunquam (*i*) iis, quibus idem fluxus ſuppreſſus eſt cautiſſime exhibendam eſſe (*k*) alibi a nobis ſit demonſtratum, quidquid præclarus Auctor ſupra citatus ſenſerit, qui cum ab Aloe abſtinendum prorſus docuerit, ubi adſit inflammatio, vel febris utcumque lenta, vel ſolum etiam ægrotantibus imminens, aut ubi aliter prudenti Medico videatur eadem uti minus eſt veritus in uteri profluviis, in diarrhœis, dyſenteriis. Saltem ſolidarum partium ſtimulus aboritur, fluidarumque exagitatio, quibus potiſſimum opus eſt, ut illæ plus æquo laxæ cum ſint in priſtinum elaterii ſtatum reſtituantur, hæ craſſæ, viſcidæ, tenaceſque attenuentur, fundantur, atque ea ratione afficiantur, qua retentus ſanguis perfluere poſſit, ac ſuas naturales ſemitas metiri.

XVII. *Hiſce vero fruſtra adhibitis boli ex trochiſ. de myrrha borac. miner. &c.*] Idem plane dicendum de myrrhatis, ſuccinatis, calidis aromaticis, aliiſque recenſitis medicamentis, quæ non alia ratione operantur, quam vi ſalina volatili, ſtimulante, commovente, qua ſanguinis motum accelerari contingit, craſſas mucoſaſque quiſquilias atteri, congeſtiones diſſolvi, atque illa præjudicia deleri, quæ lochia retenta minantur, quæque inflammationi, aliiſque gravioribus morbis viam parant.

XVIII. *Hilaris vivat ægrotans, & quæcumque animi pathemata effugiat &c.*] Tanti intereſt optimam in inflammatorio uteri morbo cum lochiorum ſuppreſſione conjuncto victus rationem ſervare, ut hac neglecta in ſummum vitæ diſcrimen adducantur. Ad victus rationem ſpectant animi pathemata, quæ in nullo magis docente Hoffmanno (*l*), quam in hoc morbo tam infenſa, & pernicioſa unquam eſſe conſueverunt. Puerperas enim ob continuam, quæ ipſis accidit ſolutionem, fibrarum, & vaſorum dilacerationem, humorumque extravaſationem haud aliter eſſe conſiderandas, quam graviter vulneratas oſtendit: quo fit ut dictis de cauſis graviter lædantur, ut propterea ab iiſdem quamdiligenter cavendum eſſe vehementer inculcet. Et ſane juſtiſſimæ reprehenſionis occaſio non deeſt. Conſtat ſiquidem vi puerperarum animis addita, atque optima victus ratione inſtituta, ut fere præcepit cl. la Motte (*m*) ſolius naturæ opere lochia ob vaſorum minimorum coarctationem præſertim ſuppreſſa denuo rediiſſe. Peculiare victus genus quod ſpectat, illud medentibus propoſuere viri præclariſſimi Mauriceau (*n*) Dionis (*o*) Meſnard (*p*) aliique aſſerentes Mulieres, quæ uteri inflammatione, aut alio quovis acuto morbo cum lochiorum ſuppreſſione conjuncto tenentur, juſculis vituli, pulli, quibus refrigerantes herbæ incoctæ ſint, eſſe pertractandas, præſertim ſi ejus acuties tanta ſit, ut in

longius

(h) *de limit. laud. medel. n. 4. p. 20.* (i) *lib. 2. cap. 5. pag. 83.*
(k) *lib. 3. cap. 7. pag. 84.* (l) *loc. cit. pag. 267.*
(m) *liv. 5. chap. 6. p. m. 622.* (n) *loc. cit. p. 311.*
(o) *loc. cit. chap. 10. p. 353.* (p) *ar. 10. p. 349.*

longius tempus protrahi non poſſit, vireſque puerperarum firmæ adeo, ac validæ, ut tenuiſſimum victum ferre diutius poſſint: cum cæteroquin per-durante morbo, viribuſque collabentibus liberaliori victu ſint gubernandæ, ne eædem prius deficiant, quam morbus ad ſuum vigorem pervenerit, ut præ cæteris a cl. Paſta demonſtratum eſt (*q*).

XIX. *Si in ſuppurationem abierit inflammatio quolibet octavo die purgandum &c.*] Dum in abſceſſum tranſit inflammatio inſignem materiæ copiam ex-cerni, quam affectarum partium corruptio magna ſæpius excipit, adnotavit cl. Mauriceau (*r*). Corruptionis diſcrimen facere calorem, & humidita-tem, quæ ſunt ejuſdem principia, tum difficillima remediorum applicatio, quo fit, ut generaliora tantum in uſum vocari queant, atque ea quidem, quibus humorum vitioſorum corruptionem promoventium, vel foventium defluxus prohibeatur, affecta pars detergatur, demum conglutinetur. Vitioſi ab utero humores divertentur crebriori purgatione ex benignioribus catha-rticis ex ſenna, manna, tartaro, quibus fere potio ſolutiva conficitur, vel ex rhabarbaro, ſi corpus viſcidis, lentis, feroſiſque humoribus ſcateat, ut in cacheticis; ex Caſſia vero, Tamarindis, & iis, quæ ſuavi acore, quo ſunt prædita, humoribus bilioſis evacuandis, ejuſque nimiæ efferveſcentiæ com-peſcendæ ſunt opportuna, ſi clara eorum ſint argumenta, quæ plerunque in boni habitus feminis, fervidique temperamenti non deſunt. Quæ ſane purgatio tanti eſt momenti ad ejuſce morbi curationem, ut Foreſtus, cujus meminere viri cl. Riverius (*ſ*), & Hoffmannus (*t*) teſtetur ſe nobilem matronam ab ulcere uteri ſanitati reddidiſſe, cui dederat de quarto in quartum diem uncias quinque decocti ſennæ, epithymi, roſarum rubrarum, myrobolanorum Indorum ſaccharo dulcorati, & abſtergentia decocta in ute-rum injicere juſſerat. Quid ſi pro cauſarum varietate decoctio ex vulnera-riis herbis additis therebintinatis diutius in uſum vocentur, aut ſerum la-ctis cum mele roſaceo, aut injectiones primum detergentes, mox adſtrin-gentes, exſiccantes? Sed de his plura alibi diximus, (*u*) ut ſupervacaneum propterea ſit iis diutius immorari.

XX. *Sed opportuno tempore aq. B. V. aut Brandulenſes &c.*] (*x*)

XXI. *Ubi ſcirrhi inditia appareant, menſes vero, ac lochia ſuppreſſa ſint, viribuſque mulier conſtet venæ ſectio &c.*] Quamvis toto plerunque vitæ cur-ſu ſcirrhum mulieres exercere ſupra docuerimus, non inde tamen omni au-xilio ſunt deſtituendæ, ne fermentatione quacumque ex cauſa in eo excita-ta ſi jam factus ſit in cancrum incurabilem vertatur, ſi vero adhuc inci-piens certis tantum finibus coerceatur, neve in alios morbos ſcirrho con-generes faceſſat. Quo fine nulla meliori ratione potiri nos poſſe perſpicuum eſt, quam motum, & fluiditatem humoribus reſtituendo, ulteriores eorum ſtagnationes in minimis vaſculis, & cavitatibus prohibendo, ac demum fi-brarum tonum roborando. Quas indicationes ut aſſequamur, quæri a Me-dicis ſolet, utrum venæ ſectio ſit celebranda, & quo ex loco. De ipſius ef-ficacia in uteri ſcirrho plerique Veterum, ac Recentiorum Ludovicus Mer-catus (*a*) Rodericus a Caſtro (*b*) Riverius (*c*) Jo. Fortis (*d*) Mauriceau,

Meſnard

(q) *loc. cit. pag.* 322. (r) *loc. cit. p.* 312. (ſ) *Prax. Med. lib.* 15. *cap.* 8.
(t) *loc. cit. p.* 208. (u) *Cap.* 4. *com.* 14. 15. 16.
(x) *Ibid.* (a) *lib.* 2. *cap.* 18. (a) *lib.* 2. *cap.* 18.
(b) *par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 23. (c) *lib.* 15. *cap.* 9. (d) *de ſcirrho uteri.*

(*e*) Meſnard (*f*) aliique conſentiunt cauſarum potiſſimum antecedentium tollendarum ſolliciti, quas in menſtruorum, aut lochiorum fluxu ob ſuſceptum iiſdem fluentibus frigus, aut aquæ frigidæ potum cohibito poſuerunt, quoque ſanguinem craſſeſcere, ac condenſari, ac tumorem ſcirrhoſum producere ſunt arbitrati. Et ſane nemo inficias ire auſit imminuta ſanguinis mole non ſolum imminui reſiſtentiam, quam viribus illam moventibus ipſius craſſities, ac ſpiſſitudo afferebat, atque inde conſequens cor, arterias, & partium, intra quas excurrunt canales ſanguiferi, motrices fibras promptius, & validius ſeſe contrahere, reliquam a venæ ſectione ſanguinis maſſam fortius propelli, exagitari, cohærentes, atque ſtagnantes particulas mutuum contactum amittere, a vaſorum anguſtiis excuti, ac circulo reddi, atque uno verbo ulterioris congeſtionis, tumoriſque cauſas removeri, multo magis ſi ægrotans viribus conſtet, aut plethorica ſit, quod in propoſito caſu menſium, Lochiorumque ſuppreſſionis verum maxime eſſe conſtat. Verum ſi ægrotans debilis fuerit, pravoque corporis habitu, ac cachexia laboret, verendum eſt, ne ob fibrarum robur infirmum, partiſque rubræ ſanguinis defectum aut morbum augeamus, aut plus æquo ſoluta ſanguinis compage hydropi anſam præbeamus. Cæterum cur ſanguinem primum ex brachio, mox ex pede detrahendum docuerim faciunt non ſolum cl. virorum Mercati, Roderici a Caſtro, Riverii, Jo. Fortis teſtimonia, qui ſanguinem primum ex locis ſuperioribus, deinde ſi menſes deficiant ex inferioribus, vel ex hæmorrhoidibus mittunt, ſed rationes contra Jacobi Meſnard opinionem ſuperius adductæ, qui ex brachio ſanguinem prætendit de ſanguinis mittendi-loco in inflammatione loquens, quas nunc libens prætermitto, ne eas repetendo, rem aut longiorem faciam, aut obſcuriorem.

XXII. *Priore etiam in caſu boli ex gum. ammoniac. aut ſagapen. &c.*] Salubre practicorum accuratiorum conſilium ſequuti, qui docent tunc cum ſpiſſitudini humorum plenitudo ortum dederit, ut in ſuppreſſis evacuationibus contingit, a venæ ſectione initium curationis ſumendum, alterum ſequimur æque commodum, cum reſolvere volumus ſemper a mitioribus incipiendum, ne humores plus æquo commoveamus, ac ſtimulo in nerveas fibras inducto infarctus, obſtructioneſque augeamus, aut confirmemus. Fluidiores partes in humorum maſſam arctam nimis, & compactam invehendo reſolvere diluentia, reſolvere deinde ſalina omnia tum fixa, tum media ſpiſſos humores acutis ſuis particulis incidendo, alibi a nobis demonſtratum eſt (*g*). Ea tamen locum habere videntur, ubi ſpiſſitudo humorum, infarctuſque viſcerum levis ſit, & inter initia. Ubi vero ſpiſſitudo humorum, atque obſtructio tanta ſit, ut mitioribus tolli non poſſit ad validiora confugiendum. Horum in cenſu venire ea omnia, quæ acria ſunt, & ſpiritu volatili oleoſo abundant, quæ propterea non ſolum acutis ſuis ſpiculis ſpiſſos humores incidunt, ſed etiam in fibras agunt, eaſque ſtimulando humorum circuitum augent, atque hac ratione fluxiliores reddunt. Ejuſmodi fere ſunt gummata reſinoſa, ſaponacea, aliaque citato loco recenſita. Diluentium tantum, mitiorumque reſolventium vim eludunt ſcirrhoſæ concretiones: hinc eſt eadem varie mixta, & non ſola, ſed una cum decoctionibus radicum aperientium exhibita bonam plerunque edere operationem; præ-

ſer-

(e) *Lib.* 3. *cap.* 13. (f) *cap.* 3. *art.* 8.
(g) *Lib.* 3. *cap.* X. *p.* 141.

ſertim ſi impuritatum, quæ a reſolutis humoribus deponuntur, per conve- nientes, & earum naturæ accommodatas vias eliminandarum cura habeatur, purgantis ſimul, & diuretici medicamenti, uti fere rhabarbarum eſt, hie- ra, & aloetica omnia, connubio, ſique diutius hiſce præſidiis infiſtatur; cum ſpiſſi concretique humores reſolvi brevi non poſſint.

XXIII. *Hiſce alii ſuccedant ex limatura Martis &c.*] Corroborandi inten- tioni ſatisfaciunt martialia propter craſſiorem potiſſimum, & terreſtrem par- tem, quæ non ſolum abſorbet, & potentiſſime corrigit aciditatem omnem coagulantem, ſed laxatis præter morem fibris tonum reſtituit, ut humorum exagitationem, commotionemque ſilentio prætercam, quam ſulphuri ſubti- li, quo eadem ſcatent, deberi alibi a nobis eſt demonſtratum (*h*). Quo ſa- tis conſtat martialium uſu aliam etiam adimpleri indicationem, quam in motu, & fluiditate humoribus concilianda reponendam eſſe diximus, quod a quibuſvis aliis medicamentis ſperare inane prorſus eſt, præſertim ſi pri- mæ ſecundæque viæ paratæ ſint, ſeu craſſi, viſcidi, tenaceſque ſucci ad flu- endum diſpoſiti, & eorum connubio exhibeantur, quæ pravas, vitioſaſque ſordes in primis viis, inque proximis viſceribus inhærentes, quæque paula- tim ad evacuationem diſponuntur educendi virtute donantur; inter quæ Rhabarbarum præſtat, de cujus purgandi efficacia, eaque mitiſſima, & ſi- mul corroborandi, ſi quis curioſius doceri velit, eos ad citata loca ablega- mus.

XXIV. *Sed opportuno tempore aquæ acidulæ opportuniſſimæ*] V. lib. 3. cap. 10. p. 144.

XXV. *Extrinſecus fiat Cataplaſma ex farina fabarum, hordei &c.*] Ratione cauſæ conjunctæ emollientia, & reſolventia externa eſſe admovenda docue- runt Veteres fere Medici, Recentioreſque. In iis autem ſeligendis litem moverunt. Hippocrates (*i*) Cervi medullam ſubdit, adipem anſerinum, vel ſuillum: Galenus vero medullam vitulinam, cervinam, ſevum hirci- num, taurinum, leoninum, ammoniacum & bdellium pingue. His ſolis mi- nus contenti Aetius (*l*) Celſus (*m*) peſſaria pararunt. Ille quidem ex ce- ra, medulla cervina, adipe anſerino, croco, myrrha, galbano, oleo ſucci- ni, aliiſque ſimilibus parata; hic vero ex ſevo taurino, vel caprino cum roſa mixto. Injectiones mitto ex oleo amygd. dulc. irino, de althæa; lilior. albor. quæ a Raymundo Jo. Forti proponuntur (*n*), aut ex decoctio- ne radicis althææ, lilior. albor. fol. malvar. violar. brancæ urſinæ, artemi- ſiæ, ſemin. lin. & fenu græci, flor. Cham. & melilot. quæ a Riverio: nec non balnea, & ſemicupia, quæ ab eodem Riverio, & Mauriceau (*o*), em- plaſtra, cerata de meliloto, de cicuta, de nicotiana, diaſulphuris Rulan- di, de ranis cum Mercurio, quæ ab aliis paſſim deſcripta inveniuntur. In his ſive refellendis, ſive ejiciendis, non eſt cur multum ſtudii, laboriſque conferamus, cum ſuus cuique locus eſſe poſſit, ſi ordo ſervetur, & tem- pus, quo inſtituantur, ſique perquirendæ tumoris indolis, ac duritiei ſolli- citi ſint medentes. Emollientia enim, quæque laxandi vim habent inter initia tantum, ut de internis medicamentis dictum eſt, locum habent, ut flu- xilio-

(h) *Lib.* 3. *cap.* 8. *pag.* 107. & *cap.* X. *pag.* 143.
(i) *n.* 2. *de morb. mul.* 48. (k) 4. & 5. *ſimpl.* 7.
(l) *Tet.* 4. *ſer.* 4. (m) *De re med.* 20.
(n) *De mor. mul. p.* 144. (o) *loc. citatis*.

xiliores humores reddantur, & ad evacuationem diſponantur. Ejuſmodi ſunt cataplaſma ex farina fabar. hord. furfur. ſemin. lini, aliiſque ſimilibus lixivio ſaponaceo paratum, ut leve velut calcar hærenti materiæ addatur, nec non injectiones, quas ne internos uteri parietes ſollicitemus, qui ſenſu exquiſito ſunt præditi ex ſolis laxantibus parandos conſtituimus dempto ſaponaceo lixivio.

XXVI. *Inde ad aliud tranſitus fiat ex abſyntio, tanaceto &c.*] Hiſce poſtea aliud ſalubri eventu addi poſſe ducimus ex iis paratum, quæ partibus plus minus volatilibus tenuibus ſalino-oleoſis feta ſolidarum partium tonum imminutum reſtituunt, debilioremque augent: quorum in cenſu docente cl. Geoffroy veniunt in primis abſyntium, tanacetum, abrotanum, thymus, aliaque ſupra recenſita, ex quibus etiam olea per infuſionem parantur, quæ licet in ſimplici obſtructione viſcerum imi ventris minus efficacia eſſe alibi oſtendimus (*p*), ſi eorum virtus cum ſtillicidii virtute comparetur, ubi tamen de ſcirrhoſa concretione agatur, ſaltem ad duritiem nonnihil relaxandam nunquam non bona eſſe conſueverunt. Quid ſi iis camphora addatur, quæ partibus ſuis ſubtiliſſimis, penetrantiſſimis ad tumores quoſvis reſolvendos citra turbas opportuniſſima exiſtit?

XXVII. *Tandem ad emplaſtra de melilot. de cicuta &c.*] Humoribus hac ratione ad fluendum diſpoſitis, ſolidiſque partibus ad oſcillandum paratis ad validiora reſolventia confugiendum: inter quæ emplaſtra eminent de melilot. de cicuta, de nicotiana, quorum baſim gummata reſinoſa conſtituunt, bdellium, ammoniacum, galbanum, ex quibus in mortario tritis cum oleo de been, & liliorum alborum additis mucilaginibus ſemin. fęnu græci, lini, & ficuum, unguentum conficitur a Rhaſi deſcriptum (*q*) & Riverio in omni ſcirrho probatum, commendatumque. Ne decantato illo de ranis cum Mercurio utendum ſuadeamus, aut aliis ſimili virtute præditis facit potiſſimum obſervatio ejuſcemodi tumores difficillime reſolvi, acribus vero, ac ſtimulantibus particulis ſeſe in eorum ſubſtantiam inſinuantibus, altiuſque penetrantibus mole facile augeri, atque in exulceratum cancrum tranſire.

XXVIII. *Hæc omnia penitus proſcribenda in cancro vel occulto, & ſola venæ ſectio &c.*] Quamvis acribus, ac ſtimulantibus medicamentis non utamur, tam prava eſt ejuſcemodi tumorum indoles, ut ex mole parvis, & indolentibus ſenſim excreſcant, ſummiſque doloribus ægrotantem exerceant. Quod a congeſtionibus in minimis vaſculis, ac minutiſſimis glandulis dependet, quæ ad corruptionem pronæ ſunt, atque ad acredinem conquirendam, quæ vel una ſatis valere poteſt ad pravorum humorum affluxum ciendum, ad inflammandum, ad erodendum. Quod tunc facilius contingit, cum menſtruæ purgationes deficiunt penitus, aut plurimum ſaltem imminuuntur, cum ſteriles præmature nimis evadunt mulieres, atque propterea ea plenitudo ſanguinis inducitur, qua congeſti humoris copia fovetur, ac ejuſdem qualitas depravatur. Quibus rebus ita ſe habentibus eo nervos induſtriæ omnes intendendos eſſe, ut ſanguinis affluxus ad uterum, & major in minimis ejus vaſculis congeſtio prohibeatur, humores dyſcraſia peccantes contemperentur, affectæ partes a corroſione muniantur, graviora ſymptomata ſedentur, perſpicuum eſt. Ad primam indicationem quod ſpectat in fon-

(p) *Lib.* 3. *cap.* X. (q) 7. *ad amalſor.*

fonte Chirurgico omnes cum Veteres tum Recentiores modernique Medici Ludovicus Mercatus (*r*) Rodericus a Caſtro (*ſ*) Riverius (*t*) Jo. Fortis (*u*) Mauriceau (*x*) Meſnard (*z*) ſanguinis miſſionem commendarunt, atque ii quidem omnes hoc uno ob rationes ſuperius dictas Meſnard excepto ex venis primum ſuperioribus, deinde ex inferioribus, & ex hæmorrhoidibus, quibus ipſe Hoffmannus ex Majerne præcepto non invitus adhæſit: atque in hoc quidem præſidii genere ratione plenitudinis habita ad annos uſque perſiſtendum, & quamdiu natura humores ad uterum impellendi conſuetudinem, quam antea per menſes habere ſolebat penitus amittit, atque ipſa vaſa, ex quibus ſanguis ſtatis temporibus excernebatur penitus coaluerint, ut præſertim a Mauriceau demonſtratum eſt.

XXIX. *Tum ægrotans purganda confer. Caſ. Donz. &c.*] Si qui cancri curationem internorum, externorumque medicamentorum ope abſolvere polliceantur ea fere ratione, qua venereis morbis mederi poſſe confidunt, dici vix poteſt, quam male mulierum incolumitati conſulant. Quin enim optato fine potiantur, eaſdem in mortis diſcrimine prope certiſſimo conſtituere laudatus Mauriceau ex Hippocratis effato teſtatus eſt. Quæ in nymphis, externiſque partibus conſpiciuntur maligna ulcera, minus verendum, ne remediorum vi plus æquo irritentur, & eo curatu fiant difficiliora, uti fere ſolent, quæ uteri ſubſtantiam afficiunt, & ex quibus inſignis fętidi puris copia excernitur. Quoties igitur in arduis hiſce ac difficillimis morbis cura eſt convertenda, ſpondeant medentes neceſſe eſt, quod ad hæc uſque tempora innotuit, nullum revera medicamentum reperiri datum eſſe, in cujus efficacia cancri curatio repoſita fuerit, non pauca vero, quibus certa auxilii ſpes, nullum noxæ periculum ſubſit. Ejuſmodi fere eſſe cenſendum, quæ acrium, ac corrodentium humorum ſpicula invertunt, quæ mites, læves, politaſque particulas in ſanguinem invehunt, demulcent, ſolidaſque partes ab ulteriori eroſione tuentur. Ubi hæc diligenter teneas minus miraberis pulverem Wedelii abſorbentem ex juſculis cichoraceis, aut ſuccos antiſcorbuticos temperatos ex iiſdem juſculis, vel cum ſero lactis deſtillatos, aquas (XXX) Nocerianas, quæ nullo ſapore inſignes, aut Beatæ Virginis, quæ ſulphuris ſubtiliſſimi, partium balſamicarum divites ſunt, aut etiam acidulas, quas martis vena, & vitrioli ſpiritus claras faciunt, in cacheticis præſertim corporibus, in quibus viſcerum obſtructiones referandæ ſunt, liberior ſanguinis, & humorum circuitus per univerſum corpus, atque vaſculoſum ipſius uteri viſcus promovendus, pravæ vitioſæque ſordes per emiſſaria a natura comparata eliminandæ, excellenter teſtante Hoffmanno (*a*) ſe gerere, ſaltem ad reliquam curationem felicius peragendam, aliiſque medicamentis viam ſternendam: balnea ipſa aquæ dulcis ex Majerne conſilio, tandem lactis aut naturalis (XXXI.), aut artificialis (XXXII.) uſum ex Aetii præcepto, quos idem Hoffmannus ſequutus eſt principatum obtinere. Ubi vero in Veterum monumenta incideris Oribaſii præſertim, Pauli Æginettæ, Avicennæ, Geſneri, Jo. Fortis aliorumque non facile intelliges, quas vires ſatis inſignes habere queat purgatio per Helleborum ad

X pro-

(r) *Lib. 2. cap. 9.* (ſ) *par. 2. lib. 2. cap. 23.*
(t) *De morb. mul. loc. cit.* (u) *De cancro uteri*
(x) *loc. cit. pag. 316.* (z) *cap. 3. art. 9.*
(a) *M. S. T. 4. p. 5. p. 153.*

propoſitas indicationes abſolvendas, quam viri clariſſimi magnis laudibus extulerunt; quandoquidem helleborum vehementiſſimum purgans eſſe, & nonniſi diligenter præparatum, correctumque, & iis qui laxiori habitu dominantur, & in morbos ab humoribus viſcido-acribus oriundos inciderunt præſcribendum eſſe alibi a nobis demonſtratum eſt (*b*). E contra aduſtis, ſtrigoſiſque corporibus, & acrimonia alcalica, atque bilioſa intemperie peccante: humidiores enim, mitioreſque ſanguinis particulas educendo, ceteras acuendo, nervoſas partes in validiores, vehementioreſque contractiones, ac corrugationes ſollicitando, morbum non ſolum augere, ſed interdum convulſionem parere. Quæ omnia eſſe evitanda in eo morbo, in quo ſpaſmi, dolores, vigiliæ, macies, aliaque ſymptomata dire ægrotantem exercent luce clarius apparet. Abs te propterea fuerim, & ubi primæ viæ abſtergendæ, aut ſenſim ſenſimque præparati humores educendi videantur, id leniente ſolum, ac leniter purgante medicamento, ut caſſia, rhabarbarum, tartarea, aliaque ejuſmodi præſtandum traderem.

XXXIII. *Si dolores dire exerceant emulſione ſemin. papav. alb. in aq. lactuc. &c.*] Exulcerato cancro dolorem adeo immanem excitari, ut vires penitus collabantur, ac vigiliis pene conſumptæ ægrotantes deficiant compertum eſt. Ad hunc leniendum optimum ſolatium in anodynis reperiri Hoffmannus (*c*) teſtatur. Ejuſmodi ſunt emulſiones papaver. alb. pillulæ de cynogloſ. de ſtyrace, & ſimilia. Leviora hæc tamen ad immaniſſimum dolorem placandum minime quandoque ſufficere Riverius docuit (*d*). Unde ſalubre monitum medentibus reliquit non raro ad narcotica confugiendum, quæ, ut ipſe ait, *in hoc effectu propter intenſum humorum fervorem minus nocent*. Immo mulierem ſe vidiſſe affirmat, *cancro in mamma laborantem, quæ ſingulis noctibus per quatuor menſes laudani grana duo, vel tria innoxie cum magno ſolatio ſumebat*.

XXXIV. *Dum extrinſecus ſuccus ſolatri, ſedi &c.*] Id quod vel de externis medicamentis eſt plane intelligendum, quæ inter initia ex levioribus ſeligi poſſunt, ſimplicioribuſque. Ejuſmodi ſunt ſuccus ſimplex ſolatri, ſedi majoris Geranii Robertiani Virg. aureæ, cancrorum expreſſus, & in mortario plumbeo piſtillo plumbeo agitatus, & in uterum injectus, ut paſſim Galenus, Paulus Æginetta, Aquapendens, Jo. Fortis aliique docuerunt: quæ ſi minus conferre deprehendantur, validiora non deſunt, quibus optato fine potiri valeamus. Ejuſmodi ſunt emulſiones ipſæ ſemin. papav. albi in aq. ſuc. ſolatri, ſedi, aliorumque ſimplicium, vel decoctio in lacte caprili ex fol. nenuphar. hyoſciam. violar. roſar. ſemin. papav. alb. in uterum pariter injicienda, dum extrinſecus emplaſtrum deſcriptum (n. XXXV.), cujus baſim opium conſtituit, ac linimentum, cujus Saturnus, qui ut alibi dictum a nobis eſt (*e*) virtute donatur abſorbentiſſima acerrimis quibuſcumque, ac corroſivis ſanguinis humorumque particulis, quæ fibras divellentes, ac continuum ſolventes ulcera progignunt imbibendis, educendiſque opportuniſſima.

XXXV. *Tandem diæta omnium præſtantiſſimum remedium etiamſi febris accedat &c.*] Si optimo victus regimine, atque iis externis medicamentis ullo in caſu utendum, *quæ quaſi blandiantur*, ut egregie docuit Celſus, maxime

(b) *Aph. lib.* 3. *cap.* 5. *p.* 104. (c) *loc. cit.* (d) *loc. cit.*
(e) *Aph. lib.* 3. *cap.* 10. *pag.* 125.

me eſt cum febris inflammatione accedente ſupervenit, quam ſi aut diureticis, aut ſudorificis, aut purgantibus pertractemus, juſtus ſubrepit timor; ne mortem in procinctu ſtantem ſollicitemus. Sola igitur diæta refrigerans, humectans majorem in modum viſa eſt convenire, venę ſectio, ſi vires ſerant, clyſteres emollientes, refrigerantes: quibus fere auxiliis illud facile conſequi nos poſſe ſperandum, ut mulierum vita[in longius protrahatur, ut Amatus Luſitanus, cujus meminit cl. Joſeph del Papa (*f*) de quibuſdam mulieribus, *quæ cancros in mammellis habentes ſolo bono vitæ ordine abſque ullo medicamentorum topicorum irritamento per longum vivere tempus potuerunt ita incolumiter, ac ſi nullum præterea morbum &c.*

(f) *Conſult. Medic.*

C A P U T VII.

De furore uterino, Chloroſi, Uteri hydrope ſeroſo, & tympanitico.

I. Furor uterinus eſt inſatiabilis coeundi cupiditas cum dolore, ac furore juncta, quo Virgines præſertim, interdum mulieres maritatæ abſentibus maritis, vel iiſdem impotentibus, facilius; & frequentius viduæ intermiſſo Veneris uſu corripiuntur.

II. Quæ tunc contingit, cum liquor genitalis majori copia ſeparatur, aut nimia peccat efferveſcentia, aut acrimonia, unde genitalium partium, clitoridis præſertim vellicatio, irritatio, quæ ad Cerebrum uſque traducta nerveorum filamentorum motum perturbat, ac judicium depravat.

III. Nil mirum hinc juvenes boni habitus, carnoſas, ſanguineas, roſei coloris, formæque elegantis opiparo victu utentes, vitam curis vacuam degentes, Venerem ſi Virgines, intermiſſum coitum ſi viduæ avide appetentes, amaſiorum blanditiis, impudicorum librorum lectione fruentes, in adoleſcentium conſortio ſuſceptas in hunc morbum plerumque labi.

IV. Si taciturnæ, & triſtes primum fiant, ſed cum oculorum jactatione, laſcivia, faciei rubore per intervalla ſuccreſcente præſertim ad impudicorum librorum lectionem, aut venerearum rerum commemorationem, ad quam pulſus, & reſpiratio mutantur, mox viriles potius, quam femineos congreſſus appetant, laſcivas, inconſtantes, garrulas, iracundas ſeſe ipſas exhibeant, modo in fletum, modo in riſum ſolvantur, tandem inconcinne, imprudenter, atque exuto pudo-

re alloquentes viros ad venerem ſollicitent, atque invitent, eas furore uterino laborare cenſendum.

V. Morbo revera turpi, initio quidem parum difficili, at qui diutius protractus, & crebrius per intervalla invadens in maniam facile terminatur.

VI. Faciei, & totius corporis color pallidus, aut ſubflavus, inſolitus labiorum pallor, oculorum ſubſiſtentia, palpebrarum livor, ingens membrorum laſſitudo, animi torpor, pedum frigus, gravitas, & ad movendum inertia, appetitus dejectus, nauſea, vomitus, ſomnus gravis, & profundus, pulſus languidus, celer, frequens, reſpirandi difficultas, cordis palpitatio, & tremor, intumeſcentia, & inflatio pedum, dolor capitis gravans, & diuturnus ſæpe ægrotantem exercens, quibus menſium ſuppreſſio tandem ſupervenit, ſolent & Chloroſim, ſeu Virgineum morbum comitari, de cujus præſentia certior fiet Medicus, ſi hæc Virgini contingant nubili, & alias ſalaci, & alacri, quæ poſtea triſtis, anxia, & melancholica evaſerit, vel Viduæ, quæ dum marito conjuncta erat bene in omnibus ſe gerebat, poſtmodum vero inſignes corporis alterationes paſſa fuerit, elegantem colorem amiſerit, & ſucceſſive triſtis, & anxia facta ſit.

VII. Ejus vero cauſa a lympha genitali craſſa, viſcida, atque ad ſtimulandum inepta repetenda, unde naturalis ſanguinis motus alteratio, excrementorum retentio, ſanguinis coinquinatio, ſolidarum partium corporis laxitas.

VIII. Aeris intemperies, & coinquinatio, pravumque victus genus, ut largus aquæ frigidæ potus hora ſomni, vel mane jejuno ſtomacho, aut acetum, olera, fructus immaturi, dulcia ſaccharina, acida, aut carnes vetuſtiorum Animantium fumo induratæ, ſalitæ, radices, atque herbæ fibroſæ copioſius ingeſtæ, nimius ſomnus, otium immodicum, aut intempeſtivæ vigiliæ, & excretiones, ſi præſertim accedant animi curæ, uti cachexiæ, ita Virgineo morbo plurimum tribuunt.

IX. Ut ut levior morbus, diuturnus tamen, & contumax eſſe plerumque conſuevit in ſterilibus præſertim, & vetulis, & neglectus in febres longas, in ſcirrohoſos hepatis, lienis, uteri tumores, atque ipſius uteri hydropem facile degenerans.

X. Qui tunc contingit, cum in cavo uterino clauſo interno ejus ore ingens ſeroſi humoris copia colligitur, vel cum ovarii tunica ita di-

diſtenditur, ut in inſignem maſſam turgeſcat, veſiculæque ſuggeruntur quædam humori excipiendo, quæ diſruptæ, & in abdominis cavitatem ſe exonerantes Aſciti materiam præbent.

XI. Quandoque loco ſeroſi humoris aeris particulæ occluduntur, quæ rarefactæ, aut uterum diutius inflantes flatulentum hydropem, ſeu tympanitem uterinam progignunt.

XII. Generales cauſæ eædem ſunt, quæ aliarum hydropis ſpecierum, ſoluta ſcilicet nimis ſanguinis compages, laxatus ſolidarum partium tonus, vaſorum fundentium orificia nimis ampla, & patentia, abſorbentium nimis anguſta, atque obſtructa utero applicitæ.

XIII. Ejuſce vero interni uteri orificii adſtrictio, qua aer intus carceratus ipſius membranas in monſtroſam molem diſtendit.

XIV. Quam gignunt aer frigidior poſt partum imprudenter utero receptus, graviora animi pathemata, demerſio in aquam frigidam fluentibus lochiis, vel copioſus, & intempeſtivus aquæ frigidæ potus, partus vel abortus laborioſus, peculiares uteri morbi, ulcera, hyſterica affectio.

XV. Si quæ tumore corripiatur molli, & flaccido ventris fundum occupante, pallore, & macie totius corporis, ſiti ſenſim ſenſimque ſupervenientibus cum aquæ fluctuatione plus minus ſenſibili in uteri regione, pauxillo aquæ ex utero quandoque effluentis, aut veſiculis aqua plenis, eam ſeroſo uteri hydrope laborare ſuſpicandum.

XVI. Si vero imus venter percuſſus ſonitum edat, doloribus prematur pungitivis, qui per ſeptum tranſverſum, ventriculum, lumbos, umbilicum, aliaſque partes excurrat, flatus per uteri cervicem evidenter erumpat, ſenſus globi ad gulam aſcendentis percipiatur, quo reſpiratio interdum intercipitur, & ſomnus perturbatur, a cibo, & potu malum exacerbetur, a ructu contra imminuatur, flatulenti.

XVII. Quid ſi hæc omnia ſymptomata non paulatim miteſcant, quo magis ad nonum properatur menſem, & venter æqualiter attollatur, nec in durum tumorem elevetur, nec mammæ intumeſcant, & lac edant, nec admota ad eumdem manu ſenſibilis poſt quartum menſem motus percipiatur? Graviditatis nempe ſuſpicio evaneſcet, niſi forte uteri hydrops cum graviditate conjungatur, quo caſu a tertio uſque ad nonum menſem inſignis aquæ fluxus quandoque contingit integris fœtus membranis.

XVIII. Uterque hydrops curatu difficillimus eſt, ac diutius protra-

ctus

ctus in hydropem univerſalem degenerat; Idem de tympanitico dicendum, qui in ſeroſum plerumque terminatur abſque ulla ſpe ſanationis.

XIX. In furore uterino venæ ſectio repetitis vicibus inſtituatur primum ex partibus ſuperioribus habita plenitudinis, & virium ratione; mox ſi menſium ſuppreſſio adfuerit ex inferioribus.

XX. Tum præmiſſa levi purgatione ex flor. Caſ. r. e. ℥ i. pulp. Tamarind. ℨ ii. tartar. ſolub. ℨ. s. quibus ſerum lactis caprini ad Lib. ii. ægrotans ſuperbibat, alterans quotidie exhibeatur ex eodem ſero lactis deſtillato cum fol. cichor. fumar. borrag. endiv. lactuc. violar. ad Lib. i. quotidie, nitr. purif. ℈ i. ſyrup. de ſuc. limon. vel violar. ℥ i. M.

XXI. Æſtuoſa tempeſtate ad balnea tepida, ad aquas Nocerianas; Autumno tandem ad Lac ea prorſus methodo, qua in Mania deveniendum.

XXII. Pediluvia interim ex malva, parietaria, lactuc. flor. ſambuc. chammomil. & capitib. papaver. alb. non omittenda.

XXIII. Nec non emulſiones ex ſemin. quat. frigid. ℥ ii. ag. caſt. ℨ ii. in aq. lactuc. nymph. violar. Lib. i. addit. nitr. puriſ. gr. x. camphor. gr. iii. ſyrup. de ſuc. violar. vel papaver. rhæad. ℥ i. cubitum eunti propinandæ, & ſi furor adſit inſignis, ac delirium camphora addi poteſt a ℈ i. ad ℈ ii.

XXIV. Diæta ſit tenuis, & aquoſa, otium, virorum converſatio evitentur: conjugium, ſi fieri poteſt, procuretur.

XXV. In Chloroſi eadem curatio, quæ in menſium ſuppreſſione a ſanguinis craſſitie, viſciditate, lentore.

XXVI. In ſeroſo uteri hydrope eadem, quæ in Aſcite, & Anaſarca.

XXVII. In flatulento tentata interni uteri apertione manu peritæ obſtetricis, ſuffitu præſertim ex nuce moſchata, eadem quæ in affectione hyſterica.

CAP.

C A P. VII.

De furore uterino, Chloroſi, Uteri hydrope ſeroſo, & tympanitico.

I. F*Uror uterinus eſt inſatiabilis coeundi cupiditas cum dolore, ac furore juncta &c.*] Egregium Raymundi Jo. Fortis (*a*) monitum eſt ſalacitatem, uteri fervorem, ac pruritum a furore uterino probe eſſe diſtinguendum. Salaces enim mulieres intra honeſtatis limites ſeſe continent: uteri fervore affectæ dolorem aliquem, & diſplicentiam in utero percipiunt cum aliqua horripilatione, & urinæ retentione: pruritu vero uteri laborantes vel libidinem non patiuntur, vel ſi patiuntur, ut Satyriaſim ferre Viri ſolent, delirii tamen, ac furoris expertes ſervantur. Hiſce differentiis rite perpenſis factum eſt, ut de furore uterino hoc capite ageremus. Cum enim ſalacitas, uteri fervor, & pruritus in utero, conterminiſque partibus Cerebro illæſo ſedem agnoſcant, atque uterini furoris levioris gradus ſint, ad mulierum morbos referri aptius poſſe videtur, quam ad morbos capitis, ut fere laudatus Jo. Fortis, Lazarus Riverius (*b*) Ludovicus Mercatus (*c*) Rodericus a Caſtro (*d*) Jacobus Meſnard (*e*) aliique præſtiterunt, quidquid Hoffmannus ſenſerit (*f*) qui Sennertum hac in parte ſequutus furorem uterinum ad Maniam pertinere aſſerentem, & peculiarem ejus ſpeciem eſſe ad delirium melancholicum, & maniacum eumdem retulit.

II. *Quæ tunc contingit, cum liquor genitalis majori copia ſeparatur, aut nimia peccat efferveſcentia &c.*] Quamquam ſi cauſas ſpectemus ab omnis ævi Medicis prolatas, ita in iis aſſignandis cuncti conveniunt, ut lis omnis, & quæſtio dirimatur. Si enim Aetium audimus (*g*), quem Jo. Fortis ſequutus eſt, is acriorem, fervidiorem, ac copioſiorem ſanguinem cauſam prætendit, a quo copioſius, & acre ſemen progignitur, quod tandem veluti turgens, & naturam ad ſui expulſionem ſollicitans Veneris appetitum excitat. Si ſtimulus levis ſit, & moderatus naturalem Veneris appetitum oriri exiſtimat, ſi vehemens & immoderatus per ſpinalem medullam Cerebro facile communicari, imaginationem, & rationem depravari, hinc incontinentiam ipſam, pudendi contrectationem, & inſatiabilem coeundi cupiditatem induci. Quod plane ſentire viſus eſt Riverius ſeminis copiam, acrimoniam, & fervorem naturæ leges excedentem accuſans, quæ in vaſis ſeminalibus immodice turgens genitalia vehementer excitat ad veneris appetitum, eaque veluti inflammat: ex ea materia vapores ad Cerebrum tranſmitti conjiciens, qui rationem perturbant, eamque e ſede ſua dejiciunt. Roderici a Caſtro, Ludovici Mercati aliorumque ſententiam cum eodem recidat, alia volens prætermitto. Illud enim aveo intelligere, quid in medium attulerit Sennertus præter copioſum, & præfervidum ſemen, quid Hoffmannus præter genitalis liquoris copiam in glandulis vaginalibus ſecreti, longiorique mora corrupti, ut plerique Veterum tradiderunt, & Plateri, Horſtii, &

(a) *De furore uter.* (b) *Prax. Med. lib. 15. cap. 5.*
(c) *De mul. affect. lib. 2. cap. 10.* (d) *Par. 2. lib. 2. cap. 9. &* 10.
(e) *Cap. 3. art. 5.* (f) *M. S. Tom. 4. p. 4. cap. 8.*
(g) *Tet. 4. ſer. 4. cap. 74.*

& quæ in Ephem. extant obſervationibus ductus idem aſſeruit? Quamquam ſi Riverium audimus ſeminis corruptioni, & malignæ qualitati invitus adhæruit, ignorare ſe affirmans differentiam, quæ inter hunc affectum, & hyſtericam paſſionem intercedit, quæ a ſemine corrupto, & malignitatem adepto producitur. Licet enim varii corruptionis gradus varios etiam malignitatis gradus efficiant, unde magna ſymptomatum varietas exſurgit, manifeſtas tamen qualitates, copiam ſcilicet, acrimoniam, turgentiam aliaſque ſimiles cum partium genitalium phlogoſi ad hunc affectum producendum ſufficere arbitratus eſt. Diſcrimen intereſſe videtur non levis momenti, primum quod Veteres fere omnes muliebre ſemen morbi cauſam adhibuerunt, Hoffmannus vero, & qui nuperrimis temporibus floruerunt fere omnes liquorem, ſeu lympham genitalem, cujus ſupra meminimus (*h*), quo loco non ſemen generare mulieres oſtendimus, ſed liquorem ſemini haud diſſimilem, quemque Veteres pro muliebri ſemine habuerunt, eum potiſſimum in finem a natura comparatum, ut genitales partes lubricentur, & voluptatis ſenſus augeatur. Si igitur lympha hæc, aut liquor genitalis dictus nimia copia ſeparetur, aut nimia peccet efferveſcentia, acrimonia, aut alio quopiam vitio, quo genitales partes Clitoris præſertim, in quo Veneris æſtrum, vellicentur, & irritentur, intenſum coeundi deſiderium oriri oportere adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Diſcrimen alterum faciunt Veterum vapores ad Cerebrum tranſmiſſi imaginationem circa illud objectum, & rationem ipſam depravantes, quos tamquam commentitios exploſerunt Noſtrates Etmullero, atque Hoffmanno præeuntibus, & e medio tollere quantum illis licuit conati ſunt prædicta acriori vellicatione utentes, atque irritatione, cujus occaſione talis in ſpiritibus motus ſuſcitatur & talis impreſſio, ſive idea venerea, quæ continuo animæ repræſentatur, ut nil cogitare eadem poſſit, niſi res ad venereum exercitium pertinentes, quo fit, ut phantaſia firmiſſime hiſce ideis inhærente uſus rationis ſæpius minuatur, & invertatur. Cujuſce rei obſcuritas, ſi quæ ineſſe aliquibus videatur, illuſtratur egregia paritate deſumpta a pollutione virorum nocturna. Sicut enim ex ſemine copioſius congeſto, & ſtagnante in veſiculis ſeminalibus virorum talis exoritur in pudendis vellicatio, & titillatio, ac talis ſpirituum Animalium motus, ut inde inſomnium exerciti actus Venerei excitetur: pari ratione cum inſomnia dormientium ſint deliria vigilantium, ſi a lympha vel liquore genitali copioſius aggeſto, aut dictis vitiis coinquinato nervorum extremitates, qui per genitalia, ac pudenda mulierum mire diſſeminantur, quadam ratione vellicentur, commoveanturque, atque tremores abhinc prodeuntes ad Cerebrum per nervorum ductum propagentur, qui nerveas ejuſdem fibrillas in peculiari quadam inflexione detineant, Veneris imaginem tandiu animæ obverſari debere, quandiu eamdem inflexionem conſervent, ita alibi demonſtravimus (*i*), ut ſupervaceneum ſit hiſce dubitationibus diutius immorari. Quid ſi acrieris lymphę genitalis efferveſcentia ſanguineæ maſſæ communicetur? Acriores nempe ſpiritus generantur, concitatiorique motu moventur, unde ſpirituum Animalium fervore una cum intenſo genitalium pruritu effræne coeundi deſiderium, furibundus Veneris impetus.

III.

(h) *Cap.* 4. *com.* 2.

(i) *Aph. lib.* 1. *cap.* 6. *p.* 111.

III. *Nil mirum hinc juvenes boni habitus, carnoſas &c.*] Cauſas externas quod attinet, omnium cum Veterum, tum Recentiorum conſenſu ſtatutum eſt, ea omnia eſſe, quæ vel ſeminis, ut illis placuit, vel lymphæ genitalis, ut aliis, copiam accumulare poſſint, vel eam nimis acrem, aut alio quopiam vitio coinquinatam reddere. Copiæ accumulandæ juvenilis ætas plurimum tribuit: Cum enim in juventute fibræ debita tenſione, tono, atque elatere donentur, motum ſanguinis vividum eſſe, celerem, & vehementem, integrales ejus partes quamvis inter ſe mixtas, & temperatas, ad tenuitatem tamen vergere, agilioreſque, & magis mobiles eſſe exaltatas, & copioſas, ſpiritus ad motum pronos, atque ad munia quæcumque obeunda expeditiſſimos, hinc ad actiones omnes alacritatem, promptitudinem inſignem, ſecretiones omnes, excretioneſque ſeminis involuntarias in viris, lymphæ eidem analogæ in feminis contingere ſupra a nobis eſt demonſtratum (*k*). Quid ſi non involuntarie excernatur: Copiam nimirum tantam colligi in partibus genitalibus, ut moleſtiæ iiſdem ſint, & irritamento perſpicuum eſt.

Quid ſi opiparo victui indulgeant?] Hoc nomine Animantium, ſylveſtrium præſertim, & volucrium carnes veniunt, aut etiam domeſticorum aliqua qualitate alteratæ, ſalſedine puta, aut aromatum condimentis, vina & liquores ſpiritu volatili ſulphureo ſumme abundantes. Sed opipari victus, ut & vitæ curis vacuæ, veneris, aut coitus deſiderii efficaciam ad lymphæ genitalis copiam, aut acrimoniam efficiendam, ita citato loco explicavimus, ut auctor ſim, ut cum hæc legerint ad illum ſtatim ſe conferant; Sic enim fiet, ut de tota hac re melius doceantur, certiuſque.

Amaſiorum blanditiis, conſuetudine, aut librorum impudicorum lectione fruentes.] Quamvis delirium melancholicum, quod a veſano amore proficiſcitur a furore uterino probe ſit diſtinguendum, eaſdem hic tamen externas cauſas agnoſcit, inter quas amaſiorum blanditiæ, conſuetudo, lenocinia eminent. Ad hujuſce rei ſtatum melius aſſequendum nonnulla in memoriam ſunt revocanda, quæ de amore alibi a nobis dicta ſunt (*l*), amorem ſcilicet deſiderium poſſeſſionis, & unionis rei amatæ definiri: tunc conciliari cum imago, aut forma maris, aut feminæ ope reflexi refractique luminis in ſpectantis retina impreſſa peculiarem tremorem in nervea filamenta nervos opticos conſtituentia inducit, qui cerebro propagatus, & ejuſdem fibras certa quadam ratione concutiens efficit, ut percipiendi facultas formam eamdem, & imaginem exprimat, & intueatur. Quæ quoniam propter ſympatiam quandam, conſenſumque naturæ, ob quam deformitates ipſæ, & corporis vitia in deliciis ſunt, grata & jucunda eſt, intueri eamdem præſente archetypo amat, eo autem abſente ſibi repræſentare, & contemplari: ex repetita contemplatione nerveas Cerebri fibrillas eam inflexionem ſuſcipere, per quam idea diſtincta, clara, vivida ejuſdem imaginis diu menti præſens obverſatur; hanc ſequi opinionem ſummi, ac ſibi convenientiſſimi boni, hinc deſiderium unionis, ſeu poſſeſſionis rei amatæ. Si id adeo vehemens ſit, ut nerveæ Cerebri fibrillæ ea ratione inflexæ, qua idea clara, & diſtincta rei amatæ animæ obverſatur, facultatem ſeſe reſtituendi, aliosque tremores ſuſcipiendi amiſerint delirium melancholicum ſubſequi.

Y His

(k) *Cap.* 4. *com.* 3.

(l) *Lib.* 1. *cap.* 6. *p.* 117.

His breviter delibatis, quid ni liceat conjectari feminas, quas Animalium nomine inſignivit Arioſtus (*m*),

Queſti animai, che ſon molto più ſtrani,
Corregger non ſi dee ſempre con ſdegno,
Nè a mio parer mai con menar le mani.

ab amaſiorum blanditiis, conſuetudine, lenociniis ad eorumdem deſiderium allici eo prorſus modo, quem tradunt Valerius Maximus (*n*), & Plinius (*o*) de quodam narrantes., qui Gnidiæ Veneris nudo corpore ſimulacri in toto terrarum orbe nobiliſſimæ amore captus, cum delituiſſet in fano, noctu eidem cohæſit, aut ut Petrarcha docere viſus eſt, qui Lauræ amore exardeſcens in hæc incidit:

Con lei fuſſe io da che ſi parte il Sole,
E non ci vedeſſi altri, che le Stelle,
Sol una notte, e mai non fuſſe l' alba.

Quo ſane conſequitur, ut cum optato fine potiri nullatenus queant ingens ſæpenumero lymphæ genitalis copia in organis ejuſdem ſecretioni dicatis cumuletur, aut eadem ita efferveſcant, aut alia ratione afficiatur, quæ vel una ſatis valere poteſt ad genitalia proritanda, atque hinc furorem uterinum ciendum. Quid ſi librorum impudicorum lectione imagines, & ideæ venereæ voluptatis in phantaſia excitentur. Cum nimirum illud ſit animæ commercium cum corpore, ejuſque fluidis, & ſolidorum motu, ut ex copioſius congeſto, & ſtagnante in veſiculis ſeminalibus ſemine talis exoriatur in pudendis vellicatio, ac titillatio, ac talis ſpirituum animalium motus, ut inde inſomnium exerciti actus venerei excitetur, ut ſupra demonſtratum eſt, pari ratione excitata, atque aſſidue animæ obverſante venereæ voluptatis idea ſpiritus ad eas partes dirigi, quæ ad veneream voluptatem ſunt comparatæ, tendi eaſdem, inflari, aut alia ratione affici, qua opus eſt ad copioſiorem lymphæ genitalis ſecretionem perſpicuum eſt. Cum hæc venereo exercitio non abſumatur copioſius adhuc congeri, turgeſcere, aut alio vitio coinquinari, quo genitalia vehementer proritentur, atque hinc furor uterinus cieatur manifeſtius quidem eſſe exiſtimaverim, quam ut ullis rationibus queat comprobari.

IV. *Si taciturnæ, & triſtes primum fiant, ſed cum oculorum jactatione &c.*] Tres quaſi gradus ejuſce morbi diagnoſim conſtituunt. Prior illæſam mentem relinquit, atque affectionibus quibuſdam, quæ cæteris etiam morbis communes ſunt, ſe prodit. Ejuſmodi ſunt meſtitia, taciturnitas, quæ ſi ſola ſpectentur peritiores etiam medicos ludere valent, cum menſium ſuppreſſioni, chloroſi, delirio melancholico, aliiſque fere innumeris conveniant: larvam tamen aperit oculorum jactactio, laſcivia, & faciei rubor per intervalla ſuccreſcens præſertim ad impudicorum librorum lectionem, aut venerearum rerum commemorationem, ad quam pulſus, & reſpiratio immutantur ea fere ratione, qua Eraſiſtratum Medicum Anthiochi ſumma tabe confecti morbum, & medicinam Seleuco Patri demonſtraſſe Valerii Maximi, & Plutarchi teſtimonio ducti alibi oſtendimus, ſimiles etiam Tulpii, & Rondeletii hiſtorias ad eamdem rem confirmandam tradentes. Quibus ſane de rebus factum eſt, ut inſignem animi poteſtatem in ſpiritus,

(m) *Nelle ſatire.*
(n) *Lib. 8. c. 12. ext. n. 4.* (o) *l. 36. c. 5.*

tus, & nervos, ſpirituum vero nervorumque facultatem ad partium elaterium, ac robur alterandum, ad canalium diametros conſtringendos, aut laxandos, ac propterea ad ſanguinis, humorumque motus, actioneſque ab ipſo pendentes multipliciter variandas non levibus argumentis arguere-mus. Quod ubi diligenter teneas parum negotii faceſſet explicatio oculorum jactationis, laſciviæ, faciei ruboris, mutationis pulſus, & reſpirationis, quæ ad librorum impudicorum lectionem, aut rei venereæ commemorationem, quæ inter initia furoris, dum adhuc mentis compotes ſunt Mulieres, contingit, objectis ſcilicet, quæ avidiſſime appetunt phantaſiæ oblatis, vel in memoriam revocatis, quibus nervorum motus perturbatur, atque placidus, æquabiliſque ſanguinis circulus pervertitur. Sed jam ad alterum gradum tranſeundum, quem virilium congreſſum deſiderium conſtituit, laſcivia quædam, inconſtantia, garrulitas, iracundia, modo fletus, modo riſus, aliæque affectiones, quæ ſe invicem excipiunt, quod genitalium non modo partium vellicationis, atque irritationis argumentum eſt prope certiſſimum, ſed nerveorum filamentorum Cerebrum conſtituentium perturbati motus, unde variæ ſpecies menti aſſidue obverſantur, cum objecto tamen perpetuo conjunctæ, a quo primum iidem motus exorti ſunt. Ex his nihil certi colligendum eſſe ſtatuit Riverius, ſed progrediendum ulterius, ac diligenter ad novum ingruentem paroxyſmum attendendum, qui furore quodam ſe prodit, quo peritæ Mulieres inconcinne, imprudenter, atque exuto pudore alloquentes viros ad coitum palam, & coram omnibus invitant, unde optime videtur ab Aetio dictum, quod furor uterinus fit uteri calida intemperies Cerebrum in conſenſum trahens, ad quam rabioſum delirium conſequitur.

V. *Morbo revera turpi, initio quidem parum difficili, at qui diutius protractus &c.*] Animadverſione dignum eſt hoc loco, quod tradit cl. Jo. Fortis, nobilem Virginem, quam memorat (r) verecundiſſima cum eſſet, & potius muſicis, quam venereis oblectamentis dedita, præ morbi vi eo adactam fuiſſe, ut ab accerſito Medico juvene clam manum aptaverit, ut illam ad propria pudenda admoveret: tanto premebatur furore, ut viris quibuſcum tumultuoſa reddita exuto pudore de rebus venereis cum gaudio, & voluptate alloquebatur, quoſque ſollicitabat, atque invitabat, ſe procul dubio proſtituiſſet, niſi afflicti Parentes eam cuſtodiſſent. In hoc potiſſimum morbi turpitudinem conſtituit laudatus Auctor, quoniam *macula, & labe totam familiam aſpergere* poteſt auctoritate ductus D. Auguſtini dicentis, duriſſima eſſe prælia caſtitatis, & ubi quotidiana pugna rariſſimam victoriam. Cæterum ſi mature medela adhibeatur curationem admittere, ſi vero longius progrediatur morbus, vel neglectus, vel præpoſteris medicinis pertractatus in Maniam degenerare omnium conſenſu ſtatutum eſt. Cujuſce rei ratio eſſe videtur, quod ſpiritus animales certas, eaſdemque ſemper vias remetientes, fibraſque Cerebri in certa quadam inflexione detinentes, per quam idea rei venereæ excitatur, earumdem ſtructuram pervertunt, vel cęco impetu hac illac ruentes varie, & inordinate eaſdem concutiunt, unde variæ ideæ, & cum furore conjunctæ ſubſequuntur, atque hinc Mania.

VI. *Facies, & totius corporis color pallidus, aut ſubflavus, inſolitus labiorum*

(p) *A ph. lib.* 1. *p.* 121. (r) *loc. cit.*

rum pallor &c.] Quinam morbus ſpeciali Chloroſeos nomine inſigniendus videatur non plane conſtat. Qui enim affectus ab Hippocrate Chloroſis (ſ) ab aliis febris alba, pallidi virginum colores, ſeu alba icteritia appellatur, quia videlicet eodem affectæ corpus album cacheticum, ac veluti ędematoſum præſeferant: ab aliis febris amatoria, cum pulchriores potius, quam deformes corripiantur, atque ejuſce rei quidem rationem reddit Jo. Fortis, quod partes in his bene temperatæ bonum ſanguinem ad ſe trahunt, malum rejiciunt, qui corpus inquinat: ab aliis virginum morbus dicitur, quia Virginibus, quæ nondum Menſes expertæ ſunt, aut quibus inordinati, & parciores fluunt familiaris eſſe ſolet. Hiſce de rebus factum eſt, ut non uno ſed pleriſque ſeorſim, aut ſimul ſumptis nominibus hodie noſtrates diſtinguant: inſignem vero ejuſdem differentiam faciant a cachexia mulie-bri: Chloroſis quippe morbus Virginum dicitur, tamquam Mulierum proprius, quæ vel Virgines ſint, & viduæ, aut ſaltem extra virorum conſortium viventes, aut quibus Mariti non ſatisfaciunt: Cachexiam vero non ſolum quibuſcumque Mulieribus, verum & viris communem eſſe experientia compertum eſt. Quare ſummum Medico faceſcit negotium Chloroſim a Cachexia diſtinguere. Illius enim affectionis ſigna cum ejuſce notis adeo egregie congruunt, ut nihil magis. Quæ res potiſſimum anſam dedit Hoſmanno ad aſſerendum Cachexiam in Virginibus Chloroſim dici, nihilque eſſe aliud, quam cachexiæ ſpeciem, atque iiſdem quibus Cachexia ſignis ſe prodere. Ejuſmodi ſunt faciei, & totius corporis color pallidus, aut ſubflavus, inſolitus labiorum pallor, oculorum ſubſiſtentia, palpebrarum livor, ingens membrorum laſſitudo, animi torpor, aliaque ſupra recenſita ſymptomata, quæ univerſa fere, & ſingula cum iis, quæ vetuſtioribus etiam Medicis Cęlio Aureliano (*t*), & Aretæo (*u*) adnotata fuerunt egregie conveniunt. His tamen illud primum addendum videtur, quod in Chloroſi ut plurimum fluunt Menſes, & ſolum multo tranſacto tempore ſupprimuntur, quod Riverio adnotante provectum affectum, ac veluti confirmatum oſtendit, deinceps quod Virgines plerumque adoritur nubiles, quæ cum alias ſalaces, & alacres fuerint, triſtes poſtea anxiæ, & melancholicæ evaſerint, vel viduas, quæ dum marito erant conjunctæ bene in omnibus ſe gerebant, poſtmodum vero inſignes corporis alterationes ſucceſſive paſſæ fuerint, ut elegantem colorem amiſerint, & ſucceſſive triſtes, & anxiæ factæ prædictis ſymptomatibus afficiantur. Quapropter optime ab Etmullero dictum cachexiam muliebrem antecedere, aut inſequi Menſium ſuppreſſionem: Chloroſim vero eſſe affectum proprium Virginibus, & Viduis ſaltem extra conſortium virorum viventibus, aut quibus mariti non ſatisfaciunt, ut ſupra a nobis fuit animadverſum. Addi hiſce etiam potuiſſet, quod de Virgine narrat Jo. Fortis, quæ præ cęteris enarratis affectionibus febri cum horroribus etiam correpta eſt, quæ ſtatas periodicationes minime ſervat ſæpe cum mentis alienatione, clamoribus, ac vociferationibus adeo ut a Dęmone poſſideri Religioſis aliquibus videatur. Verum cum id adeo firmum, & conſtans non ſit Chloroſes ſymptoma, ut etiam furori uterino, hyſtericæ affectioni, Epilepſiæ, aliiſque morbis conveniat, prætereundum duximus, ne plura ſimul colligendo, quæ aliis affectionibus communia

(ſ) *De virgin. morb.*

(t) *Lib.* 3. *cap.* 6. (u) *Lib.* 1. *cap.* 16

munia ſunt diagnoſim aut difficiliorem, aut obſcuriorem efficeremus, aut illud præſertim deterrimum Mulierum vitium ſit non invite credere, aut ſuadere aliis velle levem quemcumque morbum ſi pertinax, ac diuturnus fuerit ad demoniacos, quos aut nullos, aut perquam raros dari alibi oſtendimus (x), eſſe referendum, eoſque callidis artificiis, quantum illis fas eſt, ita imitari, ut pro ſignaculis Religioſi, ad Maleficia vero ſolvenda eodem ſante Jo. Forti maleficæ Mulieres vocentur.

VII. *Ejus vero cauſa a lympha genitali craſſa, viſcida, atque ad ſtimulandum inepta, &c.*] Minime autem levior contentio ubi ad cauſas ejuſce morbi ventum eſt. Si enim Riverium, Jo. Forti alioſque plures ex Veteribus audimus, ii ſane ab obſtructionibus venarum hepatis, lienis, meſenterii, & præcipue earum, quæ ſunt circa uterum, atque inde orta Menſium ſuppreſſione derivare volunt, ad credendum vehementer adducti ſanguine ſtatis temporibus uteri venas non pervadente refluere, & præ copia in cor, hepar, lienem, diaphragma aliaſque ſuperiores partes reſilire, nativum earum calorem obruere, vaſa obſtruere, unde vitioſa facta in viſceribus concoctione, crudiſque humoribus in toto corpore cumulatis cachexia, quam membrorum gravitas, cordis palpitatio, difficultas reſpirationis, rerum abſurdarum appetitus, aliaque ſymptomata ſequuntur, præſto eſt. Scio tamen quid plurimi objiciant, & quantum Veteribus diſcriminis reſtet cum iis, qui ſepoſitis quæſtionibus in obſervationes unice incumbendo Chloroſim conjungi aliquando cum Menſium emanſione deprehenderunt, argumento prope certiſſimo ab eorumdem ſuppreſſione haud eſſe repetendam, quam ſolum morbo ingraveſcente, ac multiplicatis obſtructionibus conſequi, eamque provectum affectum, ac veluti confirmatum oſtendere docuerunt. Quare longius progreſſi cruditatem quamdam craſſam, & viſcidam in primis viis ſtabulantem accuſarunt, quam ſanguinis vias remetientem, eumdem impurum plane, ac intemperatum reddere, atque pravis, vitioſiſque ſordibus inficere autumarunt: quæ diutius in corpore retentæ, neque per emunctoria naturalia percolatæ ſerum ipſum, ac liquidum nerveum ſimili vitio inquinant, unde ad habitum corporis delatum illud, pallidum, ſubviridem, aut flaveſcentem colorem cum aliquali corporis intumeſcentia inducit; iſtud vero ſegnius, ac debilius quam par eſt in partes per nervos influens corporis gravitatem, ac languorem, nauſeam, proclivitatem in ſomnum, animi triſtitiam, ſenſuumque torporem excitat. Ita fere Hoffmannus, cujus ſententia nihil adhuc magnificentius dictum pronuntiarem, niſi juſtus mihi timor ſubreperet, ne ſimultates cum iis graviſſimas ſubirem, qui Chloroſim a Cachexia diſtinguendam eſſe præeunte Etmullero pariter dimicant certis potiſſimum, ac frequentibus obſervationibus edocti chloroſim vel ob defectum, vel intermiſſionem coitus produci, & a coitu perfecte curari, Menſium ſuppreſſionem, aut Cachexiam etiam viro utentibus ſervari. Quæ ſane omnia non levis eſſe momenti etiam me tacente facile omnes intelligunt, ut quiſque Medicus ſive Veteribus ſerviat, ſive Hoffmanno id omnino concedat quod volumus, ideſt Cloroſeos cauſas aliunde quam ex hoc fonte repetendas eſſe. Neque ego eum admodum falli putem, qui ſedulo, & accurate pro ingenii modulo perpendens tunc cum lympha, ſeu liquor genitalis in Virginibus generari incipit, earum cor-

(x) *Aph. Lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 153.

corpus alterari, robuſtiores etiam, venuſtiores, alacrioreſque evadere, menſium eruptionem incipere, mammas excreſcere, veneris æſtro corripi, & ſi nimia copia ſeparetur, aut nimia peccet efferveſcentia, acrimonia, aut alio quopiam vitio, quo genitales partes vellicentur, & irritentur, intenſum coeundi deſiderium, ut ſupra demonſtratum eſt, exoriri, exiſtimet hunc affectum ad prædictam lympham craſſam, viſcidam, atque ad ſtimulandum ineptam eſſe referendum. Quemadmodum enim eadem in naturali ſtatu exiſtente ita evehuntur fluidorum, ſolidorumque motus, ut craſſæ, viſcidæ lentæque ſanguinis particulæ attenuentur, teranturque, excrementitiæ facilius ſeparentur, atque inde conſequens tota ſanguinis maſſa volatilizetur, ſic ut robuſtiores, venuſtiores, alacrioreſque Mulieres evadant, nimia vero copia peccante, aut efferveſcentia, aut acrimonia, adeo percelluntur genitales partes, totumque nervorum genus, ut intenſum coeundi deſiderium cum furore junctum ſubſequatur, ita pronum eſt credere eamdem copioſe retentam cogi, ac propterea non modo minus ſpirituoſam, & elaſticam, ſed craſſam, & viſcidam evadere, quo ſane conſequitur, ut cum nervoſis partibus ſtimulandis ſit impar, & nihil prorſus, aut parum ſuæ volatilitatis maſſæ ſanguineæ communicet, naturalis ſanguinis motus langueſcat, atque imminuatur, atque hinc craſſæ, viſcidæ, lentæque particulæ non modo minime exſolvantur, & per congrua, atque a natura comparata emunctoria ſeparentur, ſed majorem vitii gradum adeptæ in ſanguine retentæ ipſum inficiant, unde malus corporis habitus, febris, aliaque ſymptomata inſurgunt.

Aeris intemperies, & coinquinatio.] Si cauſas antecedentes, & externas reſpiciamus, ita cachexiæ, & chloroſi æque omnes conveniunt, ut nullus hac de re quæſtioni locus relinquatur. Inter eas vero prava aeris intemperies maxime eminet, qua non frigidam modo, & humidam conſtitutionem intelligimus, quæ, docente Hoffmanno (z) *externam corporis ſuperficiem aut conſtringendo, aut relaxando ſalutare tranſpirationis negotium prohibet, adeoque ad humorum impuritatem coacervandam plurimum valet*: ſed illius magis, qui pravis exhalationibus imbutus fuerit, aut qui ex cloacis, aliorumque olerum, aut leguminum putredine, aut fimo vitium contraxerit, quoque ſolidas non modo partes relaxari inſigniter contingit, fluidaſque cogi, ac denſari, ſed ipſos ſpiritus parcius ſecerni, eoſque craſſiores, lentioreſque, unde in omnibus actionibus ſegnities, & torpor, in reliquis ſecretionibus, excretionibuſque tarditas, ac difficultas.

Pravumque victus genus.] Cum Veteres Medici, ut vidimus, ab obſtructionibus partium infimi ventris, præcipue earum venarum, quæ ſunt circa uterum hunc affectum repeterent, ſuas etiam obſtructionum cauſas aſſignarunt, humores videlicet craſſos, viſcidos, & crudos ex prava plerumque victus ratione genitos, quam cum pleræque minus ſollicite caveant, Virgines vero eidem ſe totas dedunt, aut largo aquæ frigidæ potu hora ſomni, vel mane jejuno ſtomacho utentes, aut acetum, olera, fructus immaturos, vel ipſam nivem, & glaciem teſtante Riverio avidiſſime devorantes, quibus propterea calorem partium nativum obrui, & magnum fieri crudorum excrementorum proventum haud dubie affirmavit. Quid de dulcibus dicam, quibus tantopere delectantur, nihil omnino ſuppetit, cum neminem lateat in

(z) *Loc. cit. ſec. x.*

in ſtomacho, & primis viis facile aceſcere, & corrumpi, ſimulque ipſarum ſuccos pervertere, ac varie labefactari; inde chylum impurum reddere, atque adeo inficere, ut ſanguinem ingrediens eumdem ſpiſſiorem, & ad liberiorem per minima vaſcula circuitum imparem conſtituat. Quod eo magis evenire cenſendum eſt ex promiſcuo acidorum uſu, quæ uti moderate, & tempeſtive exhibita languentem appetitum excitant, atque optime cedunt in eo caſu, in quo nimius fervor temperandus eſt, & debita humoribus denſitas concilianda, ita e contra immoderate, & intempeſtive ingeſta ea mala facile inducunt; quæ ab humorum tarditate, & coagulatione proficiſcuntur. Quid ſi delicatiores cum ſint, & minus exercitatæ mulieres iis cibis non parce veſcantur, quibus compactior eſt, & nimis arcta, & rigida partium textura, quæque nonniſi difficulter a ſtomacho feruntur, & ſubiguntur? Ejuſmodi ſunt carnes vetuſtiorum Animantium fumo induratæ, ſalitæ &c. quæ cum ob arctum, & nimis compactum ſuarum partium nexum ſatis digeri, & in bonum laudabilemque chylum converti non poſſint variis cruditatibus viam parant, quæ ſanguinem ingreſſæ ad ipſum conſpurcandum ea ratione, qua pravus totius corporis habitus ſequatur, aut lymphæ genitalis conditio pervertatur opportuniſſimæ exiſtunt. Cui etiam plurimum tribuit nimius ſomnus, otioſum vitæ genus, & omnimoda a laboribus, conſuetiſque exercitationibus quies, & remiſſio teſte Aretæo (*a*) & Riverio (*b*) eo quod *ad humorum copiam*, ut inquit Hoffmannus (*c*) *impuritatem, tardioremque circulum, ſtagnationem, viſcerumque tam ſanguificationi, quam depurationi dicatorum obſtructiones permultum confert*: aut e contra intempeſtivæ vigiliæ, aut exercitationes, *ut choreæ ſtatim a paſtu*, ut ait laudatus Riverius, *quas in longam noctem cum ſuis amatoribus perducunt*. Cum enim graviſſimis ſæpe curis, & variis animi pathematibus afficiantur, inſigne coctionis opus labefactari contingit, cruditates congeri, quæ primum cachochymiæ, atque inde craſſæ, viſcidæ, lentæque lymphæ genitalis fundamentum exiſtunt.

IX. *Ut ut levior morbus, diuturnus tamen, & contumax eſſe plerumque conſuevit, in ſterilibus præſertim &c.*] Virgines Chloroſi laborantes, ſi viro jungantur ſanas evadere, Hippocrates jam olim docuit (*d*). Quod ſucceſſu temporis obſervationibus cum multis, ac frequentibus, tum certis ac conſtantibus ita reſpondit, ut omnes fere Medici (de quibus infra) a ſaluberrimo conſilio ſi legitime fieri poſſit, ne latum quidem unguem receſſerint. Quandoque tamen maritatis ſterilibus contingit, quo caſu curationem multo difficiliorem evadere omnium conſenſu ſtatutum eſt. Totum enim curationis momentum in eo verti videtur, ut concipiant ex ipſius Hippocratis teſtimonio, quod a ſterilibus alienum eſt quam quod maxime. Poſſunt quidem menſes ſi jam deficiant, aut parcius fluant rurſus excitari, ut quotidiana docet experientia, quod in ſterilibus tamen parum levaminis affert, cum nihilominus Chloroſi utcumque levius divexatæ parum incolumes vivant, ut non paucis exemplis didici. Neglectum, atque altas radices agentem, ita ut inſignis fiat humorum depravatio, ſolidarumque partium laxitas, in febres longas, ſcirrhoſos hepatis, lienis, uteri tumores degenerare facit potiſſimum ea ratio, quod craſſi, viſcidi, lentique humores ſa-

(a) *Lib.* 1. *cap.* 16. (b) *Loc. cit.* (c) *Loc. cit.*
(d) *Lib. de Virg. morb.* 2.

facile in iis viſceribus congeruntur, in quibus propter venam portæ arteriæ munus gerentis difficilior eſt ſanguinis circuitus, eo magis ſi ſolidarum partium laxitas peccet. Ubi aggeſti ſint humores tenuioribus, mobilioribuſque eorum partibus reſolutis, craſſiori, atque inerti remanente materia indureſcere, atque hinc ſcirrhoſos tumores ſubſequi ex alibi dictis manifeſtiſſima res eſt. Quid quod in uteri hydropem non raro terminatur?

X. *Qui tunc contingit, cum in cavo uterino clauſo accurate interno ejus ore ingens ſeroſi humoris copia &c.*] Principem hydropis cauſam malum habitum eſſe, ſive cachexiam rectiſſime tradidit Aretæus. (*f*) Hunc ipſum affectum ſæpiſſime antecedentem eſſe hydropis cauſam Cælius ipſe Aurelianus teſtatus eſt (*g*). Quid mirum igitur videri debet Chloroſim ipſius uteri hydropem ſubſequi? Quomodo vero contingat paucis expedit Boerhaavius aſſerens in cavo uterino clauſo accurate ejus ore interno ſæpe colligi tantam aquæ copiam, ut integrum Abdomen mentiatur Aſcitem. Ex quo apparet uteri hydropis eſſentiam in ſeroſo humore in uteri cavitate contento conſtitui. Quo loco dubitarunt Veteres nonnulli non aſſequentes quomodo humores in ea contineri queant, cum per uteri oſculum, & cervicem facilis pateat exitus. Iis tamen egregie alii reſponderunt, Mercatus in primis putans mucoſam pituitam excerni per orificia venarum, quæ menſtruæ purgationi ſunt comparatæ, & ex illa quamdam fieri pelliculam totam uteri ſuperficiem internam obducentem, in qua ſerum contineatur. Ex eadem pituita quoſdam produci folliculos, quibus aqua contineatur exiſtimavit Aetius. Abſque oſculi vitio, & ex ſimplici illius conſtrictione ſeroſum humorem in utero contineri poſſe opinatus eſt Fernelius. Hoſce omnes fere modos numerando recenſuit Riverius, atque iis non modo, ſed a tumore etiam ſcirrhoſo, vel aliqua cauſa internum uteri orificium occludi poſſe arbitratus eſt (*h*). Hunc clariores Medici in hac parte ſequuti ſunt. Exempla ſeroſi humoris in uteri cavitate contenti a Sennerto non modo proponuntur ex Rhaſi, qui feminam vidit, ex cujus utero viginti quinque cotylæ aquæ affluxerant, a Fernelio mulierem referente uteri hydrope correptam, quæ quoties menſtrua appetebat purgatio, omnem aquarum illuviem ex utero profundebat, pelveſque ſex vel octo aqua uterina ferventiſſima complebat, dum uterus totus ſubſideret, a Veſalio, qui feminam diſſecuiſſe teſtatur, in cujus uteri cavitate ſeroſæ materiæ pluſquam ſexaginta menſuræ Auguſtanæ, quæ ſingulæ tres capiunt libras repertæ ſunt, a Dodonæo, Donato, aliiſque ſimile quidpiam referentibus, quorum Riverius idem meminit, & Jo. Fortis, a Schenkio etiam qui ſimiles hiſtorias non paucas memorat, atque illam præſertim de quadam muliere, cujus uterus aqua adeo plenus inventus eſt, atque ad eam molem adactus, ut filio decem agenti annos continendo par eſſet (*i*), ab ipſo cl. Mauriceau de Muliere quadam narrante, quæ cum ſe gravidam crederet decem poſt Menſes inſignem aquæ copiam ejecit, quam intus occluſam toto hoc temporis ſpatio ſervaverat, a Gulielmo, quem laudatus Auctor memorat, aliiſque, ut cum obſervationum multitudo, ac frequentia, tum ne conſtantia quidem ac certitudo minime deſideretur.

Vel cum ovarii tunica ita diſtenditur, ut in inſignem maſſam turgeſcat, veſicu-

(f) *Lib.* 4. *cap.* 1. (g) *Lib.* 3. *cap.* 6.
(h) *Lib.* 15. *cap.* 12. (i) *Lib.* 4. *obſer.*

culæque ſuggeruntur quædam &c.] Ovarii hydropem cum ab obſtructione in teſticulorum alterutro oriri docuiſſet Sydenhamius, quæ ſenſim ejuſdem craſim ſubvertit, ubi repoſita morbi minera tunica ejuſdem mirum in modum diſtenditur, qua jam tantum non crepante, natura humori excipiendo veſiculas quaſdam ſuggerit, quibus tandem diſruptis, & in abdominis cavitatem ſe exonerantibus eadem occurrunt ſymptomata, ac in Aſcite, tum vero annoſas, ſterileſque mulieres ut plurimum obſidere, difficulter cognoſci, & vix ſine inciſo cadavere, ac ſæpe in Aſcitem tranſire tradidit Boerhaavius. Memorabiles ejuſce morbi hiſtoriæ ab Hoffmanno proponuntur (*k*), qui Harderum in primis memorat feminam ruſticam referentem, cujus ovarium ſiniſtrum non modo aquæ ſubſalſæ, & fętentis libris duabus oppletum, ſed etiam annexa eidem tuba Fallopiana notabile hydatide obſeſſa reperta eſt, deinceps caſum affert, quo ex gravi in hypogaſtricam regionem lapſu in quadragenaria, ſubortam ibi intumeſcentiam cum dolore tenſivo deprehendit, quam aquæ limpidæ largum profluvium cum ſanguine menſtruo primum prodiens excepit, quod poſtea etiam ceſſante ſanguinis ſtillicidio per anni dimidium perduravit, ita ut quotidie minimum libra una efflueret, donec ægrotans tabe, lentaque febre penitus confecta obdormiſceret. In tranſactionibus Regiæ ſocietatis Londini, (*l*) in quibus ſingulare exemplum habetur hujuſce affectus larga ſectione curati per D. R. Hourſtoum in femina quinquageſimum octavum annum agente: nec non a Du Verneii (*m*), ex cujus curioſa hiſtoria conjecit Jo. Allen (*n*) integrum Abdomen quandoque adimplere ejuſcemodi hydropes, qui in cyſtis incluſi a Gallis appellantur viſceribus coarctatis, & in anguſtias detruſis ſacco ab ovario, vel partibus circa ovarium originem ducentes, qui propterea longius in morbi diſquiſitione progreſſus cum feminam curandam ſuſcepiſſet, quæ ventrem ſenſim intumeſcentem habuerat anni ſpatio ad parturientis magnitudinem, quamque gravidam eſſe Medici ſuſpicabantur, obſtetrices audacter affirmabant, examine prius inſtituto ovarii hydrope laborare, & morbum incurabilem eſſe pronuntiaſſe non modo, ſed mortua jam femina, ſectoque cadavere ſiniſtrum ovarium in adeo ingentem maſſam turgeſcens altero ſano ſtatim agnoviſſe teſtatus eſt: cum idem plane phænomenon alterius feminæ eodem morbo triginta ante annos defunctæ ſectione deprehendiſſet, ſe ſatis habuiſſe cur juſtam, ac legitimam diagnoſim, atque prognoſim caſus protuliſſet, ſcriptum reliquit. Cui quemadmodum explicanda ſit Boerhaavii ſententia, qui ut ſupra vidimus, difficulter cognoſci morbum, & vix ſine inciſo cadavere docuit, viderint alii: neque enim licet omnes ſubtilitates perſequi, præſertim cum meæ debitionis eſſe ſentiam alia proponere, de quibus Phyſici nullatenus dubitent, quæque obſervationibus ſuffulta lites fugiunt omnes, & difficultates. Nemo ignorat innumera vaſa lymphatica in uteri ſubſtantia, & adjacentibus ei partibus reperiri. Tardiorem eſſe, minuſque expeditum ſanguinis per uteri vaſa circuitum ex alibi dictis manifeſta res eſt (*o*). Minus hinc mirari ſubit eadem vaſa lymphatica interdum a largiori lymphæ decubitu, & adfluxu ſic diſtendi, ut magnas in veſicas, quæ hydatides græcis dicuntur, expli-

Z cen-

(k) *M. S. T.* 4. *p.* 4. *cap.* 14. 5. 18. (l) *N.* 381.
(m) *Mem. de l' Acad. p.* 187. (n) *Synopſ. univ. Med. p.* 2. *ar.* 1438.
(o) *Lib.* 5. *cap.* 1. & *lib.* 6. *cap.* 6.

centur. Hæ fere hydropem illum conſtituunt, in quo aquam intra veſicu-las contineri in utero plurimi teſtati ſunt, qui hujuſce rei exempla vide-runt in quibuſdam mulieribus, quibus tales veſiculæ aqua plenæ per ute-rum dejectæ ſunt. Inter Veteres eminent Aetius, Valeriola, Chriſtophorus a Vega, Mercatus, Platerus, Fabricius Hildanus, quos Riverius, & Jo. Fortis ſequuti ſunt: inter Recentiores Salmuthus, & Pechlinus, quorum ille permultas hydatides in uteri confiniis poſt partum difficilem reperit, hinc in hyſterica femina diſſecta, Tulpius qui feminam refert, quæ in utro-que uteri cornu novem circiter aquæ puriſque libras innumeris veſiculis inclu-ſas geſtavit: Rolfinkius, Sydenhamus, Mauriceau, qui peculiarem ejuſce hydro-pis obſervationem a Schenkio relatam affert, atque lectu digniſſimo exem-plo confirmat.

XI. *Quandoque loco ſeroſi humoris aeris particulæ occluduntur, quæ rarefactæ, atque uterum diutius inflantes &c.*] Uteri inflationem, & hydropem ab o-mnibus propemodum Authoribus confundi notavit Riverius (*p*) ita ut in-flationem vocent illum hydropem, qui fit a flatibus, hydropem vero ſim-pliciter dictum, qui ab humore ſeroſo generatur. His tamen minime acquie-vit. Quamdam enim dari uteri inflationem a flatu ſubito irruente, qui mirum in modum diſtendit, doloremque intenſum excitat, quemadmodum in colico dolore contingit arbitratus eſt, eamque ſi non multum perſeve-ret, ſed brevi diſcutiatur hydropis titulo nullatenus inſigniendam. Hinc duplicem uteri hydropem ſtatuendum, alterum quidem a ſeroſo humore, qui Aſciti analogus eſt, alterum vero a flatibus, qui tympaniti aſſimilatur. Hunc Paracelſus (*q*) Steurlinus (*r*), aliique clariores medici adeo ſequuti ſunt, ut uteri hydropem a flatibus prodeuntem non modo tympaniti aſſi-milaverint, ſed tympanitis uterinæ nomine nuncupandum eſſe haud dubie affirmarint, eo quod uterus adeo vehementer diſtendi queat, ut percuſſus venter tympani ad inſtar reſonet, & difficillime ab aliis tympanitis ſpecie-bus diſtinguatur, quarum notis, & caracteribus plane ſimilibus ſtipetur. Quid quod frequentius, quam abdominalis uterina Tympanitis contingat, præſertim poſt partum, aut naturales uteri expurgationes, aliaſque ſimiles affectiones, ut laudati Riverii, Etmulleri, Hoffmanni obſervationibus com-pertum eſt? Sed de his infra. Illud interim ſilentio prætereundem non eſt, clara ejuſce hydropis exempla a Veteribus ipſis Medicis propoſita fuiſſe Sen-nerto in primis (*ſ*) Valeſcum de Taranta memorante, qui Judæam Ulyſſi-ponenſem refert, quæ cum ſe gravidam crederet, eo tempore, quo adven-turus partus putabatur inſigni flatuum copia excluſa, uterus detumuit, tum Matthæum de Gradi, qui idem propriæ uxori contigiſſe narrat, ut Dodo-næi, Thadæi Duni, Solenandri obſervationes mittam a Riverio allatas, quas legi ex fonte malo, quam hic referri. Neque iſtarum rerum ratio in arduo ſita. Cum enim aer in præſtantiſſimis elaſticis numeretur, ejuſque elaſticitas tanto major ſit, quanto minus eſt ſpatium, in quod aer contra-hitur, ideſt quanto denſior ſit, ac ſumma vis inſit calori ad aerem rarefa-ciendum, atque ejuſdem elaterem augendum, cum aer utero incluſus ma-jorem elaterem acquirat, & tanto quidem majorem, quanto anguſtius eſt ſpatium, in quod contrahitur, & quanto magis calore loci, atque adjacen-tium

(p) *Loc. cit.* (q) *Lib.* 3. *de tart. tr.* 2. *cap.* 2.
(r) *Act. Nat. Cur. cent.* 7. *ob.* 20. (ſ) *Prout. lib.* 4. *p.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 10.

tium viſcerum incaleſcit, rarefit, expanditur, eam vim adverſus uteri parietes exercet, ut ſi ipſius orificium conſtrictum jam occluſumque aperiatur, illuc ſtatim irruat, & liberam ſibi viam, aditumque patefaciat, ut de Cholera ſicca alibi dictum eſt (*t*).

XII. *Generales illius cauſæ eædem ſunt, quæ aliarum hydropis ſpecierum, ſoluta ſcilicet nimis ſanguinis compages &c.*] Cum de pectoris hydrope ageremus quatuor modis ſeri collectiones contingere oſtendimus. Primum cum ſoluta eſt nimis ſanguinis compages, ita ut ſeroſa pars a reliquarum nexu ſecedens per vaſorum tunicas exſudet: quod Richardi Louveri experimento confirmatum eſt, qui cum venas variis in locis forti vinculo ligaſſet in canibus, iiſdem diſſectis varias ſeri collectiones etiam non mutata ſanguinis conditione invenit. Deinceps cum laxatus eſt ſolidarum partium tonus, quo fit ut diducantur nimium minimorum lymphaticorum pori, atque ſeroſo humori exitus detur. Tertio cum vaſorum fundentium orificia nimis ampla ſunt, & patentia, cum demum abſorbentium nimis anguſta. Cum enim illa ſecundum naturæ leges ſeroſos, ac lymphaticos humores ad ſuperficiem viſcerum, ac membranarum irrorandam, ſiccitatemque præcavendam in cavitates effundant, hæc vero effuſos eoſdem humores in cavitates reabſorbeant, & ſanguini miſceant, ut Raymundus Vieuſſenius, Bellinus, & Boerhaavius ſunt opinati, ſi per ampla nimis vaſorum fundentium orificia plus ſeroſi humoris effundatur in cavitates, quam per abſorbentium anguſtiam, obſtructionemque in ſanguinem effundantur, hydropem ſubſequi ita clare oſtendimus, ut nullus ſuperſit dubitandi locus. Hæc eſt generalis doctrina, quæ ſi partibus inter cutem, & cranium, aut inter cranium, & cerebri membranas applicetur, ut Schenkius opinatus eſt, aut inter membranas, & cerebrum, ut Aetius, aut inter cerebri plicas, & cavitatibus, ut Boerhaavius, aut omnibus ſimul, ut D. Petit, Hydrocephalo, ſi pectoris cavitati ejuſdem hydropi, ſi imo ventri, Aſciti, ſi Utero, Uteri hydropi dilucide explicando commodiſſime inſervit. Quod autem utero applicari jure merito poſſit, facit potiſſimum lentior, minuſque expeditus per uteri, maxime ſpermatica vaſa in varios cincinnos contortos implicatoſque divaricata circuitus, cujus ſupra meminimus, & inſignis lymphaticorum numerus, quæ in ejus ſubſtantia, & adjacentibus partibus reperiuntur. Quo ſane conſequitur, ut ſeroſa pars a reliquarum nexu non modo citius, & promptius ſecedat, ſed magna copia, atque hinc prædicta vaſa, aut in magnas hydatides explicentur, aut diſrupta miris ſeri inundationibus occaſionem præbeant, ut fere Hoffmannus, cujus ſententia nihil mgnificentius dictum (*u*).

XIII. *Ejuſce vero interni uteri orificii adſtrictio, qua aer intus carceratus &c.*] Cum ſiccus, ſeu flatulentus uteri hydrops, ut Tympanites ſit conſiderandus in remotis ejuſce cauſis aſſignandis, quæſtio eſt inter Medicos tanta, ut nil ſit illuſtrius. Mitto jam Veterum ſententiam, quorum alii frigidam intemperiem accuſarunt, alii calidam, cum debilis caloris cantilena, a quo flatus generari docuit Galenus, aut humoris melancholici, aduſti, atrabilarii, qui a calore viſcerum torrefaciente generatur, quique eumdem humorem exagitat & ex eo flatus craſſos, ac difficile reſolubiles educit, ita aures feriat, ut ſi quis Veteres ſumma veneratione proſequens eam re-

(t) *Lib. 3. cap. 2. p. 20.* (u) *Loc. cit.*

recinat, ut Medici dignitate cadat dignus exiſtimetur. Alio enim nos avocat Littrius (*x*), qui monſtroſam Tympanitidis molem ventriculi, & inteſtinorum inflationi deberi exiſtimans, ventriculum ipſum, & inteſtina quaſi muſculum cavatum ſpectari poſſe, cui aer incluſus eſt antagoniſta primum animadvertit: deinceps parietes inteſtinorum, & aerem internum eſſe tamquam duo ἐλατρα ſe mutuo indeſinenter impellentia conſtituit. Quamdiu hæ duæ poteſtates æquipollent ventriculum, & inteſtina alternatim ſe contrahere, & dilatare ſalva dimenſione naturali, atque ſuis officiis obeundis eſſe paria: ſi autem laterum ventriculi, & inteſtinorum ſyſtole vim elaſticam aeris incluſi ſuperat, fiſtulam inteſtinalem ſupra modum coarctari: e contra ſi quando fibrarum inteſtinalium vires elaſticæ quoquomodo imminuantur aerem incluſum canalem plus juſto dilatare, & quo debilior eſt inteſtinorum elaſticitas, eo majorem evadere eorum capacitatem, unde Tympanites ortum ducit, haud dubie aſſeruit. Ex quibus liquido apparet tympanitidis cauſas in amiſſa, aut valde diminuta viſcerum elaſticitate repoſuiſſe, quæ eſt difficillimi non modo, ſed incurabilis affectus ratio; fibræ enim laxatæ ſe contrahere rurſus nequeunt, aut ſaltem admodum debiliter, & proinde ventriculus, & inteſtina non niſi imperfecte admodum officia ſua peragunt, in quantum præcipua earumdem energia, & operatio a contractione, dilatatione, & motu periſtaltico magnopere pendent. Vir clariſſimus Regius Primarius in Valentiana Facultate Medicinæ Profeſſor Franciſcus e Paula Combaluſier cum animadvertiſſet, quam obſcuræ, & difficultatibus undique circumvolutæ ſint flatuum cauſæ, ac quam pauci hactenus Scriptores argumenti gravitati ſedulo, & accurate incubuerint, eo nervos induſtriæ omnes intendit, ut quam maxima poſſet claritate rem illuſtraret. Quamquam eventui non tanta felicitas adfuit, ut de ſe ingenue confeſſus non fuerit optatum finem nullatenus attigiſſe, atque in eam ſolum ſpem adductum fuiſſe, ut crederet demerſam rei veritatem media ſibi via incedenti, ac ſedulo ab extremis deflectenti ſubodorari ſaltem licere (*z*). Hiſce potiſſimum de rebus factum eſt, ut quibus rationibus elapſo fere Sæculo cl. Fienus librum *de flatibus humanum corpus moleſtantibus* conſcribens, eoſdem a Stomachi frigiditate, hepatis vero caliditate commentus eſt, iis plane ſimilibus in eam ſuſpicionem venerit partim a laxitate, partim ab adſtrictione uno eodemque tempore inſignem cibi canalem occupante repetendos eſſe: in hoc curationis difficultatem ſitam, quod ea remedia, quæ huic deobſtruendo vitio ſunt comparata, alteri augendo, aut confirmando opportuniſſima exiſtunt. Hinc adverſus Littrium lis conteſtata longe graviſſima. Cuinam vero rationi hæc ſententia innitatur, breviter videamus. Primum igitur Combaluſier ſic conjicientem admonuit obſervatio Tympanitim ſæpiſſime uteri affectionibus, aliiſque morbis, quos ſpaſmus claros facit, ſupervenire, deinceps cum inſigni alvi ſtypticitate conjungi, quam non ad aliam meliorem cauſam referas, quam ad inteſtini recti, ad ani ſphincteris ſtricturam ſpaſmodicam, qua fæcum dejectio prohibetur. Ejuſce porro convulſivæ affectionis argumentum prope certiſſimum eſſe videtur dolor, quocum morbus invadit atrox, & ferox, quam qui maxime, qui acuto jam morbo, ac confirmato deletur. Corroborantium demum, atque calefacientium inefficax operatio, quando ſola peccante laxitate ſi non citam, atque ino-

(x) *Mem. de l' Acad. an.* 1713. (z) *Pneumato-patholog. pag.* 41.

inopinatam opem, aliquam ſaltem levationem eadem afferre oporteret, quod iis ſaltem, quibus effectus duntaxat adnotare animus eſt, hocce in morbo adſtrictionis inditium ſatis validum præbet. Non me præterit tamen, quid hiſce objicere ſoleant ii, qui pro laxitate, quam in Tympanite adeſſe contendunt acriter dimicant: nempe quod primo loco opponit Combaluſier, præterquamquod indirectum eſt, illud etiam accedere, ut non modo Littrii opinionem deſtruat, ſed potius confirmet, quandoquidem conſtat, & ipſe Combaluſier pluribus in locis adnotavit (*a*) ordinarium ſpaſmi effectum laxitatem eſſe, atque paralyſim. Quibus ſane rite perpenſis ad laxitatis præſentiam in Tympanite ſtatuendam facile ducuntur. Ventris ſtypticitatem quod ſpectat tanti faciunt, quanti poſſunt, cum notum omnibus ſit planeque perſpectum fæces periſtaltici motus vi ad anum deferri, ac tum propterea ſegnem eſſe alvum, cum ille idem motus languidus eſt; vel ipſo fatente Combaluſier periſtalticum motum fæcum ſeparationi ſollicitandæ inſervire (*b*) ac ſegni eodem facto haſce diutius ſubſiſtere (*c*). Si de dolore quocum morbus aggreditur ſermo ſit, qui morbo confirmato deletur, id quidem Littrii ſententiæ tantum robur addere, ut nihil magis. Neceſſario id enim fieri arbitrantur, quod ſenſim ſenſimque deficiente vitali ſpiritu una cum motu perit ſenſus, atque propterea initio morbi diſtenſio ægris moleſta percipitur, non vero morbi progreſſu, utcumque major contingat. Neque multum iis demum negotii faceſſit experientia, qua compertum eſt morbum corroborantium, ac calefacientium remediorum vim eludere, quando levationem afferre oporteret, ſiquidem id firmum, & conſtans eſt, ut nullis demum cujuſvis generis medicinis morbus cedat, & ſi forte quis convaluerit, neminem certe adeo fortunatum fuiſſe conſtat, qui flatus diſcutientia medicamenta non adhibuerit, & ſanitati ſit reſtitutus. Ita egregius vir meique amiciſſimus Jo. Verardus Zeviani, qui librum Italo idiomate de flatu conſcribens (*d*) Littrii opinionem ſequutus alteram Combaluſier altiori voce damnavit, & quantum ei licuit de medio tollere conatus eſt. Quo fine ut melius adhuc potiri poſſet alias rationes ſubdit, quibus ſuadere quemque facile poſſe exiſtimat, ut ſic ſuo adverſario Combaluſier diſſentiat, quantum hic diſſentit a veritate. Avet enim illud in primis intelligere, an velit ſpaſmum toto eſſe canali communem, vel vero uni alicui ipſius parti. Si primum tantum abeſſe, ut ventris diſtenſio contingat, ut cum ſpaſmi maxime proprium ſit fibras criſpare, ac contrahere ea ratione, qua canalis diameter anguſtior evadat, detumeſcentia ſequatur neceſſe ſit. Sin alterum, ut Combaluſier placuit, aut tota cavitas omnino coarctatur, vel contra. Si coarctatur omnino, aſſequi non poteſt quomodo alimentum, & fæces ſuas naturales ſemitas metiri queant, ac novus aſſidue aer illuc affluere, ut diſtenſio magis increſcat, cum intus carceratus paulatim abſorbeatur, & diſſipetur oporteat. Sin canalis omnino non coarctetur, cur intus occluſus non elabatur omnino non videt. Undenam ructus, & flatus per inferiora cum levamine erumpentes ſint repetendi, quandoquidem conſtans eſt coarctatio, nec ſitum mutat ſubtilius inquirit. Undenam tanta ſpirituum copia in debili ſumma, ac longa morborum ſerie langueſcente corpore, qua firma fibrarum contractio formetur, quæque ad hoc opus eſt neceſſaria, in eoque con-

(a) *Loc. cit. in prolog. & p. 122. 126. &c.* (b) *Ibid. pag. 68.*
(c) *Ibid. pag. 87. 197.* (d) *Del flato a favore degli Ipocondriaci lib. 1. p. 87.*

conſumitur ſe ignorare fatetur. Si coarctatio quandoque deficit, cur eodem ipſo temporis momento, quo fibræ ſunt relaxatæ aer non elabatur, cur in tanta cauſarum mutatione vel ad plures Menſes morbus atrox, & ferox quam qui maxime protrahatur, curioſius ſcrutatur. Difficultatibus etiam reſpondet, quæ a ſectatoribus Combalufier afferri poſſent morbi diuturnitatem ad fibrarum diſtenſionem plus æquo longam referentibus, qua facultatem ſeſe reſtituendi, alioſque tremores ſuſcipiendi amiſerint ad aerem expellendum idoneos, in quo potiſſimum laxitatem ſitam prætendit, remediis corroborantibus pertractandam, quamvis a ſpaſmo oriundam, qui contraria poſtulat medicamenta. Quæcumque demum ſit ſpaſmi natura veritati ſumme conſonum ei videtur aſſerere venæ ſectionibus, diluentibus, oleoſis, quæque Animalium fibras cito emolliendi, ac relaxandi virtute donantur faciliime ceſſurum, cum in caſſum laborent, qui in iis unum aliquod præſidii genus invenire adnituntur. Heu Wiliſie quid molitus es tuo illo tumultuario, cæcoque ſpirituum Animalium in fibras ubique nerveas illabentium impetu, atque hinc ſpaſmodica tunicarum inteſtinalium ſtrictura, in qua ejuſce morbi cauſam repoſuiſti, cum ea diutius inhærente pori, & meatus inteſtinorum, per quos vapores tranſpirant, anguſtentur, & obſtruantur, ut poſtea intus retenti vi ſua elaſtica propter admixtum aerem expanſiva tam violentam diſtenſionem efficiant? (*e*). Quid quæſo Hoequete (*f*) Baglive (*g*) Blacmore (*h*) Hoffmanne (*i*) cogitaſtis, qui reliquis mentis conatibus aliud non ſuadentibus hanc ſententiam tot tantiſque difficultatibus impeditam complexi eſtis, nec ideo pertractaſtis, ut ſatius eſſe videretur eam, qua fieri poteſt conſulto declinare, atque difficillimam diſputationem aliis relinquere? Miror non vidiſſe vos ſpirituum materiam non tam levis momenti eſſe, operiſque, ut plus quam par eſt etiam per morbi vim in cerebro ſeparetur, nec fieri ullo modo poſſe, ut fibræ per rapidum, & nunquam intermiſſum eorumdem affluxum ita in arcum tendantur, ut aer ad vacuum occupandum ſpatium avocetur, cum potius in rectam lineam diſtendi oportere videantur, atque hinc ventris duritiem quidem, non inflationem tamen ciere. Si hæc, atque alia multa, quæ brevitatis cauſa juvat de induſtria præterire vera ſunt, aut ad veritatem propius accedunt, nulla ſententia tot ſectatores mereri videtur, quot ea, qua Littrio duce ſtatutum eſt Tympanitidis cauſam in amiſſa, aut valde diminuta viſcerum elaſticitate reponendam eſſe: attamen non levia ſunt, quæ eidem nos quoque acquieſcere non ſinunt. Primo enim, qui rem paulo diligentius expenderit, difficillime eo adduci poteſt, ut credat Combaluſier obſervationem, qua deprehenſum eſt Tympanitim ſæpiſſime uteri affectionibus, aliiſque morbis convulſivis ſupervenire tam parvi faciendam, ut pro nihilo reputetur. Indirecte enimvero eam Littrio opponi non facile dixerim, cum in arduorum non modo, ac perdifficilium morborum, ſed in communium quoque clariorumque cauſis inquirendis non modo ad affectiones maxime proprias ſit attendendum, quibus ſtipantur, ſed ad cauſas etiam antecedentes, ex quibus certum quandoque cum fluidarum, tum ſolidarum partium conſtitutionis erui poteſt argumentum. Certius adhuc ſuppetit ex prægreſſorum morbo-

(e) *Pharm. rat. p.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 4. (f) *La Medicin. naturelle. tom.* 2.
(g) *De fib. motrice.* (h) *Diſſert. on a Dropſy a Tympany &c.*
(i) *Med. S. T.* 4. *p.* 4. *cap.* 15. *ſect.* 13.

borum cognitione, quorum indolem alii ex ordine prodeuntes graviores ſævioreſque plerumque retinent. Sed ſentio jam quantum mihi diſcriminis reſtet cum Littrii ſectatoribus, qui cum ab ipſo Combaluſier didicerint ordinarium ſpaſmi effectum laxitatem eſſe, atque paralyſim, telis ſuiſmet ipſis vulnerari conſtituunt. Recte illi quidem, ſi tantus ſit ſpaſmus, & convulſio, ut pori ductus, atque emiſſaria ſpiritibus in nervos percolandis derivandiſque comparata occludantur, ut naturalis eorumdem a Cerebro ad partes, a partibus ad Cerebrum excurſus reſtitui non poſſit. Idque in Colica Pictonum non raro contingere Baglivii præſertim obſervationibus ducti alibi oſtendimus (*k*) cujus vehementia tanta eſt, ut ejus ſymptomata vix explicari dicendo, aut percenſeri numerando poſſint. Uſtionis enim ſenſus, morſus, punctura, urinæ ſuppreſſio, virium languor, extremorum refrigeratio, ſudores frigidi, præcordiorum anxietates, animi deliquia ad dies plures ægrotantem exercent eo uſque dum ceſſante aliquando doloris vehementia æger moleſtam quamdam ſenſationem per Spinalem medullam percipiat, qua brachiorum ac crurum nervis propagata eorumdem paralyſis ſubſequitur. Hanc potiſſimum a forti, ac vehementi convulſione nervorum a pari vago, & intercoſtali in inteſtina confluentium non immerito repetendam conjecimus, qua tenuiſſima nervorum filamenta, maxime illorum, qui extra Cerebrum ſiti ſunt ita contorquentur, vitiantur, ac læduntur in ſua ſtructura, ut tenuiſſimo liquido nerveo vehendo impares evadant. Inteſtinorum autem paralyſim ſequi a nemine adhuc, quod ſciam demonſtratum eſt. Sed agemus largius, & inteſtinorum quoque paralyſim ſequi non ægre conceſſerimus, ſi ita rem ſe habere ejuſce ſententiæ patroni ſuſtineant, dummodo tamen & illi affectiones doceant maxime proprias, quæ eorumdem viſcerum reſolutionis certum præbeant inditium. Nullus jam dubito ventris ſtypticitatem aſſignari, quam a langueſcente periſtaltico inteſtinorum motu repetunt: neque haud inficias ire auſim id quandoque hac de cauſa contingere, illud tamen perlibenter ſcirem, quam ad cauſam ventris ſtypticitatem adeo inſignem, ut neque medicamentis purgantibus, neque clyſteribus, nec ſuppoſitoriis acribus non modo non cedat, ſed augeatur potius, ac confirmetur concinnius referri poſſe exiſtiment in colicis ipſis affectionibus bilioſis, hyſtericis, flatulentis, aliiſque convulſivis morbis, quos totius corporis, omnium fere viſcerum ſpaſmus claras facit, quæque oleoſis medicamentis, emollientibus, laxantibus, anodynis, opiatis ipſis tuto feliciterque profligantur. Ad inteſtinorum ne laxitatem potius, & paralyſim, quam ad adſtrictionem, & convulſionem? Undenam e contra repetenda iis videatur involuntaria urinæ, & fæcum dejectio, nec ægris animadvertentibus in fortibus apoplexiis, in quibus liber ſpirituum a Cerebro ad partes, & viſcera motui cum naturali, tum voluntario inſervientia, & ab his ad Cerebrum excurſus prohibetur omnino, aut maximopere langueſcit in paralyticis Sphincteris ani, & veſicæ affectionibus, aliiſque laxitate inſigni ſeſe prodentibus? Utrum a contraria cauſa adſtrictione ſcilicet, & ſpaſmo, ii viderint. Illud interim non levi quoque difficultate laborare judicaverim, quod de dolore, quocum Tympanitis invadit conſulto protulerunt, qui morbo diutius protracto miteſcit. Qua

(k) *Lib.* 3. *cap.* 5. *com.* x. *pag.* 59.

Qua enim ratione Littrii ſententiam confirmet omnino non video. Immo ſpaſmodicæ potius conſtrictiones favere videntur. Ejuſmodi enim dolor eſſe debet, ut cujuſvis medicamenti vires eludat, ut egregie docuit Hippocrates (l): *Quibus tormina adſunt, & circa umbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque a medicamento, neque aliter ſolvitur, in Tympanitem, ſive hydropem ſiccum firmatur:* quæ protenſo veluti digito commonſtrant genuinam Tympanitis cauſam in convulſione, cujus inditium ſatis validum præbet pertinax, ac diuturnus morbus quam qui maxime, eſſe agnoſcendam, quæ in inteſtinorum ſaltem extremitatibus etiam protracto morbo ſervatur, utcumque dolor ſenſibilis non percipiatur: ſuperato nimirum a vi aeris elaſtica reliquarum fibrarum elatere, & eodem inter extremitates coercito ea ratione, qua diſtenſio, & inflatio totius Abdominis, ut fere veſicæ luſoriæ contingit; ſubſequatur. Cui quidem aeris carcerationi inter extremitates plurimum tribuunt varii inteſtinorum anfractus, & circumgyrationes, quibus longiſſimus ceteroquin canalis anguſto ſpatio continetur. Ad probandum autem ulterius rem hanc ita ſe habere, nemo a nobis merito poſtulaverit, ut pronuntiemus, quænam medicamenta ad hunc profligandum morbum ſint opportuna, cum ob id potiſſimum nullis cujuſvis generis medicinis cedat, quod ea quæ laxatis præ diſtenſione fibris corroborandis inſerviunt, extremitatum ſpaſmum adaugent, & contra quæ huic deſtruendo vitio ſunt paria, alterum confirmant. Jam vel nobis nolentibus illorum curioſitatem explevimus, qui intelligere avebant, an ſpaſmus toto eſſet canali communis, vel vero uni alicui ipſius parti, cum ſpaſmum extremitates occupare diximus, laxitatem reliquum tractum, iiſque difficultatibus reſpondimus, quæ ex ſpaſmi indole tunicarum fibras criſpandi, & contrahendi ea ratione, qua canalis diameter anguſtior evadat deſumptæ ſunt. Ecquis enim vel rudioris ingenii ſuaderi poterit aere inter duas extremitates coercito ſeſe expandente, rarefaciente, adverſus membranas inteſtinorum nitente non ventris inflationem, ſed detumeſcentiam ſequi oportere? Coarctationem quod ſpectat nil prorſus diſſimilem eſſe tam ipſi nos intelligimus, quam qui maxime, ab ea quæ in prædictis colicis affectionibus, bilioſis, hyſtericis, flatulentis accidit, & in quibus ſenſibilis ventris inflatio percipitur decem, quindecim, viginti, & ultra dierum ſpatio perdurans, ac propterea, duratione temporis ab hydrope ſicco, ſeu tympanitico differens, ut cum Riverio initio fere animadvertimus. Vel enim omnino coarctata ſint inteſtina, vel non, alimentum tamen ingeri, & fęces licet ægre admodum ac difficulter dejici videmus, nec ideo intus occluſum aerem elabi, ſed novum aſſidue illuc affluere pro nova inflationis materia, ac pabulo. Si igitur viginti, & ultra dierum ſpatio hæc phænomena firmiter, conſtanterque fieri experimur, cur eadem permanente cauſa ad annos etiam perduci inflationem in dubitationem revocare amplius auferimus? Quamquam coarctata omnino inteſtina ſi velint, non multum pugnabimus; & ructus, & flatus per inferiora cum levamine erumpere haud dubie aſſeremus tunc potiſſimum, cum acuto ſpaſmo, & aere anguſtiori ſpatio coercito vim tantam acquirit, ut adverſus membranas inteſtinorum nitens, eaſdem ea ratione diſtendat, quam ferre diutius non poſſint, unde ſui elaterii vim adhuc exercentes contentum aerem explodunt, ex quo flatuum qua data

(l) 4. *aph.* 2.

data porta eruptio proficiſcitur . Erumpente aere tunicæ, quibus coerceba-tur, minus diſtendantur diſtrahanturque neceſſe eſt, hinc levamen, ut phy-ſicis experimentis ducti citato loco demonſtravimus . Jam tanta ſpirituum copia in debili ſumme ac larga morborum ſerie langueſcente corpore, qua firma fibrarum contractio formetur; undenam repetenda, plena res ambagi-bus viſa . Non eſt mirum ſcrutinio illuſtres viros inſudaſſe : neque enim aliud aut rei amplitudo, aut virium firmæ fibrarum contractionis origo abditiſſima aliud poſcebat . Si tamen ſedulo, & accurate perpendiſſent ad convulſionem vel ipſorum muſculorum, ad unius alicujus partis conſtrictio-nem, ad alterius laxitatem uno eodemque tempore vigentem efficiendam nec multa ſanguinis, & ſpirituum copia opus eſſe, nec eorumdem particu-lis nimis ſubtilibus, atque acuminatis, vel fortibus, duris, ſolidiſque, ut de Mania præſertim dictum eſt (*m*), ſed ſolam quandoque ad illam ſuffi-cere ablatam conjunctionem partium ſanguinis, & ſpirituum, ad hanc de-biliorem ipſorum ſpirituum craſim, arduum futurum reor, ut ſuam adhuc voluiſſent opinionem pugnaciſſime ſuſtinere. Jam etiam me tacente facile omnes intelligunt de convulſione ex inanitione ſermonem prius eſſe, quam viri præclariſſimi Hippocrates, & Galenus fieri tradiderunt, & alibi nos i-pſi dicendo explicuimus (*n*). Cum enim motus Animalium a fibris muſcu-laribus, tamquam ejus inſtrumentis dependeat, deinde a ſpiritibus Anima-libus, & ſanguine in eaſdem confluentibus, cavitateſque vel cellulas inflanti-bus, ſi forte exhauſtus majorem in modum fit ſanguis, capillares arteriæ, præſertim quæ ob anguſtiam omnium maximam in proximas venas amplio-res ſanguinem exprimunt, ita ſe contrahant neceſſe eſt, ut eo expreſſo de-pleantur, & conjunctionem partium ſanguinis dirimant, quod cum modo in his, modo in illis arteriis capillaribus contingat, ſanguis modo in unum, modo in alium muſculum definit influere, interea dum influit in antago-niſtam. Ille fibris non inflatis, neque contractis otiatur, dum hic contra-ctus agit, unde involuntarii, & irregulares motus. Quid quod ob ablatam partium ſpirituum conjunctionem eadem phęnomena in viſceribus conſtanter eveniant? Ablata enim eorumdem partium conjunctione fieri minus poteſt, quin in perturbatum, & irregularem motum agantur : quo ſane conſequi-tur, ut in quaſdam nerveas fibrillas plus ſpirituum confluat, in alias par-cius, quam naturæ ordo poſtulet, ſicque quaſdam ſpiritibus uberius influen-tibus inflari, tendi, quaſdam eorumdem influxu deſtitutas exinaniri, flacce-ſcere, relaxari, atque hinc ſpaſmum ſimul, & laxitatem oriri. Hinc debile ſit quidem corpus, & longa morborum ſerie fatigatum : ob id ipſum quod tales ſint ægri, atque debiliori ſpirituum craſi donentur, in hunc morbum facillime labuntur. Vel enim quod rarioris, & debilioris compagis ſint, vel quod aliquo ſint vitio coinquinati in irregularem motum aguntur, ner-vea filamenta varie, atque inordinate concutiunt, hinc unius partis con-ſtrictionem, alterius laxitatem progignunt tamdiu duraturam, quamdiu fir-ma conſtantique cauſa foveatur . Hæc ubi altas in penetralibus viſcerum radices egerit, illud ſolidarum partium vitium progignit, quod cum Me-thodicis Medicis Cęlio Aureliano, Fernelio, & Profpero Alpino Methodicæ Medicinæ inſtauratore mixtum vocare poſſumus, ex ſuperante ſcilicet ſoli-darum partium tono, quam adſtrictionem compreſſionemque, & deficiente

A a quam

(l) *lib.* 1. *cap.* 5. *p.* 46. (m) *lib.* 1. *cap.* 8. *p.* 144. (n) *Ibid.*

quam laxitatem, vel atoniam dicebant. Cujus cauſa cum ex eo repetenda ſit, quod ſtaminum, ex quibus conſtant contextus partim nimis rarus, & laxus redditur, ut meatus, & pori nimis magni, & crebri interjiciantur, partim nimis ſtrictus, ut poruli exiles admodum paucique interjiciantur, vel difficillime, vel nulla penitus ratione evelli idem funditus poſſe perſpicuum eſt. Hinc morbi diuturnitas præſto eſt, quam aſſequi in noſtra ſententia non potuerunt adverſarii. Exiſtiment nunc illi, Tympaniticam affectionem corroborantibus pertractandam, nos ea tanti facimus, quanti poſſumus, quibus non modo objiciuntur ſpirituum, & nervorum filamentorum vitia cujuſvis medicamenti vires plerumque eludentia, ſed ſequutus jam diſpar tonus mixtus ex laxitate, & adſtrictione, quem tollere medicæ artis non eſt, cum novum hominem, ut egregie docuit Aretæus, moliri non valeat. Corruere hinc rationes omnes laudabileſque conjecturas ſuper aliis excogitatis principiis adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla. Grates tamen Littrio, ejuſque ſectatoribus habendæ, qui laxitatem oblivioni fere traditam poſteaquam Wiliſius, Hecquetus, Baglivus, Blacmorus, Hoffmannus aliique Mechanici ejuſce morbi cauſam in ſpaſmum retulerunt, denuo revocantes anſam aliis dederunt duce Combaluſier ad aſſerendum, eamdem ab utraque uno eodemque tempore vires ſuas exercente repetendam eſſe.

XIV. *Quam gignunt aer frigidior poſt partum imprudenter utero ſuſceptus, graviora animi pathemata &c.*] Sed non in ea rationum inopia verſamur, ut non aliunde argumenta ad genuinam hanc morbi rationem confirmandam conquirere valeamus. Crebris enim obſervationibus Etmulleri, Riverii, Hoffmanni aliorumque compertum eſt inflationem tympaniticam ſexui feminino quam maxime eſſe familiarem, præſertim poſt partum, quando lochiorum fluxus non rite ſuccedit, aut frigore animique affectionibus cohibitus eſt. Quo loco nonnulla ſunt in memoriam revocanda; quæ de affectu hypochondriaco, & hyſterico alibi a nobis dicta ſunt (n) juxta Sydenhamii mentem, quæ prædictos morbos a ſpirituum ἀταξίᾳ tanquam a proxima cauſa repetit, ſeu inordinato, perturbatoque eorumdem motu propter debiliorem craſim, ita ut facile diſſipentur, & a levi etiam cauſa commoveantur, quam Mulieres præ viris fortitæ ſunt. Tribuunt enim hæc plurimum ad infirmandam illorum opinionem, qui ad inteſtinorum, uteri, aliarumque partium ſpaſmum efficiendum inſigni ſpirituum copia opus eſſe ſunt arbitrati, quam per morbi vim in Cerebro ſeparari poſſe non vident. Ob id enim quod ſpiritus pauciores ſint debilioreſque in eas turbas aguntur, quibus nonnullarum fibrarum laxitas, aliarum contractio ſequatur, ſicque aeris particulæ in cavitatibus occludantur Tympaniti anſam daturæ. Occludi autem facili negotio contingit in puerperio, propterea quod aperto uteri orificio, cum inter ceteras proprietates ea ſatis inſigni donetur aer quibuſcumque vel minimis apertis rimis illac celerrime perfluendi, uteri cavitatem ingreditur: egredi autem quandoque datum non eſt oſculi conſtrictione accedente ob ſuſceptum frigus, vel ejuſdem obturatione ob ſuppreſſum lochiorum fluxum, quæ frigidæ in aquam demerſioni plerumque ſupervenit, vel poſt partum, & abortum laborioſum, quos conatus adeo inſignes, ac niſus comitantur, ut quandoque fibrarum uterum conſtituentium contuſio, attritio, diſruptio ſequatur, unde inæqualiter tenſæ convul-

ſionem

(n) *lib.* 3. *cap.* 8. *com.* 7.

ſionem, excitant, qua oſculum conſtringi contingit, & intus ingreſſum aerem detineri. De peculiaribus uteri morbis, ulceribus præſertim, aliiſque ejuſmodi res eſt luce clarior. Sanie enim & ichoribus corroſivis continuo effluentibus ſenſiles uteri fibræ in eas inæquales contractiones aguntur, qua oſculum conſtringatur neceſſe eſt, unde particularum aeris carceratio. Quos ſpaſmos, quas convulſiones non patiuntur eædem in hyſtericis affectionibus, quibus lympha genitalis, aut ſanguis, aut alius humor in utero conterminiſque partibus retentus, corruptus, extraneum corpus in ſuppurationem tranſiens, aliaque id genus alibi recenſita (o) occaſionem præbent? Quæ cum vera penitus ſint, quis audeat id ſibi arrogare, ut contendat ſpaſmum a Tympanitidis uterinæ cauſis eſſe ablegandum?

XV. *Si quæ tumore corripiatur molli, & flaccido ventris fundum occupante &c.*] Aſcites, & uteri hydrops facile inter ſe confunduntur. Neque enim aliud diſcrimen intereſt, quam quod in Aſcite aquæ in cavitatem Abdominis effunduntur, in uteri hydrope in ejus tantum cavo colligitur. Hinc eſt, quod Aſcites Abdomen univerſum æqualiter diſtendit, uteri hydrops eam ſolum regionem, quam occupat, ventris ſcilicet fundum. Mollis in utroque tumor eſt, flacciduſque, quod a ſeroſo humore effuſo producitur, cujus eſt preſſioni minus obſiſtere. Solet etiam utrumque comitari pallor, macies totius corporis, ſitis. Cum tamen in Aſcite major ſit effuſi humoris copia, ac ſanguis nutritioni impar reddatur, atque ea ratione afficiatur, qua totus in ſeroſum, atque aqueum humorem reſolvatur, ſolet etiam pallor, macies, ac ſitis citius ægrotantem aggredi, quam in hydrope uteri, in quo eadem ſerius, & ſenſim, ſenſimque contingunt, ut adnotavit Riverius; nunquam, ut Etmullerus. Aquæ fluctuantis ſenſus in Aſcite quoque percipitur, cum ab uno in alterum latus ſe ægrotantes convertunt, ſed toto ventri communis; aqua eodem repleto, cum in uteri cavitate collecta in eo ſpatio tantum ſe prodat, quod uterus occupat. Quæ quamvis omnia ſimul ſumpta non leve uteri hydropis præbeant inditium, vileſcunt tamen, ſi cum aquæ ex utero affluxu comparentur, quæ aquam in utero contineri tam clare evincit, ut nihil magis. Quod & de veſiculis aqua plenis intelligendum, quæ ubi comparuerint, ut obſervationibus conſtat ſuperius allatis, de quovis alio hydrope omnem tollunt dubitationem: quod de Aſcite ab aquis clauſis in ſuis ciſtis, quem fallere egregie docuit Boerhaavius, affirmari non poteſt.

XVI. *Si vero imus venter percuſſus ſonitum edat, doloribus prematur pungitivis &c.*] Uterum aere diſtentum intumeſcere æque ac inflatum in gravidis, & ſenſim augeri; Menſes ſimul ſupprimi, aut parcius fluere, quin & lac in mammis generari, unde tales ſe gravidas eſſe credunt, adnotavit Etmullerus: immo in hoc ſtatu manere ultra geſtationis tempus ad annum integrum, vel diutius, & poſtea vel medicamentis, vel ſupervenientibus doloribus parturientium, vel interdum ſine his aliquos bombos, & flatulentias ex utero excludere, ac ventrem ſubſidere. Interdum vero ſine manifeſta flatuum eruptione inſenſibiliter exhalare, ac ventrem pari, quo increverat gradu ſenſim detumeſcentem ſpem vanam eludere cum Etmullero Sydenhamus ipſe animadvertit. Hæc quæ inflationis ſigna dicuntur, uterinæ tympanitidis ſunt. Nomine enim tantum differunt iſti affectus, cum ab

(o) *ſuper. cap.*

ab aliis ccus hydrops, aut flatulentus uteri, ab aliis mola ventoſa, inflatio, aut matricis ventus appellentur. Cum autem illud maxime proprium ſit, percuſſum ventrem tympani ad inſtar reſpondere tympanitidis nomen jure merito adepta, ut ſupra demonſtratum eſt. His accedere dolores pungitivos, qui per ſeptum tranſverſum, ventriculum, lumbos, umbilicum, aliaſque partes excurrunt, facit inſignis tunicarum, quibus uterus contextus eſt diſtenſio, qua extremitates nervorum, qui per ejus ſubſtantiam diſſeminantur vehementiores, atque inordinatas contractiones ſubeunt, quæ ipſius ligamentis, aliiſque adjacentibus partibus communicatæ prædicta ſymptemata inducunt. Per laxitatem certe, quam in tympanitide Littrius, ejuſque Aſſeclæ adeſſe contendunt minus apte explicari poſſe videntur. Laxatæ enim partes ſummam fibrarum diſtenſionem, diſtractionemque patiuntur vel ſine ullo prorſus dolore, vel obtuſo tantum, & gravativo, non pungitivo, quod eſt ſpaſmi inditium clariſſimum, ſi quod aliud. Ab hoc eodem ſpaſmo ad reliquas corporis partes Pharyngi præſertim violenter, magnoque impetu propagato globi ſenſus, aliaque ſymptomata proficiſcuntur, quæ hyſtericæ quoque affectioni communia ſunt, quæque ad eumdem ſpaſmum referenda eſſe ita alibi oſtendimus, ut nullus ſuperſit dubitandi locus. A cibo, & potu malum exacerbari non aliam ob cauſam facile equidem judicaverim, quam ex eo quod cibi calore intus occluſæ aeris particulæ magis magiſque rarefiunt, majoremque elaterem acquirunt, unde diſtenſio major, irritatio, ſpaſmus, ac morbi augmentum. Quid quod ipſius ventriculi, & inteſtinorum preſſio major facta poſt cibum huic eidem operi tribuat? Quæ quidem tanto major eſt, quanto magis aere ipſius ventriculi, & inteſtinorum cavitate vi ejuſdem ſpaſmi contento, diſtenduntur. Hinc non immerito conjectandum videtur a ructu frequenter erumpente melius habere ægrotantes, quod & uteri preſſio tollitur, & ventriculi, & inteſtinorum diſtenſio evaneſcit.

XVII. *Quid ſi hæc omnia ſymptomata non paulatim miteſcant, quo magis ad nonum properatur Menſem &c.*] Putant & graviditate ſimplici laborare Mulieres, cum & graviditate, & hydrope ſimul laborent. Quod Platerus, Ettmullerus, Hoffmannus aliique agnoverunt, & rationibus non modo, ſed obſervationibus confirmavit cl. Mauriceau. Cum vero hydrops ab aquis in uteri cavitatem effuſis proficiſcatur, eumdem diſtinguendum eſſe ab uteri inflatione, quæ ab inſigni aquæ copia dependet, cui fetus ſuis membranis incluſus innatat egregie animadvertit, quæque ita ventrem diſtendit, ut duos treſve fetus continere videatur, cum unicus tantum geſtetur, iſque valde debilis, deficiente ſcilicet majore nutritionis parte, quæ in ſeroſum humorem reſolvitur. Si ante conſuetum partus tempus ejiciatur ſeroſus hic humor, certum hydropis capi argumentum conſtituit extra fetus membranas eodem effuſo. Cæterum fetum ipſum poſt aquam exire oporteret, membranis, quibus continetur diſruptis. Quam quidem philoſophandi rationem firmam eſſe, ac in dubium a nemine vocandam præclariſſima teſtantur exempla Mulierum, quæ cum fetus geſtarent ante partum inſignem non modo aque fluxum ex utero paſſæ ſunt, ſed membranas diſrumpi ipſis oportuit, quibus vera fetus aqua continebatur, ut felici eventu prodiret. Cum id ſe expertum eſſe refert præcl. Auctor in quadam Muliere, quæ mortuum non

(p) *cap. 5. c. 3. lib. 5.*

non multo ante fetum geſtabat, tum extraordinarium in alia caſum vidiſſe narrat, quæ cum tertium circiter cum dimidio gravidationis Menſem age-ret, derepente acerbis doloribus preſſa, ut in abortus diſcrimine prope cer-tiſſimo conſtituta videretur miram aquæ copiam ejecit, nec tamen ante conſuetum geſtationis tempus fetum edidit (mirum) incolumem, vegetum, robuſtum, cujus membranæ illæſæ adhuc, atque integræ ſervabantur. O-mni igitur ſtudio animique contentione cavendum eſt, ne per fallacia ſigna in fraudem inducamur certum de hydrope judicium ferentes, cum gravidæ ſint Mulieres, aut e contra gravidationis, cum hydrope laborent: aut de hydrope tantum & gravidatione, cum utraque ſimul afficiantur. Huic qui-dem operi multorum voluntas non defuit, paucorum tamen ſolertia enituit. Si Cardanum audimus, is uteri hydropem ex duodecim Medicis ſe ſolum cognoviſſe gloriatus eſt, ut ex cl. Jo. Forti conſtat, qui propterea non ita cognitu facilem eſſe teſtatus eſt. Si tamen ſedulo, & accurate attendatur ad ea, quæ Riverius, Mauriceau, la Motte, Hoffmannus aliique docue-runt, vix ac ne vix quidem quemquam decipi poſſe perſpicuum eſt. Gra-viditatis enim ſigna tradentes tumorem non eſſe tam æqualem & depreſ-ſum, ſed acuminatum, & faſtigium, atque eminentiam quandam circa um-bilicum præſeferre docuerunt; deinceps aliquot poſt Menſes Mulieres melius ſe habere, ut plurimum, quia grandior fetus majorem humorum partem abſumit, qui primis Menſibus laborem faciebant; cum hydropis ſit quo ul-terius progreditur eo majores moleſtias ciere: Tertio admota ad ventrem manu ſenſibilem fetus motum percipere a palpitatione quadam diſſimilem, quæ in flatulentiis contingit, cum in hydrope aquæ fluctuantis, aut ſonori aeris ſenſus pro vario corporis ſitu, quem occupant Mulieres percipiatur. Demum in graviditate mammas intumeſcere, & lac edere, cum in hydro-pe extenuentur, & graciliores evadant.

XVIII. *Uterque uteri hydrops curatu difficillimus eſt, ac diutius protractus in hydropem univerſalem degenerat.*] Cum hydrops morbus ſit compoſitus ex vitio fluidarum, & ſolidarum partium, fluidarum quidem quia in propriis vaſis non continetur, ſolidarum vero quia laxatus nimis earumdem tonus, vel perverſa ſtructura, ſundentium ſcilicet vaſorum orificia nimis ampla, & patentia, abſorbentium vero nimis anguſta, difficillimum autem ſit cum fluidarum, tum ſolidarum partium texturam eo redigere, ut illæ effuſæ jam extra corporis confinia educantur, neve aliæ deinceps atque aliæ ex propriis elabantur, iſtæ vero in priſtinum ſui elateris ſtatum reſtituantur, vel orificiis ad numerum patentibus donentur, morbum abhinc prodeuntem difficillime evelli alibi oſtendimus (*q*). Spem tamen affulgere aliquam poſ-ſe in uteri hydrope faciunt cum multæ, ac frequentes, tum certæ, ac con-ſtantes obſervationes, quarum ſupra meminimus, quibus compertum eſt inſignem aquæ copiam ex utero ſponte quandoque profiliiſſe, & ventrem detumuiſſe. Quod & de Aſcite quoque in Mulieribus dicendum, quem inſtan-te menſtrua purgatione humore ſub Abdomine congeſto per uterum ſponte profuſo, ut omnis moles biduo ſubſideret evanuiſſe teſtatus eſt Fernelius (*r*) & cum proximo Menſe denuo ſuccreverit ſtato tempore totum iterum effluxiſſe. Quod probe tenendum eſt cum id plerumque contingat, ut colle-ctus quidem humor ſponte effluat, permanentibus tamen ſolidarum, fluida-rum-

(q) *aph. lib. 2. cap. 5. com. 5.* (r) *lib. 3. obſ.*

rumque partium vitiis, denuo effundatur, & aut deteriorem priore Aſcitem, aut uteri hydropem, aut univerſalem arceſſat. Quid ſi Tympanites conjungatur? Id quidem firmum, & conſtans eſt, ut ſeroſus hydrops cum flatulento ſucceſſu temporis conjungatur, & contra flatulentus cum ſeroſo. Neque enim hærere diutius poſſunt aquæ, quin mora corrumpantur, unde copioſus aer generetur, qui occluſi jam naturalis aeris particulis mixtus inſignem diſtenſionem efficiat: Neque aer in cavitatibus membranas ſumme diſtendens arcte occludi, quin liquidorum per eas excurrentium curſus liber, & æquabilis perturbetur, unde ſeroſa pars a reliquarum nexu ſecedens facile ex earumdem poris elabatur, aut lymphatica vaſa penitus diſrumpantur, unde ſeri extravaſatio inſignis, ac ſeroſus hydrops primatum obtinens; ut celeberrimo Cardinali Noriſio accidiſſe conſtat, qui cum Tympanitide prius laboraret, hydropicus tandem evaſit, & in cujus aperto cadavere aquam deprehendiſſe, non flatum teſtatus eſt Baglivus (*t*). Quod jam cl. Hallen animadvertit (*u*) Tympanitidem ab Aſcite vix differre docens, & raro flatum abſque aqua reperiri, niſi in ipſis morbi primordiis. Hinc optime Aretæus (*x*): *Omnis quidem hydropis ſpecies pravæ, inter ipſas vero leucophlegmatia mitior, difficilis flatuoſa, difficilior anaſarca, aſcites certe periculoſiſſima, & quando aſcites cum Tympanitide miſcetur magni etiam eſt periculi.*

XIX. *In furore uterino venæ ſectio repetitis vicibus inſtituatur ex partibus ſuperioribus.*] Cum nimia lymphæ copia & ejuſdem, ac ſanguinis turgeſcentia potiſſimam partem agat in furore uterino, atque hinc effrænis, ac inordinatus ſpirituum motus, illud ſedulo curandum eſſe, ut copia abſumatur, turgeſcentia cohibeatur, ſpirituum motus ſiſtatur, perſpicuum eſt: Quas indicationes ut abſolvamus nullum efficacius, aut pro ægrotantium opportunitate valentius remedium ſuppetit repetita ſanguinis miſſione, ut Jo. Fortis teſtatus eſt (*z*), loci in quo celebranda minus ſollicitus. Si tamen Ludovicum Mercatum (*a*), & Rodericum a Caſtro (*b*) audimus, ii quidem ſtatim a principio ſanguinem, niſi adſit impedimentum ex venis ſuperioribus mittendum ſuadent, ſi vero adſit ex inferioribus. Mittendi tamen ſanguinis menſuram prætereunt, quod ſcitu apprime utile non modo, ſed neceſſarium eſt. Id præ cæteris præſtitit Riverius (*c*), qui ſanguinis miſſionem non modo pluries repetendam docuit, quantum vires ferre poſſunt ex venis ſuperioribus, ſed ſi Menſium ſuppreſſio adfuerit etiam in inferioribus. Quem in præſens ſequimur. Cum enim copia ſanguinis peccat huic primum tollendæ ſtudendum repetita ſanguinis miſſione ex partibus ſuperioribus, ne nondum eadem ablata per venæ ſectionem in inferioribus partibus ſanguinem ad uterum alliciamus gravioribus ſtimulis in nerveas ipſius fibras anſam daturum. Imminuta copia, depletiſque vaſis inferiorum partium venas ſecari poſſe, ut ſuppreſſus Menſium fluxus quantum in nobis ſitum eſt provocemus, ita ex alibi dictis conſtat, ut nulla amplius probatione indigere poſſe exiſtimemus (*d*). Repletionem certe imminuendam vel Jacobus ipſe Meſnard affirmare videtur, cum generaliter vaſa ſanguifera in intervallis Menſium aperienda ſcriptum reliquit (*e*).

XX.

(t) *Differt. var. argum.* (u) *Synop. univ. medic. art.* 830.
(x) *lib.* 4. *de ſign. & cauſ. diut. affect.* (z) *loc. cit.* (a) *lib.* 2. *cap.* 16.
(b) *Par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 9. *&c.* (c) *Prax. med. lib.* 15. *cap.* 5.
(d) *Cap.* 2. *com.* 12. (e) *Cap.* 3. *art.* 5.

XX. *Tum præmiſſa levi purgatione ex Flor. Caſ.* &c. *alterans quotidie exhibeatur ex eodem ſero lactis* &c.] Utrum purgantia medicamenta in hoc morbo conveniant quæri a Medicis ſolet . Qui in humores acres viſcido involutos penitus infixos hærenteſque oculos conjiciunt, ii ſane calida intemperie tum viſcerum, tum uteri præſertim, tum ſanguinis, & ſeminis correcta, ac humoribus acribus, ac ſeminali materia evacuata, venæ ſectione repetita, tum levi purgatione inſtituta ex benignioribus compoſita, ac refrigerantibus, & leviter aperientibus per triduum uſurpatis, ad validiora purgantia confugiunt, ut prædictos humores penitus infixos evellant, atque ex helleboro confecta, quæque in maniæ curatione paſſim adhibentur. Hi fere Riverius eumque ſequuti. Alii e contra quibus curæ eſt fervorem ſanguinis compeſcere, uterum refrigerare, humores acres evacuare ſolis lenientibus, ac leviſſime purgantibus contenti ſunt, validioribus, & helleboratis penitus ejectis. Hi fere Jo. Fortis, eique addicti Noſtrates fere omnes. Nos ab his ſumus. Et vero ſi in memoriam ea revocemus, quæ alibi de mania a nobis dicta ſunt (*f*) apparebit medicamenta ex helleboro ea ratione parata, qua lenius etiam, atque utilius Maniacos purgent non omnibus Maniacis ſine præmeditatione præſcribenda. Leniter, atque utiliter purgare, qui laxiori habitu donantur, & in Maniam inciderunt ob humorum acrium viſcido involutorum Cerebrum infarcientium copiam. Aduſtis vero, ſtrigoſiſque corporibus, & Mania vexatis, quæ ab acrimonia alchalica, & intemperie bilioſa proficiſcitur, tantum abeſſe, ut emolumento ſint, ut ægros in vitæ diſcrimen adducere valeant. Humidiores enim, mitioreſque ſanguinis particulas educendo, ceteras acuendo, nervoſas partes in validiores vehementioreſque contractiones, ac corrugationes ſollicitando efficere poſſe, ut Maniaci furant magis, ac delirent, atque interdum convulſi moriantur. Jam quid ſperari poſſit in eo de quo agimus morbo, qui lymphę genitalis copiam nimiam, efferveſcentiam, acrimoniam, atque hinc oriundam genitalium partium vellicationem, irritationem pro cauſa agnoſcit, quæ ad Cerebrum uſque traducta nerveorum filamentorum motum perturbat, notum omnibus eſſe poteſt, planeque perſpectum. Ea igitur conferre magis perſpicuum eſt, quæ lenientium titulo veniunt, inter quæ Caſſia cum Tamarindis, ſerum lactis Tamarindatum præſtant, quæ cum humoribus alchalicis bilioſis evacuandis, & ex maſſa ſanguinea præcipitandis, tum nimio lymphæ genitalis fervori compeſcendo, ac temperando opportuniſſima exiſtunt. *Alterans quotidie exhibeatur ex ſero lactis deſtillato cum fol. cichor.* Vid. lib. 1. cap. 5. com. 15.

XXI. *Æſtuoſa tempeſtate balnea tepida: Autumno tandem lac.*] Ibid. com. 16. 17.

XXII. *Pediluvia interim ex malva* &c.] Ibid. com. 20.

XXIII. *Emulſiones ex ſemin. quat. frigid. . . . . . agn. caſt. in. aq. lactuc. nymph.* &c.] Qui agni caſti ſeu viticis virtutem ad impetus venereos reprimendos, & caſtitatem tuendam inſignem eſſe narrant, ii, ſive edatur, ſive bibatur, ſive ſubſternatur ſeminis acrimoniam, & inde natam in partibus genitalibus tentiginem demulcere, nocturnaſque Veneris per ſomnum imaginationes profligare, aſſerunt. Semen autem præ cæteris pulveratum, vel in emulſionem cum aquis refrigerantibus redactum adhibent. Placere id minus

(f) *Lib.* 1. *cap.* 5. *com.* 14. &c.

nus viſum eſt aliis cum S. Paulli, qui nonnullos reperiri ſcribunt, qui e-juſce remedii uſu ad venerem magis excitantur. Si verum id eſſet, in furore uterino quem inſatiabile coeundi deſiderium eſſe diximus minus habere locum videretur. Verum cum ab omnibus fere Medicis teſtante cl. Geoffroy (g) ad hyſtericos affectus, & uterinos furores compeſcendos in Mulieribus, nec non etiam ad inſultus ſpaſmodicos in viris hypochondriacis ſedandos commendetur, illius uſum cum viro clariſſimo minime interdicendum traderem, dummodo ſolidæ partes inflammationem non contraxerint, ſed acrior tantum humor nervoſas genitalium partium membranas titillet; quem dividi ſimul; & demulceri teſtatus eſt: multo magis in emulſionem receptum ex ſemin. quat. frigid. quæ non modo nomen, ſed demulcendi, fervoremque ſanguinis, & humorum compeſcendi facultas clara fecerunt.

Et ſi furor adſit inſignis, ac delirium Camphora addi poteſt a ℈ i. &c.] Pervidentes nonnulli Camphoræ uſum Veteres pertimuiſſe, propterea quod vel ſolo odore potentiſſimos venereos ardores extinguere valeat, ut Dioſcorides, Plinius, Paulus Ægineta aliique teſtati ſunt, unde tritum illud invaluit: *Camphora per nares caſtrat odore mares*: ad credendum vehementer adducti ſunt contra furorem uterinum efficaciſſimum, ſi quod aliud remedium eſſe. Ita fere Riverius, Jo. Fortis aliique Avicennæ ducti teſtimonio, qui camphora ter potu ſumpta quemdam luxuria tentatum penitus liberatum eſſe narrat. Verum cum alibi a nobis demonſtratum ſit (*h*) per obſervationes Tachenii, Paulli, aliorumque non adeo certam eſſe ejuſce medicamenti virtutem contra libidinis incendia, ut in dubium revocari non poſſit, illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, camphoram furore uterino detentis ea ratione opitulari, qua effrænes Phreneticorum, ac Maniacorum impetus coercere valet: quatenus ſcilicet tenuiſſimis, ac volatiliſſimis conſtans particulis in medullares uſque Cerebri fibras, & appenſos nervos ſeſe inſinuat, cumque ſpiritus offendat ſibi homogeneos viam ipſis ſternit, & in ordinem redigit: quo fit ut laxatæ partes vigorentur, æqualiter tendantur, interceptus in quaſdam partes motus reſtituatur, æquabilis reddatur ſanguinis circuitus, ſpaſmodici motus ſedentur, ſomnus, quies concilietur: multo magis ſi uniatur aliis remediis, quę demulcere habent, emollire ſolidas partes, humidas, atque temperantes particulas in ſanguinem invehere, ſpiritus ramoſis partibus irretire. Jam vel unuſquiſque facile intelligit de ſeminibus frigidis ſermonem eſſe in emulſionem cum aquis refrigerantibus redactis, quæ lacteo mitique ſucco, aut nitroſo ſale abundant, de nitro ipſo puriſſimo, quod nimiæ ſanguinis, humorumque efferveſcentiæ compeſcendæ, ac temperandæ opportuniſſimum exiſtit.

XXIV. *Diæta tenuis, & aquoſa, otium, virorum converſatio evitentur &c.*] Quemadmodum ut fibræ Cerebri a fixa, & conſtanti illa inflexione dimoveantur, propter quam animus in una eademque perpetuo cogitatione defixus inſanum amorem gignit, afflictionem corporis ob illata verbera, carcerem, diætam ex pane, & aqua minus tutam eſſe diximus, propterea quod morbus mentis pathematibus fotus novis mentis perturbationibus augeri poteſt, & deſperatos homines reddere, ita tutiſſimam æque, ac commodiſſimam

(g) *Mat. Med. tom.* 2. *p.* 23. (h) *Lib.* 1. *cap.* 6. *p.* 123.
(i) *Ibid. p.* 87. 108.

mam cenſemus in furore uterino, in quo genitalium partium vellicatio potiſſimam partem agit propter lymphæ genitalis copiam, effervefcentiam, acrimoniam: quæ ſi tollantur, morbum debellatum iri cenſendum. Huic autem tribuere plurimum diætam tenuem, & aquoſam vel ex eo maxime apparet, quod lymphæ copia, effervefcentia a victu opiparo, vita curis vacua, aliiſque ejuſmodi externis cauſis ortum traducit, quæ omnino interdicendæ ſunt. Quod ubi diligenter teneamus aſſequi facili negotio poterimus cur & otium omnino fugiendum ſit, de quo perbelle Ovidius:

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus,
Contemptæque jacent, & ſine luce faces.

Cur etiam a virorum conſuetudine, familiaritate, & colloquiis amatoriis aliiſque lenociniis ſit prorſus abſtinendum, ut alibi oſtendimus (*k*), conjugium vero præſertim in virginibus venerem, & in viduis intermiſſum coitum avide appetentibus ſit procurandum, ut jam Hippocrates ſua ætate præcepit, ut ſupra diximus, eumque ſequuti Valeſcus de Taranta, Riverius, Capivacius, Jo. Fortis aliique ſunt opinati: ut nempe ſatiato utero, & effuſo ſpermate, ut ajebant, quod copioſe ſecretum, aut acrius factum genitales partes mordet, & irritat, proxima furoris cauſa deficiat, ut perbellis obſervationibus edocti Duretus, & Zacutus teſtati ſunt.

XXV. *In Chloroſi eadem curatio, quæ in menſium ſuppreſſione a ſanguinis craſſitie, viſciditate, lentore.*] Vid. cap. 2. com. 14. uſque 20.

XXVI. *In ſeroſo uteri hydrope eadem quæ in Aſcite, & Anaſarca.*] Vid. lib. 2. cap. 5. n. 8. uſque 16.

XXVII. *In flatulento tentata interni uteri orificii apertura &c.*] Qui in Tympanitide abdominali aerem intus contentum acus punctura ejici commode poſſe arbitrentur, ita ſuadere videntibus cl. viris Boerhaavio, & Heiſtero, vereor maximopere, ne male ægrotantium incolumitati conſulant. Primum enim Boerhaavius puncturam ſæpe ſolatio, raro ſanationi ſuffeciſſe tradit. Quæ vero Heiſtero ſpes effulgere videbatur, ventris puncturam optime ceſſuram in Tympanitide abdominali, quam in actis N. C. retulit, evanuiſſe penitus conſtat eodem animadvertente in ſua, quam poſtea edidit, numeris omnibus abſoluta Chirurgia propter experimentorum defectum, minus tutam eſſe operationem, ut ex Helmontio clare apparet, qui eadem in Tympanitico celebrata, cito flatu exeunte periiſſe narrat. Non id mali pertimeſcendum in uterina Tympanitide, in qua ſi flatus uterum diſtendentes aperto interno ipſius orificio ejiciantur, optime erit ſaluti proviſum, ut præ cæteris Etmullerus teſtatus eſt. Vim addit Solenandri obſervatio, cujus meminit Riverius de muliere quadam puerpera, quæ cum intempeſtive plus quam par eſt ventis, & aeri ſe commiſerit intolerabilibus doloribus preſſa eſt, quibus diutius ægrotavit: Tandem peritæ obſtetricis conſilio ſuffitum pudendis excipiens ex nucum myſtericarum pulvere teſtæ ignis inſperſo ſpiritu quodam pulveris tormentarii ad inſtar ſummo cum ſtrepitu prorumpente illico ſanitati reſtituta eſt.

Eadem, quæ in affectione hyſterica &c.] Si ad cauſas Tympanitidis attendamus non eſt cur miremur varia fuiſſe a Medicis excogitata medicamenta. Plerique in eam opinionem venerunt, ut crederent ea quæ flatus diſcutiunt eſſe adhibenda, qua virtute calefacientia omnia, & ſpirituoſa donantur.

(k) *Lib.* 1. *cap.* 6. *com.* 17.

tur. Alii quibus perſuaſum fuit aeris particulas cavitatibus occludi non poſſe, niſi adſit impedimentum, quominus hac illac libere permeare valeat, huic potiſſimum tollendo ſtudendum eſſe haud dubie affirmarunt. Hinc orta litigia. Qui enim in ſpaſmo illud agnoſcendum eſſe putant, ii a calefacientibus, ſpirituoſis abſtinendum tradunt, ne morbi cauſa augeatur, aut confirmetur. Morbi cauſam augeri, aut confirmari emollientibus laxantibus illi e contra arbitrantur, qui eumdem a laxitate repetendum eſſe ſuſtinent, ut ea quæ ſupra a nobis dicta ſunt ſedulo perpendenti apparere facile poteſt. Quibuſcumque tamen medicamentis juvaminis dulcedine incitante læto magnoque animo utantur miſelli ægrotantes, fit plerunque, ut extremo morbi cruciatu, atque auxilii carentia ſimul impellentibus inopinatum ſubſidium in non paucis deſperatio inveniat. Inanibus quæſtionibus miſſis brevibus proſequi decrevi, cumque omnes uno ore conſentiant Tympanitidem præſertim uterinam uteri vitia, ac morbos ſequi, quos hyſtericus ſpaſmus claros facit, eadem ipſa remedia, quæ hyſtericæ affectioni profligandæ viſa ſunt convenire, hic nulla ratione omittenda, quæ ſi ſingula, & univerſa percurrantur iis potiſſimum removendis cauſis eſſe comparata, a quibus aliarum partium laxitas, aliarum adſtrictio dependet, clariſſime apparet. Quod ſi hæc eadem ſalubri eventu non adhibentur, id non hominibus imputandum, qui nondum ea, quæ prædictis muneribus obeundis ſunt opportuna cognoverint, ſed morbo eas vires adepto, ut etiam ſingularibus antidotis valide obſiſtat, uti fere ſolet hyſterica affectio, a qua hic idem morbus tamquam rivulus a fonte emanat, quam propterea Medicorum opprobrium appellari adnotavimus.

CAP. VIII.

De ſterilitate, & molis veris ac ſpuriis.

I. QUamdiu mulieres debita in ætate conſtitutæ pluries capaci admixtæ viro non concipiunt, ſteriles vocantur: Etiamſi concipiant, fętus autem loco maſſa quædam informis generetur mola laborare dicuntur.

II. Sterilitatis cauſæ ab ætate repetendæ nimis tenella, aut contra provectiori, uteri vitiis, & adjacentium partium, ut quando virgines uteri clauſura laborant, vel naturali, vel a vulnerum, & ulcerum coaleſcentia oriunda, a ſcirrho, cancro, molis, aut polypo in utero retentis, veſicæ lapide uteri orificium comprimente, quando claudæ, diſtortę cruribus, vel depreſſa Cocyge exiſtunt, nimia pinguedine laborant, uteri os habent oppoſitum vaginę ingreſſui, a nimia uteri laxitate, abortu, partu laborioſo inducta, ſeroſis, ac lymphaticis hu-

mo-

moribus uberius ad uterum, & vaginam affluentibus, a ſanguinis acrimonia inſigni genitales partes plus æquo mordente, a defectu ſanguinis, & ſucci nutritii, ab eodem effęto, pravis, vitioſiſque ſordibus referto, hectica febre, hydropé, hypochondriaca affectione, ſcorbuto, lue venerea, ulceribus fętidis, cancroſis viſcerum, ac pulmonum præſertim læſione, a teſtium, tubarum obſtructione, corrugatione, paralyſi, eorumdem defectu.

III. Alimenta, pharmaca, incantationes, maleficia ſterilitatem inducere non facile dixerim.

IV. Molæ cauſæ ſunt ovi in teſtibus, ſive in tuba, ſive utero incubati partes laxæ, confuſæ, arcte preſſæ, invicem irretitæ, implicatæ, corrugatæ, aut alio quovis modo alteratæ, ut vermiculus fœcundans in perfectum Animal mutari non poſſit, unde vera: vel fibroſæ, ac gelatinoſæ ſanguinis partis tenui, ac ſeroſa una cum globulis foras exeunte uteri adhæſio, condenſatio, concretio, unde ſpuria proficiſcitur.

V. Sterilitatis ſigna per ſe ſatis clara ſunt: cauſarum ex earum examine facile innoteſcent. n. 2.

VI. Si mulierem videris, cujus venter primis ſtatim duobus menſibus mole inſigniter augeatur, cuique admota manu nullus motus percipiatur, vel ad quartum, quintum uſque menſem (niſi forte convulſionibus ventris vexetur dolore, aut punctionis ſenſu ſe ſatis prodentibus) & dum ab uno in alterum latus ſe vertit, compactum quoddam corpus volvatur ponderis ſenſum efficiens etiam in pubis regione nunquam intermiſſe, aucto ſenſim tumore præcipue circa epigaſtricam regionem, molli in eadem, & hypogaſtrica, quę mulier moleſtiſſimis prematur ſymptomatibus, palleat, lac in mammis non habeat, nec eaſdem intumeſcentes etiam tranſacto legitimo partus menſe, ſcirrhi, cancri, hydropis ſignis abſentibus eam mola laborare judicandum.

VII. Sterilitatem tolli uti pleriſque mulieribus, & earum maritis gratum, ita & ad quoſdam debellandos morbos commodum.

VIII. Molas vero ejicere apprime neceſſarium, cum non ſolum ad annos perdurent, præſertim ſpuriæ, ſed periculoſas hæmorrhagias inducant.

IX. Sterilitas quæ ab ætate nimis tenella proficiſcitur per ſe adultiori jam facta, tollitur: quæ vero a provectiori, ſi naturæ opus de-

ſit, artis vires plerunque eludit, eo magis quæ a mala partium conformatione, aut læſione inſigni. Quid ſi defectus adſit?

X. Quæ ab uteri vitiis, & adiacentium partium, ut quando virgines uteri clauſura laborant, ſectione manu periti Chirurgi inſtituta, curanda.

XI. Quæ a ſcirrho, cancro, molis, polypo in utero retentis, veſicæ lapide, iis quæ in eorum curatione propoſita.

XII. Quæ a nimia uteri laxitate, ac lymphaticis humoribus uberius ad uterum affluentibus exoritur, miſſa venę ſectione, niſi menſium ſuppreſſio id poſtulare videatur, purgantibus, decoctis ſudorificis, adſtringentibus, exſiccantibus, aquis ſulphureis, aliiſque, quæ in fluore albo notho dicta ſunt pertractanda: quibus addenda in diætæ regimine Chocolatæ uſus, confectiones ex piſtachiis, ambaro, eruca in acetariis comedenda, aut cibis incocta, qui nuce moſcata, cinnamomo, cariophyllis condiri poſſunt, vina generoſa, vini ſpiritus maxime poſt cibum.

XIII. Quæ a ſanguinis acrimonia inſigni genitales partes plus æquo mordente, ac vellicante ſolis lenientibus, refrigerantibus, diluentibus, farinoſis, lacteis, emollientibus internis, & externis, ac ſola vini abſtinentia curanda, ut fere uterinus furor.

XIV. Quæ a defectu ſanguinis, & ſucci nutritii ab eodem effęto, pravis, vitioſiſque ſordibus referto, hectica febre, hydrope, hypochondriaca affectione, ſcorbuto, lue venerea, ulceribus fœtidis, cancroſis, viſcerum ac pulmonum præſertim læſione, iiſdem remediis, quæ in eorum morborum curatione.

XV. Molæ curatio poſt tranſactum legitimum partus tempus inſtituenda, eaque primum Clyſteribus ex decoct. alth. mercurial. lilior. albor. melilot. parietar. ſemin. lin. fęnu græc., vel ex ol. lilior. albor. chammom. irin. amygdal. dulc. nec non etiam peſſariis ex butyro, adipe anſerina, medulla cervina cum oleo irino, & ſimilibus, ac melle paratis, quibus & oſſa pubis, inguina, & os ſacrum inungantur, dum bis per hebdomadam aqua deſtillata ex floribus ſambuci cum ſaccharo propinatur, quindecim vero tranſactis diebus oleum amygdalarum dulcium præbetur etiam ad ℥ viii.

XVI. Venæ ſectio poſtea ex brachio vel repetitis vicibus ſi plethorica fuerit mulier celebranda, mox ex pede, vel ex pede tantum ſi cacochyma, & debilis; niſi forte enormis adſit ſanguinis hæmor-

rha-

rhagia ex utero, quo caſu vena tantum brachii habita virium ratione, ſecanda.

XVII. Inde in prædicto debilitatis caſu ad dictamum creticum pul. trochiſc. de myrrha, boracem mineralem a. ad ℈ i. cum tinctura ſuccin. q. ſ. in bol. redact. deveniendum, addendo Caſtor. gr. v. quibus decoctio ſuperbibatur dictami, croci, flor. lilior. albor. & politrici: quorum loco Tulpii pulvis eſſe poterit a ʒ .s. ad ʒ i. aut pulvis Heurnii eadem doſi etiam ex vino.

XVIII. Hiſce vero non juvantibus quid vetat, quominus ad pulverem ſecundinarum præp. a ʒ .s. ad ʒ i. vel ejuſdem ſpiritum ad gut. xxxx. ex eadem decoctione, vel aqua ſabinæ, & Cinam. confugiamus? Jam & Jecur anguillę cum felle exſiccatum, ac pul. ad ℈ i. in aqua eadem præſto erit, aut pulvis teſticulorum equi ad ʒ i.

XIX. Eodem tempore clyſteres injiciantur ex decoctione colocyntidis, agarici in carminativa decoctione, vel ex ol. Camæm. lilior. albor. irino addito oleo rutæ, cyclamin. nec non peſſaria ex pulverib. colocyntid. agaric. ſcammon. hellebor. euphorb. ſtaphiſſagr. cum melle parata, ſi laxiori habitu donetur mulier, nec ſpaſmis hyſtericis obnoxia; quibus mitiora erunt ex ammoniaco, opoponace, bdellio; dum ab horum applicatione in balneum aquæ dulcis immittenda, & leve aliquod ſternutatorium in nares recipiendum ex caſtor. hyſop. ſatur. pul. a ℈ i.

XX. Ubi tamen præ enormi ſanguinis effuſione in vitæ diſcrimine verſetur mulier, omnia hæc laxantia, impellentia, acria, ſtimulantia medicamenta proſcribenda, & ad molæ extractionem ſtatim confugiendum, quæ peritis obſtetricibus, aut Chirurgis committenda.

CAP.

C A P. VIII.

De ſterilitate, & molis veris, ac ſpuriis.

I. *QUamdiu mulieres debita in ætate conſtitutæ pluries capaci admixtæ viro non concipiunt &c.*] Plerique Medicorum ad mulierum ſterilitatem ſtatuendam pluribus opus eſſe exiſtimarunt. Primum ut perfecta valetudine fruantur, atque bono laudabilique temperamento ſint prædítæ: deinceps ut certo ſtatoque tempore menſtruo ſanguinis fluxu afficiantur, qui quoad colorem, quantitatem, qualitatem, conſiſtentiam mediocritatem ſervet, qui ſemel in menſe non interruptus, ac ordinatim uſque ad omnimodam evacuationem perſeveret, trium ſcilicet, quatuorque dierum ſpatio, interdum quinque habita ratione plenitudinis, temperamenti, ætatis. Verum ne iis aſſentiamur hiſtorię faciunt cum certæ, ac notiſſimæ, tum etiam multæ, ac conſtantes, quibus deprehenſum eſt, quamvis optime ſe habeant mulieres, nihilominus tamen ſteriles eſſe, ac mulis ſimiles, quæ noſtro ſaltem ſub Cælo viventes non generant, quidquid de quadam teſtetur Ariſtoteles (*l*), quæ binos partus una vice edidit, deque Sirienſibus narret, quas omnes mira fœcunditas claras facit (*m*), quidquid etiam Plinius rem eamdem confirmet (*n*), cum a noſtris nunquam viſa, aut perquam raro, ut a cl. Mauriceau demonſtratum eſt (*o*). Cum e contra non paucæ reperiantur, quæ licet deterioris indolis temperamento præditæ, pravo corporis habitu, excrementitiis, vitioſiſque humoribus onuſtæ, fœcundæ tamen eſſe non deſinunt. Quotidiana etiam conſtat experientia ipſius Ariſtotelis (*p*) Schenkii (*q*), & Mauriceau (*r*) obſervationibus confirmata nonnullas mulieres menſtruis purgationibus nullo unquam tempore obnoxias, aut lactantes, quibus ad annos uſque deficiunt, concepiſſe. Quo ſatis apparet eo magis eas, quibus inordinatim, & parciores fluunt menſes concipiendo pares exiſtere. Ecquid enim in eas anguſtias naturam compellat, ut eam ſanguinis quantitatem ex utero ejiciat, qua opus eſt ad cęteras omnes ſenſibiles evacuationes? Quibus liquido conſtare arbitror valetudinis ſtatum, temperamenti rationem, menſium fluxus naturam aliaque id genus tanti facienda ad mulierum fęcunditatem, aut ſterilitatem arguendam, quanti Hippocratis præceptum (*ſ*) docentis certiſſimum rei argumentum præbere ſuffitum veſtibus undique obvoluta muliere, cujus odor ad nares, & os pervadat, vel neutiquam: En effatum: *Si mulier non concipiat, & ſcire placeat an ſit conceptura, veſtibus undique obvolutam ſubter ſuffito: ac ſi odor corpus pervadere videatur ad nares, & os uſque non ſua culpa ſterilem eſſe ſcito:* cujus ratio mihi ulla non ſuppetit: aut quanti illud Ariſtotelis, qui fęcunditatis, aut ſterilitatis inditia optime haberi poſſe tradidit ex ſeminis conſiſtentia. Si enim ſpiſſum, concoctum, atque aqua demerſum fundum petat, fœcundum eſſe conjiciendum, ſterile e contra ſi aquoſum diffluat, & aquæ innatet: quod præterquamquod ridiculum Noſtratibus viſum, ſemen mulieres

(l) *Lib. 6. hiſt. anim. cap. 22.* (m) *Ibid. cap. 24.*
(n) *Lib. 8. cap. 44.* (o) *Lib. 7. cap. 2.*
(p) *Lib. 7. cap. 2.* (q) *Lib. 4. obſervat.*
(r) *Loc. cit.* (ſ) *5. aph. 59.*

res generare inficiantibus, accedit præterea etiamſi concedatur, nullum e-juſce in mulieribus experimentum inſtitui poſſe. Quapropter illud citra er-roris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur ſolam ætatem mulieris, & viri con-ſuetudinem eſſe ſpectanda. Si enim mulier ea ſit in ætate conſtituta, qua ad concipiendum par eſſe debet, quamque omnes fere Medici uno ore ab incipiente menſium fluxu, uſque ad eorum terminum, a vigeſimo ſcilicet tertio circiter anno ad quinquageſimum uſque decreverunt, ac viro utatur, qui ſemen prolificum in copula venerea ejaculet, nec tamen concipiat, ea ſterilis ſit, ut animadvertit Etmullerus, nuncupanda, atque uſque dum mu-tatione ætatis, vel ſpontaneo naturæ conatu, vel artis auxilio conceptionis impedimenta tollantur, ut quotidiana experientia compertum eſt, quo ca-ſu ſterilis nomen deponens, fœcundæ ſuſcipiat. Ex quibus liquet ſterilitatis nomine non omnimodum tantum concipiendi defectum, & integram aboli-tionem venire, ſed etiam omnem concipiendi impotentiam, atque impedi-mentum, ut præ cæteris a cl. Riverio adnotatum eſt.

Etiamſi concipiant, fetus autem loco maſſa quædam informis generetur, molæ &c.] Conceptio ſi Hippocratem audimus, nihil eſt aliud, quam propria, ac peculiaris uteri actio, qua per mixtionem prolifici ſeminis utriuſque ſe-xus in eodem retentam, fotam, & calore exſiccatam fœtus generatur, for-maturque. Quam quidem opinionem primus omnium Antiquorum veſtigia ſequutus Carteſius, ejuſque ſcholæ addicti Galli non pauci, quos inter Mau-riceau eminet, artificioſe admodum illuſtrarunt, variiſque cogitatis ſtabili-re conati ſunt. Ariſtotelem primum carpunt (eoſque omnes, qui ejuſdem auctoritati innixi ſunt) qui cum docet (*t*) mulieres nullum nec ſemen ha-bere, nec effundere, & falſa eum ſentire, & ignorare prorſus quæ ſcitu ne-ceſſaria ſunt haud dubie affirmant. Vaſa ſpermatica, ac teſtes mulierum in hunc finem a natura eſſe comparatos, eoſque ſemine turgere, quod pari prorſus copia, qua viri effundunt in Veneris æſtro. Ejuſce rei veritatem luce clarius apparere poſſe, ſi ſedulo, & accurate perpendant filios matri-bus plane ſimiles oriri, aut Patribus pro vario feminini, aut maſculini ſemi-nis prædominio, dum fit conceptio: multo magis ſi in quorumdam Ani-malium generationem ſtudium omne, curamque convertant, quæ de maris, ac feminæ, ex quibus genita fuerunt natura, licet ſpecie differant participa-re comperiuntur. Hinc mulos mixtam ex equo, & aſino habere ſimilitudi-nem nota res eſt. Quibus rite ad trutinam, ut ajunt, revocatis, ſi qui ad credendum vehementer non adducantur utriuſque ſexus ſemine opus eſſe ad conceptionem, eoque prolifico, quod nempe ideam, formamque omnium corporis partium in ſe contineat ex Philoſophorum cenſu ejiciendos pu-tant. Mirum non eſt Veteres eoſque ſequutos in ovi muliebris ignoratione verſantes hæc vago paſſim rumore circumtuliſſe. Mirandum magis eſſet, ſi noſtra hac ætate adeſſe adhuc deprehenderentur, qui oblivioni fere traditam ſententiam, poſtquam innumeris experimentis ſtatutum eſt mulieres non ſe-men, ſed ovum ex teſtibus excludere, denuo revocarent. Medici nomen de-negetur ei, qui in tanta Philoſophiæ, ac Medicinæ claritate muliebris ſe-minis recordetur. Quomodo autem ex virili ſemine, & ovo muliebri con-cipiant mulieres infra dicemus. Illud interim neminem inficiari poſſe facile equidem judicaverim, ut a Veteribus aliiſque decretum eſt uterum pra-vis,

(t) *Lib. 1. de gener. Anim.*

vis, vitioſiſque ſordibus conſpurcatum, aut aliter male affectum veræ, ac naturali conceptioni, ſeu fętus generationi, ac formationi quandoque impa-rem eſſe, ac facillime falſam ciere, quæ non modo conſuetum naturæ or-dinem non ſervat, ſed eidem vim infert, molam nempe ita dictam, quia quaſi moles quædam mulierum uterum premit, quæ nihil eſt aliud, quam maſſa quædam informis loco fętus genita. Sed plura inferius.

Sterilitatis cauſæ ab ætate repetendæ nimis tenella.] Quandoquidem ſterili-tatis nomen lata, atque ampla ſignificatione omnem concipiendi impoten-tiam, omneque impedimentum comprehendit: id autem a pluribus cauſis oriri poſſit, ut plures ſunt operationes naturales, quæ ad conceptionem perficiendam requiruntur, virilis nempe ſeminis in congreſſu venereo in u-terum ingreſſus, ejuſdem debito tempore retentio, fotus, conſervatio, ac debita materia, ad Embrionis conformationem, & incrementum neceſſaria, ita plures eſſe ſterilitatis cauſas perſpicuum eſt, quæ tamen ad quatuor præci-puas referri ſatis apte poſſe videntur, quando nempe receptio ſeminis im-peditur, quando receptum non retinetur, non nutritur, nec debita mate-ria ad Embrionis conformationem, & incrementum ſuppeditatur. Inter cauſas, quæ debitum ſeminis ingreſſum impediunt, ætas juvencula primum recenſetur, in qua docente Riverio ob exiguitatem, & ſtricturam partium genitalium mulier virile pudendum admittere non poteſt, aut certe niſi cum ſummo dolore, qui eam concubitum averſari cogat. Quamquam ſi cl. Mauriceau audimus (*x*) falſum putat Mulieres concipere nullatenus poſſe abſque virilis pudendi ingreſſu, cum plures juvenculas viderit, quæ com-muni opinione deceptæ Adoleſcentum ludis, ac jocis, quorum amore fla-grabant plus tribuentes, quam par erat nihil tale cogitantes, ac maximo-pere ſtupentes ſe gravidas deprehenderunt nullum licet verum, realem-que pudendi virilis ingreſſum conceſſerint, utero nimirum ad externum vulvæ ingreſſum vi actus venerei accedente, majorique tunc impetu ejacu-lante viro ſemine, ab utero facile recipi poſſe conjicit, dummodo recta linea externum orificium verſus ejiciatur, cui ad amuſſim reſpondet inter-num, atque conceptionem cieri, ut tribus fere obſervationibus didiciſſe te-ſtatus eſt. Si ſola prior obſervatio, quam affert, ſpectaretur, ſuſpicari fas eſſet eadem deceptum virum præclariſſimum cum ob alias rationes, tum ob hanc potiſſimum, quod ejuſmodi luſus in vehementiſſimo amore percitis, aut venereæ voluptatis oblectamentis obcæcatis accidant, quibus ſenſus fa-cillime tolli contingit, atque ea ſponderi; quæ fieri avebant. Ita Mulie-rem quam memorat nuptam marito fuiſſe conſtat, cujus propterea venerea conſuetudine frequentiſſime utebatur, utut valde quiſque ſollicitus, ne vi-rile pudendum conceptionis evitandæ cauſa, atque clandeſtini conjugii ape-riendi, introiret. Sed ecquis id firmiter, conſtanterque ſervatum fuiſſe ju-ratus credat, licet non prætervifum? Obſervationes aliæ duo quarum me-minit, dubitationem ſuſtuliſſe omnem viſæ ſunt, cum poſt conceptionem hymenem in Muliere integrum omnino, atque parum adeo perforatum de-prehenderit, ut vix digiti auricularis extremum introduci poſſet, in altera vix ut calami ſcriptorii capacitatem æquaret. Hymenem plerique frænu-lum dixerunt, alii duce Winlouvio (*z*) navicularem foſſulam, eamque in

Vir-

(x) *loc. cit. p.* 51.

(z) *Trait. du baſ. vent. ſ.* 629.

Virginitatis notis in omne tempus annumerare conſueverunt, ſcribente in hanc rem Riolano: *Orificium labiorum admodum anguſtum erat cum frænulo, ſive membranula valde tenſa, & rigida hæc labra inferne conſtringente*: quibus ſubdit poſtea: *Signa virginitatis in pudendi orificio collocata ſunt, videlicet inferiorum cutis tenſio, & rigiditas*: ut filentio prætercam, quod Graafius de virgine annos nata viginti quatuor loquens tradidit (*b*), in cujus inferiori pudendi parte diductis a ſe invicem vulvæ labris altum conſpexiſſe frænulum teſtatus eſt: quod ſi Petrum Taberranum audimus (*c*) nil aliud profecto, quam inferior labiorum comiſſura tenſa in Virginibus, laxa in corruptis, laxiorque in iis, quæ pepererunt, veruntamen ſemper conſpicua, quemadmodum viri cl. Bavin & Fantonus animadverterunt. Si Heiſterum, atque Morgagnum præſtantiſſimum in Mulieribus virum expertis nullo modo viſibilem, cum ea in violento congreſſu dilacerata caruncula myrtiformes exoriantur, quas non hymenem, ſed dilacerati hymenis reliquias eſſe haud dubie affirmant, ut pulcherrimam intuenti delineationem, quam Morgagnus exhibuit apparere facile poteſt (*d*). Cum hymenem igitur ſanum, & integrum modis ſupra indicatis deprehenderit cl. Mauriceau, ſuſpicari non licet eumdem vaginæ orificio in coitu exercitatis Mulieribus adeo ſtricto, anguſtoque, ut virginitatem imitari videatur deceptum fuiſſe, quemadmodum id deprehendiſſe refert Riolanus in Muliere 25. annos nata ita impudica, ut viros ad coitum invitaret (*e*), aut medicamentis, aliiſque artificiis, *quibus verſipelle puellarum genus virginitatem ſimulare ſolet*, eodem teſtante Riolano, quibus propterea minus cautæ obſtetrices dolo capiuntur, ut ex cl. Horatio Augenio conſtat, ubi inquit (*f*): *Tantum poſſunt ejuſmodi fraudes, ut viderim ſex probatæ famæ obſtetrices Mulierem quamdam judicaſſe intactam virginem, quæ ſeptem antea Menſibus puerum pepererat: Præterquam enim quod non ſolum vinculum illud duriuſculum, quod obſtetrices*, ut inquit Riolanus, *intromiſſo digito offendunt, chordamque id comate ſuo excitant, quo præſente virginitatem eſſe, atque indubitatam affirmant*, digitorum ope exploravit, ſed ulterius progreſſus hymenis capacitatem detexit: accedit præterea id ſe expertum fuiſſe in viro nuptis Mulieribus, altera quidem ſeptuagenario, qui præ virium imbecillitate nec hymenem difrumpere, nec propterea pudendum in uteri collum introducere potuerat, ſed prope virginitatis clauſtrum ſemen etiam languide ejaculare: altera juveni quidem, ſed qui duorum Menſium ſpatio quo eam deſponſaverat nondum & ipſius confeſſione vel in violento niſu ingreſſus fuerat, unde conſilium, & opem medicam poſcere non dubitarunt, cum jam examine rite inſtituto, gravidam eſſe uxorem non ſine obſtetricis admiratione, quæ fidenter aſſeruerat ſterilem perpetuo evaſuram haud intuto pronuntiavit. Sed ne rariorum obſervationum ſtudio fallamur, illud tenendum, quod plerunque in tenellæ ætatis juvenculis contingit, ut ſcilicet præ genitalium partium anguſtia virile pudendum admitti non poſſit. Quod & de provectioribus virginibus intelligendum putat Riverius, in quibus partes genitales defectu exercitii venerei marcidæ, ac vietæ factæ ſunt, ac ſtrictiores redditæ, ut virilem penem facile poſtmodum admittere nequeant. Quod tamen non adeo frequens eſt, ut non alia melior ſterilitatis cauſa in

(b) *De Mulier org. cap.* 5. (c) *obſ. anat.* 35. (d) *adv.* 1. *tab.* 7. (e) *loc. cit.* (f) *epiſt. medic. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 6.

iis excogitari queat. Quotidiana enim conſtat experientia non paucas provectiores virgines perforatas non modo inveniri, ſed quæ optimos, ac perfectiſſime conſtitutos fetus edunt, licet laborioſe magis, quam juniores, ob oſſium difficiliorem diſtenſionem, quam tenella cum eſſent nondum paſſa, obduruerunt. Accuſanda in his potius videtur aut deficiens partium elaſticitas apprime neceſſaria, ut ſemen receptum retineatur, ut ovum muliebre in uterum deſcendat, aut materia embrioni nutriendo neceſſaria. Sed de his infra erit dicendi locus.

Deinceps uteri vitiis, & adjacentium partium, ut quando Virgines uteri clauſura laborant &c.) Virgines uteri clauſura laborantes atretæ, ſeu imperforatæ nominantur: hæc autem tribus in locis fieri poteſt, vel in oſculo uteri interno, vel ejuſdem cervice, vel in oſculo anteriori, quod vulva appellatur. Iſtæ omnes partes clauſæ ſunt vel naturæ vitio membranam quamdam obtendentis, vel vi præcedentis vulneris, aut ulceris, quibus coaleſcentibus fit earumdem partium coalitus, vel demum tumoris cauſa, quo meatus interior obturatur. Ejuſmodi ſunt ſcirrhus, cancer, de quibus ſupra dictum eſt, carnoſitas, polypus, lapis, quibus omnibus pudendi virilis, ac feminis ingreſſum prohiberi manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Rarum quidem eſſe docent cl. Mauriceau (g) Virgines uteri clauſura laborantes reperiri. Exempla tamen non deſunt a viro cl. memorata, de Fabricio primum narrante, qui puellam vidiſſe ait annos 13. natam, quæ propterea quod hac de cauſa menſtrua ejicere non potuerit in mortis diſcrimine fuit conſtituta, ſola autem inciſione non modo in perfectiſſimum valetudinis ſtatum reſtituta, ſed ad generationem apta reddita: tum de alia annorum 17. referente, quæ tumore adeo inſigni premebatur, ut extra ſitum propenderet, in quo vulvæ ingreſſus adeſſe oportebat, inſtante vero Menſium periodo ad eam magnitudinem adacto, ut membrana carnoſa vulvam omnimode obducens propelleretur, quæ uteri prolapſus uti primum habitus fuit ad amuſſim videbatur, ſectione autem, ſanitati egregie reſtituta. Aliam hiſtoriam de Muliere, cujus ſupra meminimus, quæ imperforata prægnans evaſit, quamque de puerula citato loco refert, cum eodem recidat brevitatis gratia prætermitto. Scirrhoſam labem a ſuppreſſo fluoris albi ſtillicidio, vel Menſium fluxu in feminis melancholicis, hypochondriacis, cacheticis oriundam non modo uterum, ſed ovarium, & tubas Fallopianas occupantem ſæpe ſterilitatem perpetuam Mulierum inferre ſe aliquot exemplis didiciſſe teſtatus eſt Hoffmannus (h). Quid opus eſt pluribus. Quæcumque natura claudæ, diſtortæ cruribus, vel depreſſa cocyge exiſtunt vix commodam poſſe in concubitu præſtare figuram, quæ ad debitam feminis receptionem neceſſaria eſt neminem latet: Pinguedinem nimiam vias uteri anguſtare, & aqualiculo prominentiore juſtum, & commodum viri cum femina congreſſum prohibere manifeſta res eſt. Quod vel Mulieri prægnanti contingere docuit Hippocrates in libro *de Sterilibus* & alibi (i) inquiens: *Quæ præter naturam craſſæ non concipiunt, iis os uteri ab omento comprimitur, & priuſquam extenuetur non concipiunt*. Quamquam ſi cl. Mauriceau audimus, ille quidem interni orificii compreſſionem, quam facit Omentum inter ſterilitatis cauſas ægre recenſet; cum occurrere huic

(g) *loc. cit.*
(h) *Tom. 4. p. 5. cap. 6. ſec. 19.* (i) *5. aph. 46.*

huic impedimento poſſet Aretinus aliqua ſubtilius, excogitata poſitura, qua in actu venereo prædicta uteri compreſſio præcaveretur.

Uteri ore oppoſito vaginæ ingreſſu.] His addit Riverius temperiem uteri frigidiorem torpidas Mulieres reddentem, ut nulla propemodum voluptate in coitu fruantur, aut tardius ſaltem excitentur, ita ut internum uteri orificium tempeſtive non aperiatur ad ſemen virile recipiendum. Quod Mulierum ſtupiditatis nomine gallico idiomate *inſenſibilitè* perbelle expreſſit Mauriceau, non tanti faciendam putat, quanti poteſt, ac debet. Quamvis enim Mulieres virile pudendum in vaginam, ſive uteri cervicem recipiant, atque internum ipſius orificium pro ſeminis ingreſſu tempeſtive aperiatur, non inde tamen ſępe ſæpius ſteriles eſſe deſinunt pro vario ejuſdem orificii ſitu, qui quandoque ex adverſo non eſt vaginæ ingreſſus, ſed interdum deorſum rectum inteſtinum verſus, aut ad latera, ita ut ſemen recto pellere viro non liceat, Mulieri concipere, propterea quod aut ſtatim profiliat, aut refrigeretur cum ſimul ac ejaculatus eſt ab utero non recipiatur.

Nimia uteri laxitate abortu &c.] Sed jam ad alterum vitium conceptionem impediens ventum eſt, quando ſcilicet ſemen non retinetur, quod tunc plerunque contingit, cum aut abortu, aut partu laborioſo fibræ uteri divelluntur, & nimium laxantur cum interno orificio, aut cum in toto corpore humores lymphatici, ac ſeroſi, crudique redundant, & ad uterum, ac vaginam confluentes prædictas partes nimium molles, & laxas reddunt, ac propterea ovulo retinendo, aut genituræ ineptas partes conſtituut, quæ immo una cum excedentibus lymphaticis humoribus labitur extra laxatum uteri os. Hinc frigidas, cachecticas, pituitoſas, frequentiſſime vero fluori albo obnoxias ſteriles eſſe videmus: e contra ſteriles fere ſemper obſervamus nimis calidas Mulieres, ſalaces, & luxurioſas ob humores valde acres, ſalinos, ſtimulantes in toto corpore redundantes, & ad partes generationi dicatas confluentes, quia videlicet ab ejuſmodi humoribus nimis acribus urentibuſque ſeminis virilis virtus deſtruitur, & ab excedentibus motibus, ac calore genitales ſpiritus diſſipantur, qui a temperato foventur calore. Hinc aptiſſime Hippocrates (k). *Quæ frigidos, & denſos habent uteros, & quæ præhumidos habent non concipiunt, extinguitur in ipſis genitura. Et quæ plus æquo ſiccos, & adurentes; nam alimenti defectu ſemen corrumpitur. Quæ vero ex utriſque moderatam nactæ ſunt temperiem ex fęcundæ evadunt.* Quem aphoriſmum explicans Galenus ſemen a nimia uteri humiditate extingui ea prorſus ratione, qua triticum, quod in udis, ac paludoſis locis ſeritur, aut contra lapideis, arenoſiſque docuit, cum alimenti defectu fructum producat, ac ſi ardente Sirio urenti Caniculæ exponeretur. Jam etiam me tacente facile omnes intelligunt tertium conceptionis impedimentum attigiſſe, quando nimirum ovum non nutritur ſufficienter in utero, quod frigidæ, & humidæ ut Veteres ajebant, uteri intemperiei, ſeu ut noſtrates volunt laxitati, & ſeroſorum, crudorumque humorum copiæ ad ipſum veluti ad cloacam, ad quam omnes corporis partes ſuas ſuperfluitates deponunt, confluentium tribuendum videtur, quatenus ſcilicet etiamſi retentum ſit ſemen, facillime tamen corrumpitur, cum de calida intemperie, ſeu de acribus urentibuſque humoribus res luce ſit clarior.

A defectu ſanguinis, & ſucci nutritii eodem effœto &c.] Ad quartum impedi-

(k) 5. aph. 62.

pedimentum pertinet materiæ defectus ad Embryonis conformationem, & incrementum neceſſariæ. Hinc obſervamus lactantes, aridas, & emaciatas rarius concipere, & mulieres poſt largas humorum evacuationes infęcundas evadere ob ſufficientis nutrimenti defectum. Sic nimis juvenculæ, & vetulæ etiamſi virile pudendum recipiant ſteriles communiter creduntur, quod debita ſanguinis copia careant ad Embryonis conformationem, & nutritionem. Cum tamen certiſſimis obſervationibus deprehenſum ſit ovaria ante pubertatis annos eſſe admodum parva, purificationis tempore magna, in ſeneſcentibus valde labefactata, exſucca ineptam illorum diſpoſitionem ad fecundationem, accuſandam traderem. Quamquam etiamſi ſanguinis defectus redarguendus videatur, nec tamen deficiat, effœtus nihilominus, aquoſus, partibus heterogeneis & excrementitiis dicatus eſſe poteſt, atque rorido, & oleoſo ſucco depauperatus, vel labe quadam venefica inquinatus, ut cum mulieres hectica febre laborant, hydrope, febribus longis, ſcorbuto, elephantiaſi, lue venerea, ulceribus fætidis, & cancroſis, vel inſigni unius alicujus viſceris læſione debitam ſanguificationem impediente, & convenientem triturationem, & attenuationem, qua partium inutilium, atque excrementitiarum ſecretionem minui contingit, aut omnino everti: unde in ſanguine collectæ univerſam fluidorum maſſam inficiunt, & admirandos, ac proportionatos totius machinæ motus turbant, atque confundunt. Hinc ſterilitas tamdiu duratura, quamdiu prædictis morbis leventur mulieres, aut quod frequentius evenit, quamdiu mutatione ætatis temperamentum mutent, aut organorum genitalium conſtitutionem a priore diverſam adipiſcantur, atque virile ſemen convenienter utero recipiatur, debito tempore retineatur, foveatur, conſervetur, ac debita materia ad Embryonis conformationem, & incrementum ſuppeditetur. Quid ſi ovi ductus, ſive tubæ nimis corrugatæ, aut nimis laxæ ſint ejuſdem fibrę, ut paralyticæ, & ad motum ineptæ evadant? Ab hiſce enimvero omnibus cauſis immedicabilem ſterilitatem exoriri, manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Sed ne diutius hiſce recenſendis immoremur ſi quis de ſterilitatis cauſis curioſius doceri velit, eum ad cl. Valliſnerium mittimus in ſuo tractatu Italico ſermone conſcripto (*l*), in quo omnia abunde ſuppetunt, quæ ad perfectiſſimam earum hiſtoriam requiruntur. Nobis præcipuas, & quæ ſenſibus obviæ ſunt indicaſſe ſufficiat edoctis monito cl. Liſteri dicentis (*l*). *Adhuc in tenebris ſunt generatio, & utriuſque ſexus virtutes: uteri qui ſani, & ſecundum naturam ſe habent prolis quidem concipiendæ potes ſunt: at in quo conſiſtat iſta ſanitas quæſtio eſt:* alioque Etmulleri (*m*) ubi ait: *Quando mas emittit genituram debitæ conſiſtentiæ largiter, & quando nullum adeſt vitium conformationis mas abſolvitur, & vitium ſterilitatis eſt in femina, quæ mille modis poteſt impediri.*

IV. *Alimenta, pharmaca, incantationes, maleficia &c.*] Quæ de nonnullis externis rebus ſive alimentis, & pharmacis tradiderunt Veteres Scriptores nugæ ſunt. Inter alimenta, ut acetum, mentham, ſymbrium aquaticum, aliaque id genus ſilentio prætercam, Fabæ recenſentur ab aliquibus Apollonii ductis Auctoritate, qui in libro hiſtoriarum memorabilium putamina, inquit, fabarum ſteriles plantas efficere, ſi radicibus earum apponantur,

(l) *exerc. de hum.*

(m) *colleg. pract.*

tur, & gallinas ſi crebro eas edant. Hanc ob cauſam fortaſſe Pithagoreos fabæ uſum interdixiſſe. Verum enimvero contrariam opinionem ſuſtinet Antiocheus, quem Minoè refert, aſſerens fabas malum ſuccum ferre, inſomnia turbulenta facere, ad venerem excitare, mentis tranquillitatem afficere, eamque ob rem Pythagoram a Fabis abſtinuiſſe, uti fere abſtinuiſſe Sacerdotes Ægyptios tamquam immundo edulio teſtatus eſt Herodotus. Sed ne his omnino acquieſcamus facit Aryſtoxenus apud Aulum Gellium (*n*), qui nullo legumine Pythagoram ſæpius uſum fuiſſe tradidit: hinc Pythagoricum illud ſymbolum a Fabis abſtineto alia ratione interpretandum, vel ut alii volunt teſte Plinio, quia mortuorum animæ ſunt in illis, & quia in floribus earum litteræ lugubres reperiuntur, vel ut alii, quia, ut ait Lucianus, ſi viridem fabam folliculo exuas virilibus genitalibus omnino ſimilis apparet, qui cum ſint auctores fęcunditatis ſive generationis non a faba comedenda, ſed a rei venereæ proluvio voluiſſe Pythagoram homines deducere: Tandem alii cum Plutarcho, quia Veteres vice calculorum in Magiſtratibus eligendis Fabis utebantur, unde a muneribus Reipublicæ tractandis abſtinendum. Addunt etiam nonnulli incantationes, & maleficia, a quibus conceptionem impediri poſſe vago paſſim rumore circumferre ſolent. Diabolicis artificiis non plus tribuendum, quam par eſt alibi a nobis fuit demonſtratum (*o*). Dum tamen morbos producit Diabolus, eoſdem producere ſpiritus afficiendo, modo ſcilicet urgendo nimis, & in vehementes turbas, effrænefque impetus cogendo, modo eoſdem ſiſtendo: hinc omnes morbos dæmoniacos vel ad perturbatum ſolidarum partium motum referri, vel ad cohibitum. Ad illos ſpectare varias, atque immanes corporis jactationes, circumvolutioneſque, epilepſiam, furorem, alioſque ejuſmodi, quorum mentio fit in novo Teſtamento, quorumque originem Spiritus Sanctus Dæmoni adſcribit: ad hos vero linguæ aphoniam, ſurditatem, contractionem &c. quæ a Demoneproducta fuiſſe teſtis eſt Sacra Scriptura. De ſterilitate ne verbum quidem. Impotentiam tamen conjugalem huc ſpectare, eamque ex ceſſante ſpirituum influxu per penis muſculos repetendam eſſe animadvertit Hoffmannus (*p*), id quod per incantamenta induci poſſe etiam in vulgus notum eſt. Quod ſi verum eſſet, minus mirandum videretur, ceſſante hac eadem de cauſa ſpirituum influxu in uterum, ac reliquas Mulierum partes generationi inſervientes ita laxari, ac flacceſſere poſſe, ut ſemini, & ovulo retinendo impares partes conſtituerentur, atque hac ratione ſteriles Mulieres evadere. Niſi forte velimus aſſerere eodem duce Hoffmanno, tanta hodie Dæmones poteſtate, atque imperio non uti in rerum naturalium ordinem, ipſumque genus humanum, quanta olim polluerunt. Quod vel ex eo maxime apparet, quod noſtris temporibus ſpectra, obſeſſiones, incantationes, dæmonum ludibria, ac famoſa Oracula Delphorum, Dodonæ, Boetiæ, Lyciæ, Lybiæ, Ægypti, & Cabirorum, quæ olim erant omnibus admirationi poſt mirabilem Chriſti adventum magna ex parte evanuerunt, ut Antiqui Patres Athanaſius (*q*), Juſtinus Martyr

(n) *lib.* 4. *n. a. c.* 11. *inſt. R. H.*

(o) *aph. lib. cap.* 8. *com.* 7.

(p) *Opuſc. phyſ. med. Differt. phyſ. med. de Diaboli potentia in corpora ſect.* 21.

(q) *De Incarnat. Verbi Dei cap.* 47.

tyr (*r*), Dionyſius Alexandrinus (*ſ*), ex paganis vero Plutarchus teſtati ſunt: ideoque omnes morbos, qui extraordinariis ſignis, ac caracteribus non ſe manifeſtant, quos alibi memoravimus (*t*) non magicos, aut dæmoniacos habendos, ſed naturalibus cauſis adſcribendos, quibus omni ſtudio removendis ſtudendum.

IV. *Molæ cauſæ ſunt ovi in teſtibus, ſive in tuba, ſive utero incubati partes laxæ, confuſæ &c.*] Cum ovaria ante pubertatis annos admodum pauca eſſe dixerimus, purificationis tempore magna, ac in ſeneſcentibus valide labefactata, exſucca, ſatis ſuperque apparere poſſe videtur magnum illis ad generationis opus eſſe uſum. Veſiculæ rotundæ a Stenone in cane piſce femina primum detectæ modo plures, modo pauciores, pro ætatis, & circumſtantiarum diverſitate pellucido humore ovorum albo ſimile repletæ, qui ebulliendo conſiſtentiam, calorem, ſaporem albi ovorum quoque adipiſcitur binis membranis altera alba, valida a Peritonæo ducta, altera propria arte connexis conſtantes, & ovarii ſubſtantiæ per calicem craſſiuſculum inferne adherentibus vera eſſe ova protenſo quaſi digito monſtrare videntur, ut cum Stenone Graafius (*u*), & Hornius (*x*) aliique ſunt opinati perbellis ducti obſervationibus veſiculas illas maxime poſt imprægnationem ſenſim expandi, accreſcere, ovarii membranam elevare, extendere, atque in papillæ formam ſic dilatare, ut emineant, a pedunculo ſuo pendeant, inde elabantur cicatricem cavam in ovarii ſubſtantia, & ejus membrana relinquenti, quæ ſenſim poſtea coaleſcit, ut fere veris ovis accidere quotidie experimur, quidquid de his cum Malpighio ſuſpicentur viri magni nominis, qui nuperrimis temporibus floruerunt Valliſnerius (*a*) Sanctorinus (*b*) Paitonus (*c*) Morgagnius (*d*) Nigrifolius (*e*) aliique conjicientes inſigni pro more perſpicuitate vera ova licet minutiſſima, & grani millii magnitudinem vix æquantia in luteis corporibus a cl. Malpighio primum detecta latitare, quæ cum in Virginibus, tum in gravidis maxime conſpicua ſunt, cum contra veſiculæ decreſcant, & corporibus luteis incrementum cedant, quorum ope ovulum poſtea intumeſcat, atque expandatur. Cujus rei tamen nulla evidens certitudo, ut a cl. Heiſtero demonſtratum eſt (*f*). Proni ſunt igitur plerique ad credendum, Fallopianas tubas venereis ſtimulis influxu copioſo ſanguinis, ac ſpirituum excitato vigere, atque fimbriarum, ſive laciniarum muſcularium ope ſic ovaria amplecti, & premere, ut ovulum jam imprægnatum, & ſenſim ſeparatum excipiant, & ad uterum ſi nihil impedit continuato motu deferant. Interim vero ſi uterus maſculino ſemine irrigatus fuerit, atque ea ratione præparatus, qua ovulo congruum, & idoneum nutrimentum præbeat ovulum ipſum incrementum capere, ſin minus areſcere, & expelli, ut ſuperius dictum. Quam quidem opinionem cum per ſe ſatis claram, tum propter illorum famam, qui eamdem defendunt multæ confirmant hiſtoriæ, quibus compertum eſt in his veſiculis non modo auctis, & ovario adhuc hærentibus, ſed in tubis Fal-

(r) *In Dialogo cum Tryphone Judæo*.
(ſ) *Apud Euſeb. lib. 7. H. E. cap.* 10. (t) *loco cit.*
(u) *De organ. gener. Mul.* (x) *Epiſt. de genit.*
(a) *Iſtoria della generazione*. (b) *Obſer. anat.*
(c) *Diſcorſi della generazione*. (d) *Adver. anat.*
(e) *Conſid. intorn. alla generaz.* (f) *Comp. Anat. not.* 309.

Fallopianis, atque extra uterum quoque fetus accreviſſe, quæ a Mangêtto præſertim (*g*) ex variis Scriptoribus collectæ ſunt, atque prolixiſſime deſcriptæ, a Dionis (*h*) ab Anelo (*i*), ſpeciatim vero in ovario a Zodiaco Medico Gallico relatæ (*k*) a Vieuſſenio (*l*) a Littorio (*m*); in tuba Fallopiana a Riolano (*n*) ab Elsholtzio (*o*) a Buſſiere (*p*) a Littrio (*q*) a Dionis (*r*) a Cypriano (*ſ*) a Sanctorino (*t*) a Paitono (*u*); in abdomine a Strauſſio (*x*) a Boylio (*z*) a Bianco, a Calvo aliiſque quos ſingulatim percenſendo numeravit Heiſterus (*a*) fieri hæc quandoque conjiciens propterea quod fetus vel ex ovario extricari non potuerint, vel tubæ Fallopianæ anguſtias ſuperare, vel in cavum abdominis deciderint. Quod vero nodos habet dignos acri vindice, & ab altioribus ſtudiis non ſejuncto modus fere eſt, quo ovum fecundetur. Cum fætum jam in ovario principium ſumere ex hactenus dictis perſpicuum fit, idque confirment experimenta in Cuniculis inſtituta, quibus deprehenſum eſt, nonniſi ſex circiter horis poſt coitum ovorum folliculos ad rubedinem vergere, viginti autem, & quatuor horis elapſis multo clariora in iiſdem fecundationis inditia apparere, tertio vero tantum a coitu die ova in tubis, & quinto in uterum deduci, illorum opinio, qui putant tenuiſſimam ſeminis partem uterum, & ejus ſuccos prius fecundare, a quo deinde ovulum delapſum fecundetur, per ſe corruit. Atque hac in re quidam viri cl. Bartholinus (*b*) Graafius (*c*) Verheyenius (*d*) Ruyſchius (*e*) Mangettus (*f*) Valliſnerius (*g*) Morgagnius (*h*) optime ſenſiſſe nonnullorum judicio viſi ſunt, cum ovorum fecundationem non in utero, non in tubis, ſed in ovariis fieri ſunt arbitrati: nonnullorum inquam, ſive illorum, qui omnia ex ovo generari contendentes, futurique Animalis rudimenta in oculis femineis ponentes ad credendum vehementer adducti ſunt maxime volatilem ſeminis virilis partem, tenuiſſimam ad ovarium uſque aſcendere, atque ovum ipſum afficere. Quam quidem ſententiam cum primum ſubtilius excogitarunt, certum eſt non parum placuiſſe, ſive revera habeat cur placere debeat, ſive obſervationes in ovis gallinaceis poſt Hieronym. Fabricium ab Härvæo, Velthuſio, Deuſingio, præſertim vero ab oculatiſſimo Malpighio ante, & ſub incubatu inſtitutæ id ipſum manifeſto conjiciant. Conſtat enim in confinibus albuminis, & vitelli tunica ſingularem maculam albam, perexiguam, lenticulæ fere magnitudine reperiri, quam ob ſimilitudinem cicatriculam appellant, quæ nudis ocu-

(g) *Theatr. anat. Tom. 2. & Bibliotheca Chirurg.*
(h) *Diſſert. ſur la generation del' homme.*
(i) *Suite de la novele methode de guerir les fiſtules lacrimales.*
(k) *An. 1682.* (l) *Diſſert. de ſtructur. & uſu uteri.*
(m) *Hiſt. Acad. Reg. an. 1701.* (n) *Anthrograph. lib. 2. cap. 35.*
(o) *De conceptu tubario.*
(p) *in act. Anglic. 1694. & Lipſienſ.*
(q) *l. c. an. 1702.* (r) *l. c.* (ſ) *Epiſt. de fetu.*
(t) *l. c.* (u) *l. c.* (x) *hiſtor. fet. Muſſipont.*
(z) *Hiſtor. anatom. gravidit. an. 25.*
(a) *Compend. anat. not. 35.*
(b) *Anat. lib. 1. de inf. vent.*
(c) *Ibid.* (d) *Ibid.* (e) *Adverſ. anat.*
(f)) *Ibid.* (g) *Ibid.* (h) *Ibid.*

oculis rudis videtur, microſcopio vero armatis inſpecta puelli conformationem pulcherrime repræſentat. Quibus addendum in ipſis plantarum ſeminibus ceu totidem ovulis gemellam quamdam conſpici, ex qua planta naſcitur, & in qua delicatiſſima totius plantæ delineatio apparet, eaque corrupta, vel corroſa omnem vegetationis vim penitus extingui. Cum Leuvvenhoekium audiunt (*i*) aſſerentem, ſe in grano tritici tres diſtinctas plantulas cum radiculis, & foliolis vidiſſe, in ſecalis grano quatuor plantarum rudimenta, in hordei quinque, ſeptem & octo, tam multum profeciſſe videntur, ut quidquid alii perſcrutari hac de re altius potuerint ad aniles fabulas referant. Hinc non modo Diamerbroekii, Lamii, Duvernei Chirurgi, Sbaraleæ, ac nuperrimum Vidulſii, Vogli, de la Mothe ſyſtema ſive accuſare, ſive refellere cunctis viribus conati ſunt (utpote qui contra ovorum muliebrium virtutem pugnarunt), ſed notiſſimum ipſum Leuvvenoekii, quem Andryus, Vulpinus, Geoffroy, Boerhaavius, aliique ſequuti ſunt, futuri Animalis machinam non in ovulis feminarum, ſed in vermiculis vivis, quibus maſculinum ſemen ſcatet contineri exiſtimantis, deſtruere ſatagunt. Hi fere Morgagnius, Sanctorinus, Nigriſolius, Valliſnerius, Paitonus ſupra laudati. Recte ne an ſecus, viderint alii. Id enim, & quæcumque attigi, non ideo attigi, ut judicium interponam meum, ſed ut aliorum exquiram. Illud ſolum aveo intelligere, quid cauſæ ſit, cur reprehendendus homo videatur, qui conceptum fieri tradat, dum ſemine virili Animalculis hujuſmodi vivis ſcatente impetu violento in uterum immiſſo unum ex ipſis ovo occurrens parte ſua vivaci incredibiliter parva per inſenſibiles Membranarum poros ovi ſubſtantiam penetret, ubi retentum, fotum (non ſecus ac plantarum ſemina terræ commiſſa) nutritur, creſcit, cætera ſuffocat, donec evolutum, explicatumque perfectum Animal evadat? Cur redarguendus, qui fieri conceptum doceat omni illo in loco, in quo ſemen ovum offendit, in ovario ſcilicet, in tuba, in utero? Cur digito monſtrandus, qui conceptum fieri commode poſſe cenſeat ſemine, & ovo ſimul eodem tempore in uterum delatis, ac tubas non ſolum tempore fervidi coitus rigentes amplecti ovaria, & premere, verum etiam quocumque alio, proindeque ova dummodo matura ſint poſſe ſemper ex ovario in uteri cavum dimitti, ibidemque ſemine maſculino accedente foveri, ſin minus tamquam ſubventanea areſcere, & expelli, quemadmodum oviparis accidere videmus. Nonne hic operandi modus clarior, ſimplicior, tutior cæteris hactenus excogitatis videtur? Si verum id eſſet neque eum longe admodum falli putaverim, qui exiſtimaret fœtus generationem in hoc ſitam eſſe, quod unum ex Animalculis vivis, quibus ſemen ſcatet in ovulum ingrediatur, ibique retentum creſcat reliquis ſuffocatis. Clariorem autem eſſe nemo inficias ire auſit, qui ſedulo, & accurate perpendat eos, qui tenuiſſimam ſeminis partem ovum Muliebre fęcundare opinantur eam tenuitatem intellexiſſe, quæ auræ ſimilis eſt: Hinc auram ipſam appellarunt, virus, venenum nulla alia de cauſa, niſi ut tenuitatem, quæ vix concipi poteſt explicarent. Sed id ſuppoſuere potius, quam obſervatione, aut experimento demonſtrarent. Qui ad vermiculos confugiunt rem ſane proferunt, quam cum ad veritatem propius accedere ratio evincit, tum obſervationes, atque experimenta confirmant. Vermes enim in ſemine con-

(i) *Epiſt. ad Reg. Societ.*

contineri tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Quod profecto non dicerem, niſi vim animis adderet cl. Hartſoekerus, qui primus omnium ſemen Animalium microſcopio examinavit, cujus ope ſe infinitam propemodum Animalculorum copiam detexiſſe teſtatus eſt (*k*), quod & indefeſſus naturæ per microſcopia indagator Leuvvenoekius multis ac conſtantibus experimentis non modo confirmavit, ſed eorum exiſtentiam contra adverſarios variis in locis defendit, ut præſtantis. Morgagnium ſilentio prætеream, Liſterum, Valliſnerium, alioſque celebres hujuſce. Qui Scriptores quamvis contrariam generationis opinionem ſuſtineant, eoſdem tamen inficiari (quod magni facio) auſi non ſunt. Quo loco fateor me acquieſcere nullo modo poſſe leviſſimis ſuſpicionibus illis, in quas Verheyenius, Clericus, Mangettus, aliique inciderunt, particulas, quæ in ſemine per microſcopia ſpectato moveri conſpiciuntur vera Animalcula non eſſe, ſed vulgaria, & inanimata corpuſcula, quæ non ex ſe ipſis, ſed ſpirituum genitalium, atque auræ ſeminalis vi agitantur. Illud enim non aſſequor cur velint ſpiritibus genitalibus, auræ ſeminali, quæ idea concipimus fidendum eſſe, de obſervationibus, atque experimentis vero dubitandum. Cur vulgaria, & inanimata corpuſcula innumera cum innumeris exiguis, oblongis, caudatis, vivis anguillulis (tales enim eſſe ſeminales vermiculos Boerhaavius ipſe teſtatus eſt) innatantibus alteri parti ejus humoris, qui in meditullio teſtium, epididymidibus, vaſis ejaculatoriis, & veſiculis ſeminalibus deprehenditur, iiſque in hominibus, quadrupedibus, avibus, amphibiis, infectis ſemper conſpicuis ſint confundenda. Sed ſentio jam quid objiciatur, & quantum mihi diſcriminis reſtet cum iis, qui ſuaderi non poſſunt vermiculos in ſemine contineri, tales nimirum videri ob illuſionem, quæ ex vitro, aut lentibus contingit, hinc variis modis quoad numerum, molem, figuram paſſim obſervari, & deſcribi. Recte illi quidem. Ego vero propter ſummam ſtultitiam Malpighii aliorumque experimentis fidam, quibus citra ullius erroris ſuſpicionem ſtatutum prætendunt cicatriculam illam ſuam in cofinibus albuminis, & vitelli tunica microſcopio conſpicuam puelli conformationem pulcherrime repræſentare, ut omnia ex ovo repetant? Sed tempus eſt ad propoſitum redeundi. Satis enim in iſtorum ſubtilitatibus verſati ſumus, cumque de vermiculorum exiſtentia in ſemine hodie dubitetur a nemine, atque natura nil fruſtra moliatur, ſi hæc operandi ratio clarior non modo ſit, ſed & ſimplicior, in eas anguſtias compellere minus congruum videtur, ut vermes ſemini eamdem indidiſſe affirmemus pro ſtimulo veſicularum ſeminalium ad ſemen validius exprimendum, ut cl. Morgagnius opinatus eſt, vel pro ſuavitate concubitus, dum in ductus ejaculatorios confertim irruentes voluptuoſam quoque titillationem in exitu excitant, ut Liſterus, vel demum pro ſeminalis materiæ continua agitatione ſciſſione atque hinc majore fluiditate, mobilitate, qua ad novam circulationem cum reliqua maſſa diſponeretur, ut Valliſnerius, ſed pro ovi muliebris fœcundatione. Simpliciorem autem eſſe ecquis revocare auſit in dubium, ſi inſignes mutationes ſpectet, quæ continuo obſervantur in Animantibus, quæ ex reptilibus fiunt volatilia, & hæc rurſus ætatis mutatione in aliam Animalculorum ſpeciem convertuntur? Notiſſimo id conſtat exemplo bombycum, quæ in Chryſalides mutantur, vermium, qui in muſcas, ut alias mu-

(k) *Eph. erudit. Lipſ. an.* 1678.

mutationes mittam quamplurimas, quæ in naturali hiſtoria paſſim deſcriptæ, reperiuntur. Neque aliud operæ pretium eſſe ad hanc mutationem vermiculi in fœtum ſubeundam tenendum eſt, quam ut ille ovum ingreſſus aptum nutrimentum inveniat, quocum creſcat, augeatur, partes expandat: in ſola enim partium expanſione mutationem ſitam eſſe tam ego intelligo, quam qui maxime. Quid de analogia dicendum, quæ vermiculis admiſſis inter fęcundationem ovorum intereſt, & ſeminum plantarum, quam pulviſculo in ſemina ipſa e ſtaminum floris apicibus immiſſo haberi non immerito conjectandum? Quandoquidem hunc generationis modum clariorem, ac ſimpliciorem eſſe oſtendimus, ſi tutiorem eſſe conſtet, jam confecta res erit. Vermiculorum ſyſtema tandiu ſuſtinendum videbitur, quandiu certiora hiſce pro ſola ovorum virtute ſuppetant argumenta, de quibus ſi docebimur priore relicta opinione in alteram ſtatim nos quoque pedibus ituros eſſe pollicemur. Adeo verum eſt pro officio, & amore veritatis longe aliter nobis modo eſſe loquendum. Tutiorem autem eſſe liquido apparebit, ſi naturæ, ſeu ſummi rerum Conditoris finem contemplemur in eo potiſſimum verſantem, ut genus humanum nova ſubinde generatione conſervaretur, & hominum numerus in dies ſingulos creſceret & multiplicaretur, quo non tam facile, ac tuto potiri potuiſſet, ſi in ovo fętus rudimenta continerentur. Juſtus enim ſubrepit timor, ne impar illud eſſet ad fęcundationem etiam in uterum delapſum, ideoque fine fruſtraretur ſuo. Minime vero fruſtrari manifeſtum eſt, ſi uno impari vermiculo exiſtente ad ovulum penetrandum, infiniti fere ſint, quæ prædicto muneri obeundo exiſtunt aptiſſimi: eo magis quod in hac ſententia non oportet eos ad ovarium uſque perpetuo aſcendere, ad tubas, ut priuſquam delabatur ovulum penetret, ſed ubicumque idem offendat in ovario, in tuba, in utero ſeſe inſinuent, atque ea ratione afficiant, qua opus eſt ad generationem, quæ res ad finis ſecuritatem maxime comparata videtur. Deinceps ecquis eſt vel rudioris ingenii, qui non videat aliud etiam fuiſſe naturæ inſtitutum, certum videlicet hominum numerum habere, ut eorum ſpecies propagaretur? hinc neceſſe erat, ut plures haberentur vermiculi, plurimæ fierent conceptiones, plurimi ederentur in lucem fętus: multo autem plures ſuffocantur vermiculi, quam ova incubentur, multo plura ova incubata ejiciuntur, quam fętus maturi, multo plures editi in lucem pereunt, quam habeantur pueri, plures intereunt pueri, quam habeantur adoleſcentes, plures adoleſcentes, quam habeantur juvenes, qui apti ſint ad opus generationis. Sed jam ad ultimum ventum eſt, in quo ſi diligentius ſingula perſequamur, verendum eſt nobis, ne vel propter ejus longitudinem, vel ob rerum dignitatem nullum propemodum ſcribendi finem reperiamus. Quo factum eſt, ut mihi perſuaſerim ovulum ita fęcundatum optime tamen, atque in perfectiſſimo ſtatu conſtitutum ab utero retineri, ejuſque vaſis turgentibus, copioſioremque ſuccum effundentibus partis calore, & motu ſubtilior factus cum fuerit ovulum ipſum liberum primum, & nulli parti adhærens intrare, diſtendere, augere, Embryonemque in eo contentum nutrire eo uſque dum ovulo in dies incrementum ſumente, membraniſque illius ſenſim creſcentibus, & ea præſertim parte, qua ovario adhærebat, placentæ rudimenta appareant, atque ovum ita creſcens perfectum, atque in omnibus ſuis partibus expletum Animal evadat. Ovo vero male diſpoſito, cujus tenuiſ-

nuiſſimæ partes machinulam illam commoventes fortuito laxæ ſint, confuſæ, aut preſſæ arcte, & invicem irretitæ, & implicatæ, corrugatæ, aut quomodocumque læſæ, & alteratæ, ut vermiculus ſeſe expandere, & perfecte explicari non poſſit, loco perfecti Animalis informem quamdam maſſam effici, in qua fluidorum quidem, & ſolidorum motus habetur, confuſus tamen, & vix ſenſibilis, & tale exinde partium incrementum. Eamque veram molam dicimus, ſeu falſum germen, quæ adnotante cl. Mauriceau (*l*) ratione temporis differunt, cum mola informis illa maſſa dicatur, quæ ultra conſuetum gravidationis tempus perdurat in dies ſingulos creſcens, falſum vero germen, cum ſecundo, aut tertio circiter menſe ejicitur.

Vel vero fibroſæ, ac gelatinoſæ ſanguinis partis tenui, & ſeroſa una cum globulis foras exeuntis &c.] Si ad ea attendatur, quæ paulo ante a nobis dicta ſunt, apparet falſum germen, ſeu molam nil aliud eſſe, quam imperfectam conceptionem germinis non ſatis adhuc animati principio in ovo, eodem ferme ipſo conceptionis momento, aut paulo poſt, labefactato, ita ut ex ovi membranis, placentæ, & matris ſanguine carnoſum quoddam corpus quoad ſoliditatem, & figuram Indiæ pullo plane ſimile conficiatur. Quibus addendum eodem aperto aquæ cavitatem videri ei plane ſimilis, quæ in ovo continetur, & quod magis eſt parvum membranæ punctum prædictam cavitatem obducens, quod eſt corrupti, ac labefactati germinis fetus inditium. Ita fere cl. Dionis (*m*). A quo tamen diſſentit laudatus Mauriceau (*n*) falſa germina magis membranoſa quam molas eſſe aſſerens, ac corrupto ſemine quandoque repleta; fere autem ſemper ſuperiorem eorum ſuperficiem, qua utero adhærebant magis rubeſcere, ac carnoſiorem eſſe; quam interna eorum pars, quæ plerunque nigricans, ac liveſcens propter difficiliorem ſanguinis circulum apparet, qui tunc potiſſimum, cum falſa germina ab utero divelli incipiunt in eorum vaſis denſatur, & ſenſim ſenſimque in vacua interſtitia propriæ eorum ſubſtantiæ ſe inſinuans extraneorum corporum molem vehementer adauget, quæ in naturali ſtatu multo erant elatiora, quam ab utero expulſa ordinario viſuntur, cum uterus vi ſuæ contractionis compacti, coactique corporis figuram plane ſimilem cæpæ, aut pulli ventriculi tribuat, poſteaquam aqua, ſemenque corruptum intus contentum penitus fuerit evacuatum. Immo ſe longa experientia edoctum ſæpius cognoviſſe affirmat hæc omnia pro falſis habita germina in conceptionis exordio vera fuiſſe, nihilque aliud eſſe quam parvas placentas, quarum membranæ denſo, coactoque ſanguine molem inſigniter adaugente ſunt repletæ. En litem inter Medicos longe gravem. Quemadmodum enim in falſo germine deſcribendo cl. Mauriceau cum cl. Dionis opinione non convenit, ita aliam ab utraque diſſimilem invexit cl. la Mothe (*o*) qua falſum germen membranis utique involutum haud eſſe conſtituit, neque uti naturalis fetus aqua ſcatere, neque propterea placenta præditum, cujus munere ipſum fungitur ex uteri parietibus, quibus adhæret alimentum excipiens. Quibus ita ſe habentibus falſi germinis natura prorſus ignoratur. Carnoſum enim extus, membranoſum intus & cavum, & aqua plenum Dionis eſſe prætendit. Carnoſum omnino, & aquæ expers la Mothe. Modo mem-

D d 2

(*l*) *Lib.* 1. *cap.* 10. (*m*) *Liv.* 2. *ch.* 7. *e reflex. obſer.*
(*n*) *L. cit.* (*o*) *Refl. obſ.* 11.

membranoſum, modo corrupto ſemine, modo denſo coactoque ſanguine repletum Mauriceau. In hac tanta, tamque multiplici opinionum varietate difficile eſt certi quidpiam conſtituere, iſque multum profeciſſe videretur, qui quanta ſit rerum ignoratio in hac parte perſpiceret penitus, atque coſnoſceret. Tamen quia paucos hoc uno uberrimo cæteroquin fructu contentos eſſe plane intellexit cl. Andreas Paſta (*p*) quid ipſe ſentiret, paucis expedit. Pleraque enim iſtorum corporum, quorum hiſtoriæ apud Medicos deſcriptæ paſſim reperiuntur, non aliud eſſe procul dubio conſtituit, quam uterinos polypos, vel gelatinoſæ, albidæque ſanguinis partis concretiones in utero elaboratæ, quæ ſub falſorum germinum, molarum, ſciſſæ, diſruptæ placentulæ, fungorum larva in fraudem facile inducunt, quæque & in partu, & poſt ipſum ſæpe ſæpius ejiciuntur, ut ex Lancilii epiſtola ad Mulebancher miſſa in hiſtoria generationis Valliſnerii manifeſtiſſime apparet (*q*). Quod etiam exemplo confirmat Nobilis Mulieris, quæ a quodam Medico fuit ſummopere perterrita, quod præſens præſentem alloquens aſſeruerit, quamdam ejuſcemodi concretionem, quæ revera carnis fruſtulum videbatur, cum quid eſſet omnino diverſum, placentæ portiunculam fuiſſe: quam tamen ſe integram omnino, ſuiſque omnibus expletam partibus una cum fętu excretam antea vidiſſe teſtatus eſt (*r*). Ejuſcemodi concretionum cauſas ſtabilire æque difficilis quæſtio eſt, quam tamen Valliſnerii ſtudium, & induſtria facilem fecit (*ſ*), exiſtimantis eaſdem a fibroſa, ac gelatinoſa ſanguinis parte tenui, & ſeroſa una cum globulis foras exeunte proficiſci, quæ utero tenaciter adhæret, condenſati, concreſcit. Andreas tamen Paſta hac Valliſnerii ſententia contentus non eſt, atque ille quidem concinne ſibi dicere videtur, cum docet ejuſcemodi concretiones eadem ipſa celeritate, ac lege contingere, qua ſanguinem a venis eductum cogi, condenſarique videmus, qui ſi ex Pleuritici, aut Podagra laborantis fuerit, citiſſime concreſcit, atque in ejus ſuperficie alba quædam materia, quam cruſtam dicimus, apparet, quæ interdum acutiſſimi cultri aciem fugit, ut a viris cl. Sydenhamo (*t*) Baglivo (*u*) Malpighio (*x*) præfertim vero a Mangeto adnotatum eſt (*z*) qui in Muliere quadam eductum ſanguinem eo ſoliditatis deveniſſe teſtatus eſt, *ut maſſa carnea ſolidior inde efformaretur, cujus textura compactior non tantum carnes molliores æquabat, verum tendineam indolem quaſi adepta erat: nerveum corpus dixiſſes e variis fibris varie inter ſe commixtis compaginatum*. Quod cum ob alias rationes, tum ob hanc potiſſimum in animum ſibi induxiſſe haud intuto pronuntiavit, quod cum Mulieres propter Menſium defectum ſe gravidas putent, atque iiſdem quandoque affectionibus corripiantur, quæ inter gravidationis initia ordinario ſe produnt, nil vel ſanguinis, vel ſeri ex utero profluere ſolet; arcte nimirum clauſo ejuſdem orificio a primæva menſtruorum ſuppreſſione ad ea uſque tempora, in quibus aſſidue novo affluente ſanguine, ſeriſque acribus ex denſo, coactoque ſanguine ſecretis, uteri membranæ vehementius ſollicitantur, contrahuntur, atque ea ratione afficiuntur, quæ vel una ſatis valere poteſt ad ſuppreſſum Menſium fluxum revocandum. Si viribus hiſce preſſum patere ejuſdem

(p) *Loc. cit. p.* 161. (q) *Della generazione &c.* (r) *Ibid.*
(ſ) *P.* 2. *cap.* 17. *& p.* 3. *cap.* 1. (t) *Sect.* 6. *cap.* 3. *de pleurit. & tract. de podagr.* (u) *Prax. med. de pleurit.* (x) *De cord. polyp.*
(z) *Biblioth. anat. tom.* 2.

dem orificium contingat, ſanguinem ex utero floridum, roſeique coloris elegantia victimæ prorſus ſimilem effluere: ſi vero uteri membranæ non ſollicitentur, non contrahantur, neque ea ratione afficiantur, qua opus eſt ad menſtruum ſanguinem ex utero ejiciendum, ipſum in uteri cavitate facile hærere, cogi, & in grumos rubro obſcuros, modo membranis donatos, alias materiæ cuidam fetus immaturi carnem ad amuſſim æquantis unitos ſecedere. Hinc paſſim accidere, ut hæc eadem materies pro majori minorique ejuſdem mole, ac varia accidentali partium diſpoſitione, nec non etiam pro novo, ac vago ſpectantis genio modo falſum germen, modo mola tunc cum fluentibus una menſtruis purgationibus aliquandiu ſuppreſſis, expellitur, reputetur. Fateor me juſtis laudibus æquare non poſſe, quæ ingenioſe admodum tradidit vir clariſſimus. Parcat tamen ſi in ſuam non eo ſententiam cum docet, omnes ejuſcemodi informes maſſas nil aliud eſſe, quam uterinos polypos, vel gelatinoſæ albidæque ſanguinis partis concretiones in utero elaboratas, quæ ſub falſorum germinum, molarum, aliorumque extraneorum corporum larva decipiunt. Licet enim ab illo fuerim, ſi de ſpuriis molis loqui intelligat, & de iis, quarum æthiologiam in præſens ſuſcepimus, haud propterea tamen conceſſerim idem de veris eſſe dicendum, quæque a Dionis, a Mauriceau, la Mothe ad examen revocatæ fuerunt. Aliud eſſe exiſtimaverim informem quamdam maſſam, in qua tamen fluidorum, ſolidorumque motus habetur licet confuſus, & vix ſenſibilis ob circulationis ſanguinis, & ſpirituum impedimenta, aliud vero concretionem quamdam a ſanguine in uteri cavitatem effuſo, ibique aggeſto, condenſatoque prodeuntem. In illa quo modo membranæ, pelliculæ, carnoſa ſubſtantia percipi queant, tam ego intelligo, quam qui maxime. Ovum enim percipio, cujus partes laxæ, confuſæ, arcte preſſæ, & invicem irretitæ, implicatæ, corrugatæ, aut alio quovis modo alteratæ impedimento ſunt, quominus ad eam expanſionem perveniat, qua opus eſt ad optimam fœtus conformationem. Quemadmodum vero in ovi conſtructione luſus, erroreſque infiniti eſſe poſſunt, ita naturam in eas anguſtias compellere, ut eaſdem ſemper circuitionis ſanguinis, humorumque, nec non mechanici motus ſolidorum, a quibus ſecretiones omnes excretioneſque, nec non partium nutritio, augmentatio, aliæque corporum alterationes proficiſcuntur, leges ſervet in extraordinariis hiſce caſubus plane ridiculum: Hinc fortaſſe petenda ratio, cur ejus ſoliditatis, figuræ, atque internæ ſubſtantiæ Dionis quædam mola apparuerit, quæ a Mauriceau videri nunquam potuit, cur huic contigerit in alia intueri, quod commode ſpectare la Mothe non licuit. Cur illa aqua plena, hæc exſucca, cur membranoſa hæc magis, illa carnoſa: omnes tamen plus minus duræ, compactæque fuerint, atque immaturi, ſeu inanimati fetus ſpeciem quamdam præſeferentes, quod a concretionibus, quæ ex effuſo ſanguine contingunt tam alienum eſt, quam quod maxime, præſertim ſi id ea fieri celeritate ac lege cum cl. Paſta liberalius agentes ſtatuamus, qua ſanguinem e venis eductum cogi condenſarique videmus in iis, qui Pleuritide, Podagra, aliiſque iſtiuſmodi affectionibus graviſſimis premuntur. Ecquis enim eſt quin plane intelligat quantum interſit diſcriminis inter ſanguinem e venis eductum aeri expoſitum, & illum qui in viſcerum cavitatibus collectus ambientis aeris vires fugit, quantum inter illum, qui guttatim ſecta vena ſtillat, aut copioſe fluit, quique ma-

magis vel minus ab ambiente aere afficitur? Cujuſce rei denfenſionem nolim credas ita me ſuſcipere, ut negem aperte in concreti cruoris ſuperficie conſpici quandoque albam illam cruſtam acutiſſimi cultri aciem fugientem: eam tamen nil aliud eſſe, quam gelatinæ concreſcibilis partem craſſiorem, crudiorem, & principio aliquo coagulante imbutam, quæ plurimorum morborum a ſanguinis ſtagnatione pendentium occaſio eſt, pleuritidis ſcilicet, aliarumque inflammationum ad credendum vehementer adducor, atque id unum contendo concretionem huic plane ſimilem in utero non facile ſubſequuturam, etiam ſi ſanguis in uteri cavitatem effundatur, niſi tenuis, & ſeroſa pars una cum globulis foras elabatur, unde fibroſa, ac gelatinoſa utero adhæreat, condenſetur, concreſcat, ut Vallifnerius opinatus eſt. Atque ita quidem conjicientem obſervationes primum omnium admonuerunt, quibus compertum eſt hærentes diu Menſes, ſic ut uterus, & venter majorem in modum increſcat tandem inopinata hæmorrhagia ſuperveniente in inſignes grumos ſanguineos nunc rubro obſcuros, nunc liveſcentes ejici, qui tamen facillime diſſolvuntur, quibuſque aqua calente ſæpius ablutis aquam globulos ſecum avehere relinquentem corpus album, & fibroſum, ut fere craſſamento ſanguinis e vena educti contingit haud injucundo ſpectaculo deprehendimus. Deinceps arduum, atque inſolens explicatu mihi videtur, quomodo ſi ſanguis ea craſſitie, viſciditate, & lentore peccaret, ut in uteri cavitatem effuſus ea prorſus celeritate, ac lege condenſaretur, qua ſanguinem e venis eductum videmus, cujus textura adeo compacta quandoque eſt, ut non tantum molliores carnes æquet, verum tendineam indolem acquirat, ut ex allata Mangetti obſervatione conſtat, uteri inflammationem prius non cieret, quam polypoſas concretiones in ipſius cavitate, cum jam ejuſcemodi textura in educto ſanguine non appareat, niſi in iis, qui Pleuritide, aliiſque graviſſimis inflammationibus laborant. Si enim ſanguis ita vitiatus per pleuræ, aut pulmonum vaſa non modo libera circulatione trajici non poteſt, ſed hærere cogitur, atque in lateralia lymphatica effundi, atque hinc partis ruborem, dolorem, febrem aliaque ſæva ſymptomata progignere, cur ubi uteri vaſa offendat, quæ non recto curſu, ſed varie contorta, curva; & quaſi ſerpentinis ductibus hiant membranis intertexta, omni fulcro deſtitutis, in quibus ſanguinis progreſſus lentus admodum, ac ſegnis eſt, inflammationem prius excitare non debeat, quam ibidem aggeſtus minimas earum extremitates ſic diſtendere, ut aperiantur tandem, & viam ſibi ſternant aditumque, plane non aſſequor. Cum admiſſa ſeroſæ, tenuiſque partis una cum globulis ſeparatione a parte gelatinoſa etiam ſanguine naturaliter ſe habente, & conſuetas vias libere remetiente, illa continuato loci calore denſior, & cartilaginea effici queat, ut paſſim in educto e venis ſanguine videmus, quod eſt argumentum in medicina prope certiſſimum in ſanguine moleculas exiſtere durioribus etiam partibus nutriendis idoneas. Neque vero Platerum nobis opponat, quem molas aliquot rejectas vidiſſe refert *immenſæ magnitudinis partim carnis atræ, partim craſſarum membranarum ſpeciem referentes, ex quarum forma vulgus multa ſibi, ac ſi caput, aut alia pars corporis, vel aliquod Animal eſſet, vel repræſentaret imaginari ſolet*: aut Fridericum Hoffmannum aſſerentem fieri quandoque, *ut perpeſſo abortu, vel ſuperato etiam legitimo partu aliquot Menſibus poſt, a feminis, quæ gravidæ judicabantur, maſſæ ſolidæ carneæ variæ magnitudinis, & figuræ ejiciantur, quæ dum* de-

deforme corpus, & Animalculi cujuſdam, ut talpæ, muris majoris, aut alius ſpeciem repræſentant a ſuperſtitioſa plebe incantamento tribuuntur, ac molæ eſſe perhibentur, quin a plurimis Medicorum pro præternaturali conceptu ex ſemine imbecilli, ac morboſo prognato venditantur, cum poſtea ſubdat ejuſmodi corpora, aut placentæ reliquias eſſe, aut polypos in uteri vaſis generatos. Reſpondemus enim Platerum quod attinet aliud eſſe vulgum multa ſibi imaginari, aut ignaros Medicos; aliud eos, qui philoſophicis anatomiciſque in rebus excelluerunt, qui obſervando, experiundo, & propiores cauſas, propriaque ſigna morborum nuperrimis temporibus inveſtigando ſuæ famæ celebritatem per omnes fere terrarum oras diſſeminarunt, quique de falſis germinibus, atque ſubſequentibus molis innumeris fere obſervationibus, atque experimentis ducti ita loquuti ſunt, ut nullum de eorum exiſtentia ambigendi locum reliquerint. Dionis intelligo, la Mothe, ac Mauriceau præſertim, qui non ſolum longa experientia edoctum, ut ſupra vidimus, cognoviſſe affirmat, omnia pro falſis habita germina in conceptus exordio vera fuiſſe, nihilque aliud eſſe, quam parvas placentas, quarum membranæ viſcido coactoque ſanguine molem inſigniter adaugente ſunt repletæ, ſed exempla etiam pulcherrima contemplanda curioſis exhibet, quibus citra ullius erroris ſuſpicionem conſtitui poſſe videtur falſa germina, veras molas mera vulgi, ac Medicorum figmenta non eſſe, & ab iis probe diſtinguendas, quæ a carcinomatoſa carnis excreſcentia, a ſcirrhoſo tumore, aliiſque iſtiuſmodi extraneis corporibus proficiſcuntur, quæque confuſam cum utero ſubſtantiam ſortitæ cum ſint miſellas ad mortem uſque comitantur. Cum interim veras molas a falſo germine tamquam rivulum a fonte emanare pugnaciſſime ſuſtineat, quod diutius quam par eſt in uteri confiniis immorans ad eam molem increſcit, ut molæ nomine inſigniendum jure merito videatur. Quod ubi diligenter teneatur minus verendum eſt, ne juſtis contumeliis tandem increpetur, qui traditam diviſionem molæ in veram, & ſpuriam non temere aſſignatam fuiſſe contendat. Hac adhibita nil in Medicorum hiſtoriis reperiri, quod commodiſſime explicari non poſſit. Non molarum generationem in viduis inſigni caſtimonia præditis, in virginibus intactis, & vetulis, quæ jam fecunditatem amiſerunt, quarum exempla quamplurima memorantur a Graafio (*b*) a Rhodio (*c*) Kerkringio (*d*) in M. N. C. (*e*) a Stalpartio vander Wiel (*f*) Hoecſtetero (*g*) Thom. Bartholino (*h*) Horſtio (*i*) Marcello Donato (*k*) ab ipſis Mauriceau (*l*), & la Mothe (*m*), quas omnes ad ſpurias aptiſſime retuleris, quæque ſi diligentius ad examen revocentur ſimilitudinem habent cum veris quamdam, non ea tamen fibrarum mirabili prorſus ordine intertextarum, membranarumque robore, ac firmitudine inſigni ſunt inſtructæ, quas

(b) *De Mul. org. gen. &c.* (c) *Cent. 3. obſ. 53.*
(d) *Obſer. anat. 81.* (e) *Decad. 3. an. 7. obſ. 222.*
(f) *Obſer. rar. 73. cent. 1.* (g) *Obſer. med. decad. 6.*
(h) *hiſtor. anat. cent. 1. hiſt. 67. & A. H. par. 3. cap. 17.*
(i) *Lib. 4. de morb. Mul. obſ. 39.*
(k) *Medic. hiſt. mirab. lib. 4. cap. 25.*
(l) *Oſſ. 33. 145.*
(m) *Reſl. obſ. 15.*

quas in cortice, ſeu cruſta alba ſanguinis Pleuriticorum, aut Podagra laborantium reperiri poſſe adverſarii conjiciunt, quaſque pro varia globulorum copia, quos reticulato ordine colligunt, & ſeri, quibus tinctæ ſunt colore nunc muſcularem ſubſtantiam, nunc glandularem, nunc pinguedinoſam, nunc nerveam æquare putant, quas tamen nec ipſi deprehenderunt, nec vel in iis, in quibus ſerum ſeceſſit, & quibus partes, quibus conſtant arctæ magis, compactæque ſunt, quamvis omni adhibita diligentia, quantum mihi multorum annorum curſu fas fuit intueri potuiſſe bona fide teſtor. Fridericum Hoffmannum quod ſpectat aſſerentem, maſſas ſolidas carneas variæ magnitudinis, & figuræ a plurimis Medicorum pro præternaturali conceptu venditari, cum ejuſmodi corpora aut placentæ reliquias eſſe tradat, aut polypoſas uteri concretiones, de ſpuriis loquutum fuiſſe maniſeſtiſſimo apparet ex iis, quæ alibi in hanc rem ſcripta reliquit (*n*) inquiens: *Concrementorum, quæ utero excluduntur varia ſunt genera: primum audiunt molæ, quas & generationis, & nutritionis ſuperiori pertractavimus.* Molarum enim nomine concrementa venire carnea paulo ante docuerat, eaſque a Veteribus in molas generationis, & nutritionis dividi. Has ſuboriri ex vitioſa nutritione, & ſucci ſanguinei, chyloſique ſtagnatione intra extremas uteri membranas, quæ plerunque lochiorum, vel menſtruorum per male feriatas artes ſuppreſſioni debetur, atque niſi opportune iis occurratur in prægrandes tumores increſcere, ut exemplo didicit (*o*) raro ſanabiles. Contra vero generationis molas in ipſius uteri cavo produci conſtituerat, ubi loco veri conceptus moles carnea indigeſta, vaſculis, membranis, & fibris carneis prædita generatur, ſicuti fere fit in feminis conjugatis cachexiæ obnoxiis, ejuſque ſigna tradidit non modo, ſed obſervatione in femina quadragenaria confirmavit: Tum vero ſubdit: *Alterum eſt cruor congrumatus in magnis fruſtis excretus; cujuſmodi obſervationem allegat Ruyſchius &c.* Inferius vero: *Noſtra ægrotans excluſit tam molas veras, quam cruorem congrumatum, quem magnis in fruſtis conſpicere licuit.* Ex quibus apparet molarum diviſionem in veras, & ſpurias utut vetuſtiſſimam Recentioribus probatam, ipſum Hoffmannum non modo non excluſiſſe, ſed libentiſſime amplexum eſſe, quod apprime commodum, ut eæ omnes difficultates declinentur, quæ contra hanc ſententiam allatæ ſunt, quaſque afferre ulterius non deſinunt adverſarii deſumptas ex molarum excretione cum menſtruis aliquando ſuppreſſis, aut etiam periodice fluentibus etiam in feminis provectioribus, quarum hiſtoriæ deſcriptæ extant apud Platerum (*p*) Marcellum Donatum (*q*) in A. N. C. (*r*). Et quotquot animo, & cogitatione percurrunt, quas allata diviſione ſive accuſari, ſive refelli facili negotio poſſe manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Quamquam vero quid hiſce ſubtilitatibus an veris, an falſis diutius immoremur, ſi hæc atque alia ejuſmodi, quæ paſſim in cl. Paſtæ ſermone leguntur efficere non potuerunt, ut ſive falſa germina, ſive molas omnino inficiaret ingenue eodem fatente ratum ſe exploratumque habere licet raro, eadem exiſtere, unde cum prius eorum diagnoſim, tum vero prognoſim, & tharapejam ſolertiſſime tradidit?

XV.

(n) *M. S. T. 4. p. 3. cap. 9. obſ. 9.* (o) *Conſul. Med. ſec. 3. caſ. 71.*
(p) *Obſ. lib. 3.* (q) *De Med. hiſt. mirab. lib. 4. cap. 25.*
(r) *Dec. 1. an. 2. obſ. 79. & dec. 2. an. 4.*

V. *Sterilitatis ſigna per ſe ſatis clara ſunt : cauſarum ex earum examine &c.*] De ſterilitatis diagnoſi nunc dicendum ſupereſſet. Verum cum ſterilitas nota omnibus ſit, planeque perſpecta, de ejus ſignis nihil omnino ſuppetit, quod afferri dignum videatur. Cauſarum potius diſquiſitio animadverſionem meretur. Verum cum eædem ex quatuor claſſium, ad quas referuntur, examine clare innoteſcere queant, ab iis denuo recenſendis ſuperſedere ſatius eſſe duximus, quam legentium animos fatigare. Primam enim claſſem cauſarum quod attinet feminis receptionem impedientium ecquis eſt, qui plane non intelligat; earum ſigna deſumi ab ætate, aut uteri vitiis, & adjacentium partium, ſive earum exploratione ab obſtetrice, vel Chirurgo inſtituta? Scirrhi, cancri, aliorumque tumorum diagnoſis ſuo loco tradita. Pinguedo nimia lippis æque, ac tonſoribus nota eſt plus, quam ipſorum digiti, & ungues. Alteram claſſem quod ſpectat cauſarum, quibus ſemen in utero non retinetur, uteri nempe laxitatis, ac lymphaticorum humorum ad uterum, ac vaginam affluentium, ſolis morbis prægreſſis, aut Mulierum adſpectu patere poſſunt, ſive temperamento: Ita & nimis acrium, atque extimulantium. Neque enim aliud præter laxitatem peccare judicaverim, ſi aut abortus, aut partus laborioſi præceſſerint, neque ullo voluptatis ſenſu in coitu afficiatur Mulier, ac ſtupido circa pectinem, lumbos, cruraque ſenſu, neque in cachecticis, frigidis, pituitoſis, fluori albo obnoxiis acres, ſalinos, ſtimulantes peccare dixeris humores, aut feroſos, lymphaticos in calidis, ſalacibus, aut luxurioſis. Hiſce ipſis cauſis ovi nutrimentum defici in utero dictum eſt: hinc tertiæ etiam claſſis cauſarum diagnoſis clara. Quartum impedimentum ſi reſpiciamus, defectum ſcilicet ſanguinis ad embryonis conformationem, & incrementum neceſſarii, nonne lactatione nimia, largis hæmorrhagiis prægreſſis, provectiori ætate, in qua Menſes deficiunt, ſe ſatis prodet? Ejus quoque inertia, ſeu ad nutriendum inefficacia morbis, quibus afficiuntur Mulieres patefiet, phthiſi nempe, hydrope, febribus longis, ſcorbuto, elephantiaſi, lue venerea aliiſque id genus. Tubarum paralyſeos, teſtium defectus ſigna eſſe imperſcrutabilia adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

VI. *Si Mulierem videris, cujus venter primis ſtatim duobus Menſibus mole inſigniter augeatur &c.*] Sed jam ad Molarum diagnoſim ſtatim accedendum, quam innumeris ſcatere difficultatibus vel ex eo maxime apparet, quod veræ graviditatis adſpectu decipere queant, ut ex A. E. L. maxime conſtat (ſ). In ea tamen ſtatuenda multorum voluntas non defuit, atque multorum, cum Veterum, tum Recentiorum induſtria plurimum eluxit. Primis tamen Menſibus nullo plerunque modo cognoſci molas, aut ſaltem difficillime omnes uno ore conſentiunt. Si quid tamen in re valde obſcura colligi poteſt, id potiſſimum a ventre eſt repetendum, quem duobus prioribus Menſibus mole augeri potius, quam imminui, aut complanari, ut vere gravidis contingit viri cl. la Mothe (t), & Mauriceau (u) oſtenderunt. In vera graviditate fetus motum adeſſe oportere extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, eumque non prius percipi, quam elapſi fuerint quadraginta dies; cum raro quartum poſt Menſem tantum, aut quintum percipiatur idem la Mothe præclare docuit (x). Molas vero nullum motum edere, vel maxime debi-

(ſ) *an.* 1693. *menſ. Auguſt. p.* 343.

(t) *liv.* 1. *chap.* 6. *p.* 40. 41. *oſſ.* 11. *pag.* 28. (u) *loc. cit.* (x) *loc. cit.*

debilem, ac vix ſenſibilem, ut pro nullo haberi queat Heiſterus (z), & Deuſingius (a) teſtati ſunt. Niſi forte acres mordaceſque humores imi ventris membranas extimulent, quo caſu motus ſenſibiles, oculiſque conſpicui contingere ſolent, ac fętus motuum ſimiles, ut idem la Mothe animadvertit. (b). Eaſdem vero diſtinguere ſummæ erit Medentium curæ. Internus punctionis ſenſus inditium ſatis validum præbet. Si tamen dubii ancipiteſque hærere cogantur ad alia ſtatim ſigna curam, animumque convertant; Sic enim fiet, ut melius doceantur, certiuſque. Quid enim quod tunc cum Mulier de latere in latus ſe vertit, Mola pariter volvatur, & ponderis ſenſum efficiat, ut ſupra laudati Mauriceau, & Heiſterus affirmarunt (c)? Immo Rodericus a Caſtro (d) eumdem ponderis ſenſum in pubis regione conſtanter, ac firmiter toto morbi durationis tempore afferre ſubdit. In gravidis tumorem ventris ad umbilicum evehi ex Mauriceau conſtat, & ad unum magis, quam ad alterum latus elevari ex Heiſtero. Cum in molis e contra tumor cum anteriora verſus, tum verſus latera appareat, & præcipue circa epigaſtricam regionem ex laudati Heiſteri teſtimonio, ac mollis tam in hypogaſtrica regione, quam epigaſtrica ex teſtimonio la Mothe (e). Quid de gravioribus ſymptomatibus dicendum, quæ patiuntur Molam geſtantes, ut idem la Mothe fidem facit? (f) Quid de pravo corporis habitu, fędoque colore, de quo Rondeletius (g) & Heiſterus (h) loquuti ſunt? In molis raro mammas lacte intumeſcere jam novit Hippocrates ipſe (i) atque Riverius, Jo. Fortis, Mauriceau, & Heiſterus confirmarunt (k). Cum in gravidis intumeſcere, & lac edere ſuperiori capite demonſtratum fit (l). Quid opus eſt pluribus? Si poſt decimum Menſem adhuc ventris tumor perſiſtat, nec Scirrhi, Cancri, aut hydropis ſigna adſint, atque omnia ſupra recenſita ſint præſentia certius de Mola ferri poſſe judicium manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis egeat demonſtrationibus.

VII. *Sterilitatem tollere, ut pleriſque Mulieribus, & earum maritis gratum, ita & ad quoſdam debellandos morbos &c.*] Tanti antiquitus a Primævis Parentibus æſtimabatur fęcunditas, ut ad credendum adducerentur ſterilitatem eſſe reprobationis argumentum prope certiſſimum. Hinc fęcundas ancillas heras ſteriles deſpicere ſolitas fuiſſe clare conſtat exemplo Saræ Abrami uxoris, cujus mentio fit in Geneſi (m), quæ cum nunquam peperiſſet, nec facile ſe provectiorem ob ætatem parere poſſe confideret, agnoſcens plane id viro conjugi ſummopere diſplicere, ut ancillam Ægyptiacam Agar nuncupatam uxoris loco duceret, atque carnali ejuſdem conſuetudine frueretur conſuluit, ut hac via prole bearetur. Perinde ac ſi Saræ conſilium pro imperio eſſe debuiſſet. Abram ancillæ ſe quamcitiſſime dicavit, atque ex ea natum habuit, quem Iſmaelis nomine appellavit. Vix ac ſe gravidam cognovit ancilla, heræ, quæ tunc ſterilis erat contemptus incępit. Cæterum quamvis privato Civi nihil omnino intereſſe oportere libens conceſſerim carere ſe filiis, multo vero minus plebejis pro ſervanda poſteritate, illud tamen deterrimum plerorumque vitium eſt, ſi forte in ſteriles uxores incidant, eas vel parum amplecti, vel etiam deſpicere, vel injuſtis objurgationibus

(z) *Chir. p. 2. ſ. 5.* (a) *In fęt. Muſſipont. ſecund. ſect. 21.*
(b) *loc. cit.* (c) *loc. cit.* (d) *lib. 3. de morb. Mul.*
(e) *obſ. 16. 19.* (f) *obſ. 12.* (g) *meth. cap. 67.* (h) *loc. cit.*
(i) *de morb. Mul.* (k) *loc. cit.* (l) *com. 17.* (m) *cap. 16.*

nibus corripere. Quod ægre ferentes miſellæ auxilium, & opem medicam poſcunt. Sunt etiam nonnullæ, quæ licet maritis caræ acceptæque ſint, moleſtis tamen ſymptomatibus exercentur, atque infirma valetudine affi-ciuntur: quod ſane cum ex iis ipſis corporis affectionibus ſit repetendum, ex quibus ſterilitatem oriri dictum eſt, apparet liquido ſi concipiant Mulieres, omnia quoque valetudinis impedimenta tolli, ut ſilentio prætercam uberrimos illos fructus, atque emolumenta, quæ ex copioſo lochiorum fluxu partus tempore in eaſdem emanare ſolent ad ſuperfluitates omnes abſumendas, obſtructiones referandas, ac patentioribus viis uteri factis ad imminutos, irregulares, perturbatos Menſes, quibus ægrotant, revocandos opportuniſſimo.

VII. *Molam vero ejicere apprime neceſſarium, cum non ſolum ad annos perdurent, præſertim ſpuriæ.*] Cl. Mauriceau cum in ea eſſet opinione, ut crederet ea omnia corpora ex Mulierum uteris expulſa, quæ carnem æquant, aut pinguedinem, nil aliud eſſe, quam falſa germina, aut placentæ fruſtula in utero relicta, aut uterinos fungos, nunquam ſe veras molas vidiſſe teſtatus eſt (*o*), eas nempe, quæ neque ad tumores, neque ad alias ejuſmodi uteri excreſcentias ſunt referendæ, quæ in utero plus quam ſeptem, vel octo menſium ſpatio ſubſederint, quin extra ejuſdem confinia fuerint eductæ. Atque ad credendum pronus videtur, ut animadvertit cl. Paſta eas molas, quæ poſtquam longo annorum curſu Mulieres dire exercuerint, mortem tandem arceſſunt, inter ſcirrhoſos, ac carcinomatoſos uteri tumores recenſendas eſſe: immo pro rato habere de ejuſmodi tumoribus loquutum fuiſſe Hippocratem, ubi ait: *Si quidem una caro fiat, Mulier perit; neque enim fieri poteſt, ut ſuperſtes maneat.* Verum ecquis nos juſtis accuſationibus increpaverit, ſi quæ in longius protrahuntur tempus ſpurias eſſe molas dixerimus, non tumores? Haud equidem inficiaverim ejuſmodi tumores cum in uteri ſubſtantia, tum ipſius cavitate frequentius occurrere, ut Veſlingius teſtatur de ſarcomate quodam narrans uteri fundo inhærente quadraginta librarum ponderis (*p*), & ut Blanchardus confirmare videtur, uterum octoginta fere librarum ponderis narrans, (*q*) at ſilentio prætereunda non eſt Graafji mola, qua uterus viginti quinque annorum curſu ſic increverat, ut Veſlingii tumori æquilibris eſſet (*r*), & ea quidem a placenta trium circiter menſium fetus in utero relicta oriunda, ut Kerkringius opinatus eſt (*ſ*). *Neque vero* ut ait cl. Jo. Fortis *admiranda adeo temporis diuturnitas.* Molam enim cum Muliere quandoque ſeneſcere, atque ad extremum uſque vitæ comitari poſt Ariſtotelem (*t*) Paræus (*u*) Hildanus (*x*) Heiſterus (*z*) D. James (*a*) aliique quamplurimi oſtenderunt, ita ut excedens illa trium annorum ſpatio geſtata, cujus mentio fit in A. N. C. (*b*), & illa quam tres poſt annos ejectam memorat Riedlinus (*c*), aut quæ annorum quinque pariter in A. N. C. legitur (*d*) aut quæ annorum novem ad eam molem adacta, ut quadraginta librarum pondus æquaret, quarum una-

Ee 2

(o) *loc. cit. cap.* 10. (p) *epiſt.* 52. *p.* 174. (q) *anat. pract. obſ.* 26.
(r) *De mul. org. cap.* 8. *p.* 131. *&c.* (ſ) *obſ. anatom. p.* 82.
(t) *de gener. animant. lib.* 4. *cap.* 7. (u) *lib.* 23. *cap.* 33.
(x) *Centur. epiſt.* 39. (z) *Chirurg. p.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 156.
(a) *Tom.* 4. *p.* 1374. (b) *Dec.* 1. *an.* 10. *obſ.* 22.
(c) *lin. med. an.* 1. *ſept. obſ.* 20. (d) *Dec.* 1. *an.* 2. *obſ.* 79.

unaquæque unciis conſtabat ſexdecim de qua cl. Gaſpari (*e*) cum his, & aliis comparatæ, quas Dodonæus (*f*) Duretus (*g*) Paræus (*h*) aliique annorum 15. 17. 20. vidiſſe teſtati ſunt propemodum vileſcant.

Vel periculoſas hæmorrhagias inducant.] Quamvis autem molæ quandoque in longius protrahantur tempus, ejuſmodi tamen ſunt, ut in mortis diſcrimine prope certiſſimo ob ſupervenientem copioſam ſanguinis ex utero hæmorrhagiam Mulieres ſæpiſſime conſtituant. Quod cum olim Veteres fere Medici agnoviſſent Paulus Ægyneta (*i*) Hippocrates (*k*) aliique, tum vero Recentiores, Modernique fere omnes ſic confirmarunt, ut nullus de harum periculo ambigendi locus videatur. Periculi magnitudinem auget hæmorrhagiam ſiſtendi difficultas, quam nec venæ ſectioni nec adſtringentibus medicamentis obtemperare D. Puzzos egregie animadvertit (*l*). Solam enim ejuſcemodi corporum extractionem ad cohibendum fluxum, vel morbi recidivam præcavendam parem eſſe affirmat. Neque hujuſce rei ratio in arduo ſita. Si enim quandoque fluxum ſanguinis cohiberi contingat, in uteri vero cavitate aut falſum germen, aut aliud ſimile extraneum corpus ſupereſſe, paulo poſt & uberiorem redire, ac tandiu duraturum, quandiu aut ſolo naturæ auxilio, aut artis ope eadem expellantur cum Raymundus Jo. Fortis (*m*) admonuiſſet, D. la Mothe (*n*) aptiſſime confirmavit. Immo ſe longa experientia cognoviſſe teſtatur præcl. Auctor (*o*) perdurante ſanguinis fluxu, aut extranei corporis nondum ex utero ejecti, aut alicujus tantum portionis, aut unius alicujus integri, perfectique in utero remanentis indicium prope certiſſimum præberi, quod quantumvis mole minimum fit, membranarum tamen uteri vaſorumque ſanguinem effundentium orificia patula, & aperta conſervant. Spes tamen aliqua certa ſemper deſperatione potior. Sæpe enim, ac ſæpius ſolius naturæ niſu molis aliiſque polypoſis concretionibus expulſis, hæmorrhagias ab hoc fonte prodeuntes tuto, feliciterque cohiberi compertum eſt. Apte cadit in hunc locum, quod ſcriptum reliquit Paræus (*p*), molam uteri parietibus leviter adhærentem; nec ad inſignem molem adactam tertio plerunque, aut quarto Menſe extra uteri confinia educi. Quod certo certius evenire ſentiendum eſt, ſi dolores partus ſimiles ſuperveniant; ſi Heiſterum audimus (*q*), aut inſignis ſanguinis hæmorrhagia antequam tertius elabatur Menſis ſuperveniat, ut cl. Mauriceau teſtatus eſt (*r*).

IX. *Sterilitas ergo, quæ ab ætate nimis tenella proficiſcitur per ſe &c.*] Antequam Mulieres remediorum uſu fatigentur, ſalubre plerique putant diligenter inquirere, num ſteriles ſint naturæ defectu nulla arte tolli neſcio, vel earum culpa, an virorum. Quod non paucis experimentis ſe conſequi poſſe ad credendum adducti ſunt. Silentio prætereamus illud Hippocratis, & Ariſtotelis, quorum ſupra meminimus (*ſ*), atque ad alterum accedamus ipſius Hippocratis a Jo. Forti memoratum, quo feminam pariter fecundam dignoſci putat ex capite allii deraſo, & purgato in uterum indito

deſum-

(e) *ragionam.&c.p.* 11. (f) *obſ. med. cap.* 49.
(g) *Com. coac. p.* 478. (h) *loc. cit.* (i) 3. *de Re med.* 69.
(k) *De ſterilitate* 20. (l) *Memoir. de l' Accad. Royal. de Chir. p.* 360.
(m) *loc. cit. p.* 122. (n) *Refl. obſ.* 214. (o) *Ib. obſ.* 13.
(p) *lib.* 23. *cap.* 34. (q) *loc. cit. ſ.* 5. *cap.* 156.
(r) *loc. cit. cap.* 6. (ſ) *Com.* 1.

deſumptum. Si enim poſtridie odor ad os pervenerit, eam ad conceptionem aptam, ſin minus ineptam eſſe conſtituit, a quo vix, ac ne vix quidem differre videntur illa a Riverio allata de galbano ad ignem emollito, ſericoque incluſo muliebris uteri orificio nocte indito, dum caput totum linteolo odorato obligatur: mane enim ſi vertex muliebris galbanum redolet, mulierem probe purgatam, & fęcundam eſſe tradit, aut de pauxillo balſami aquæ admixto, & bombace excepto in uterum immiſſo, & femori alligato, quod ſi tunc uterus traxerit fęcunditatis probatiſſimum eſſe ſignum pronuntiat. Quorum omnium, ut de prioribus dixi cum nulla mihi ratio ſuppetat, neque eadem plane, neque multum diſſimilis æſtimatio eſſe poteſt, quæ fuit cl. Mauriceau (*t*), qui ſe iis parum fidère teſtatus eſt, ſed multo minor, cum nihil omnino fidendum exiſtimem. Quod etiam dictum velim de infinitis aliis artificiis, quibus de ſterilitate Mulierum quid certi affirmare poſſe putant. Balſami enim attractio quam ſit ridicula neminem fugit. Quæ de urina hordeo affuſa alii blaterant, ut ſi intra decimum diem germinet pro fęcunditatis nota, ſi non germinet pro ſterilitatis argumento agnoſcant, nugas eſſe manifeſta res eſt. Latent nimirum, & latebunt adhuc omnium cauſarum ſterilitatis ſigna, atque illius præſertim, quæ a nativa quadam diſpoſitione dependet: ut manifeſta e contrario eſſe illa poterunt, quæ ex parte viri deſumuntur. Mulier ipſa ſuum ferre judicium probatiſſimum valet, ſi mentulæ erectionem læſam eſſe percipiat, aut eamdem prægrandem adeo patiatur, ut admittere in pudenda non poſſit, aut ſeminis defectum advertat, teſticulorum tumores, gonorrhœam, aliaque id genus mala maritum vexare cognoſcat. Viro ipſi innoteſcunt, ſi nulla, aut exigua coitus appetentia afficiatur, & quam minimam in eo voluptatem percipiat. Eo facilius Medentibus ſi hæc omnia colligentes in unum timidum eum quoque, & effeminatum deprehendant, natura frigidum, barba carentem, & quod magis intereſt infirmum. Quamquam hæc non raro vel peritiſſimos quoſque decipiunt, cum ex centum infęcundis Mulieribus vix altera reperiatur, quæ ob viri defectum talis extet. Quibus ita ſe habentibus illud enixe curandum eſſe, quantum in nobis ſitum eſt, ut cauſis ſterilitatem in Mulieribus efficientibus obviam eamus, perſpicuum eſt. Si eas removeri poſſe ſpes aliqua effulgere videatur cur medico auxilio deſtituendę? Quamquam ſoli naturæ ſæpenumero opus committendum. Quid enim agendum cenſeamus in ætate nimis tenella, aut contra provectiori? Nemo ignorat ætatem tenuiorem conceptionem non impedire niſi ad tempus, ideoque illam ætate adultiore expectandam eſſe. Ætatem vero provectiorem omnimodam ferme conceptionis deſperationem inducere manifeſta res eſt. Uterus enim otioſus, marcidus, ac vietus factus cum ſit, & ad concipiendum ineptus, qua alia ratione, ſi naturæ opus deſit, huic obeundo muneri par reddi queat omnino fugit. Illud quoque perlibenter ſcirem, quid agendum aliquibus videretur, quando claudæ, diſtortæ cruribus, vel depreſſa Cocyge exiſtunt Mulieres, quid quando nimis obeſæ, quando uteri os habent oppoſitum vaginæ ingreſſui, quid in teſtium, ſive ovariorum, ac tubarum obſtructione, corrugatione, paralyſi, eorumdem defectu, a latente aliquo vitio, quod nativæ conſtitutionis nomine circumferri ſolet, quamque tollere Dei ſolum eſſe non hominum ſcripſit jam olim Avenzoar (*u*).

Quæ

(t) *loc. cit. p.* 44. (u) *Theiſir. Tract.* 5. *cap.* 1.

X. *Quæ ab uteri vitiis, & adjacentium partium, ut quando Virgines uteri clauſura laborant &c*] Maxime commoda eſt diviſio uteri clauſuræ in eam, quæ interius uteri orificium occupat, & eam quæ pudendi orificium. Illam enim incurabilem pronuntiare expedit. Quæ enim chirurgica inſtrumenta illic non ſine maximo Mulierum periculo aptari queant? Alteram ſimplici ſectione aperiendam eſſe tradiderunt fere Veteres Medici, ejuſque modum ampla narratione deſcripſit Sennertus (x). Eam vero optime ceſſiſſe in puella tredecim annorum, quæ uteri clauſura laborans retentis intus Menſibus in ſummo vitæ diſcrimine fuit conſtituta, Fabricius teſtatus eſt, cum non modo operatione in perfectiſſimum valetudinis ſtatum ſit reſtituta, ſed ad generationem idonea reddita, ut etiam ex ipſo Mauriceau conſtat, (z) qui hanc eamdem operationem ſummo cum fructu in puella imperforata annos decem ſupra ſeptem agente inſtituiſſe refert, aperto ſectionis ope meatu non modo Menſibus trajiciendis pari, ſed ad matrimonium, atque generationem apto, ut aliam mittam, quam in obſervationibus refert (*a*) in Muliere viro nupta, atque aliam, quam in tenerioris ætatis puella conſuluit; animum curamque convertens ad clauſuram, quæ naturalis non ſit, ſed a vulnerum, & ulcerum coaleſcentia oriunda, ut in lue præſertim venerea contingit, in qua advertendum eſſe præclare docuit Riverius (*b*) an ſit tantum carnis excreſcentia meatum non omnino claudens, an integer parietum cervicis, aut labiorum coalitus. Si enim caro tantum excreverit, præmiſſis univerſalibus medicamentis lui profligandæ opportunis carnis augmentum prohibendum ſiccantibus, & diſcutientibus, deinceps carnem imminuentibus, tandem eam abſumentibus. Si vero cervix uteri omnino coaluerit, ulcus novandum, & carnem ſuperfluam abſumendam. Sin minus ſectionem inſtituendam, ut in naturali coalitu. Nos muneris tantum noſtri ſolliciti vitia hæc omnia manu peritioris Chirurgi tollenda eſſe tradidimus, ne ſi votis eventus minime reſponderit, id culpæ nobis tribui unquam poſſit.

XI. *A ſcirrho, cancro &c.*] Vid. cap. 6. num. 21.

Molis, aut polypo in utero retentis.] De his infra dicemus.

Veſicæ lapide.] Vid. lib. 3. cap. 11.

XII. *Quæ a nimia uteri laxitate, ac lymphaticis, ſeroſiſque humoribus &c. miſſa venæ ſectione, niſi Menſium ſuppreſſio &c.*] Nulla frequentius de cauſa ſterilitatem induci, quam uteri laxitate, ſeroſiſque, ac lymphaticis humoribus uberius ad uterum, & vaginam affluentibus tam nota res eſt, quam quæ notiſſima. Huic igitur tollendæ omni ſtudio, omnique animi contentione incumbendum. Quod potiſſimum præſtant, quæ peccantes humores abſumunt, laxas partes roborant, eorumque tonum firmant. Purgantia medicamenta hinc ſtatim præ manibus juxta Hippocratem, qui totius corporis expurgationem ceteris omnibus remediis præmittendam docet, ut liquido apparet ex iis, quæ habet (*c*): *Si prægnantem facere voles Mulierem ipſam, & uteros purgato*, atque illa quidem tribus, aut quatuor diebus a purgationibus menſtruis, ut ſanguis ex ſuperioribus partibus tempore diſtanti ab utraque, præterita, & futura menſtrua purgatione educi poſſit, mox ex vena pedis. Ita fere cl. Jo. Fortis, qui longius progreſſus de tempore venæ ejuſce

(x) *De uteri clauſ.* (z) *loc. cit. pag.* 47. (a) *oſſ.* 405.
(b) *loc. cit. de uter. clauſ.* (c) *lib. de natur. mulieb.*

ejuſce fecandæ dubium proponit, num ſcilicet juxta Galenum tribus, aut quatuor diebus ante tempus expurgationis fit vere fecanda, mox menſtrua provocantia ſint adhibenda, an vero eadem primum adhibenda, mox ſub finem ejuſdem menſtruæ purgationis naturæ deficienti ſuccurrendum, ut Paulus Ægyneta docere viſus eſt: cumque experientia compertum habuerit priori modo ſequi ab utero diverſionem, ſanguinis diminutionem, & proinde ſæpiſſime menſtruorum ſuppreſſionem, alterum ſectandum tradit. Si quid in re iſthac ſentio, menſtrua purgatione rite, & ſecundum naturæ ordinem ſuccedente, nil circa venæ ſectionem agendum eſſe facile judicaverim, ne videlicet ſpiritus, & humores magis depauperentur, ac propterea minori copia, & momento in laxatas partes influentes, aut earumdem vitium adaugeant, aut ſeroſis, lymphaticiſque congeſtionibus majorem anſam præbeant. Si vero Menſium fluxus ſit omnino ſuppreſſus, aut maximopere imminutus nulla alia methodo utendum traderem, ſi illam excipias, quam ſervandam eſſe oſtendimus, cum de ſuppreſſis naturalibus Menſium evacuationibus ageremus, in quibus etiamſi hydrops acceſſerit venæ ſectionem tuto feliciterque inſtitui demonſtravimus, quaque ſola fieri poteſt, ut cum morbi occaſio deficiat, etiam ſterilitas deſinat. Atque hæc ſatis de venæ ſectione, quo de argumento, qui plura cupit conſulat cl. Valliſnerium, qui utrum in vitiis uteri, quæ ſterilitatem Mulierum creant, miſſio ſanguinis, quaque ex parte conveniat, diligentiſſime perquiſivit. Purgantia vero quod ſpectat, alterantia, aliaque prædictis indicationibus ſatisfacientia ea omnino eſſe debent, quæ contra fluorem album nothum propoſuimus, qui hanc eamdem uteri laxitatem, feroſamque colluviem pro cauſa agnoſcit: de quibus ſi quis curioſius doceri velit eum ad proprium caput amandamus. Diſcrimen ſolum intereſſe aliquod videtur circa aquarum uſum. In immodico enim Menſium fluxu, & albis Mulierum fluoribus eximias habere vires Brandulenſes aquas demonſtratum eſt (*d*) propter ſalem quemdam nitroſum ad aluminoſum accedentem, quo incongruos, ſuperfluos, vitioſoſque ſuccos ſanguinem inquinantes corrigi, & emendari contingit, & laxata præter morem vaſcula inteſtina, conterminaſque partes percurrentia valide adſtringi. Sed illud detrimenti ſequi ex illarum uſu, ut propter inſignem adſtringendi vim infecundæ, ſterileſque Mulieres reddantur. Quod ſatis ſuperque eſſe, ne in Mulierum ſterilitate adhibeamus manifeſtiſſima res eſt. Quæ præjudicia pro certo caveri, & optato nihilominus fine potiri nos poſſe ex uſu aquarum ſulphurearum, ut ſunt B. Virginis aliæque ſimiles nemo unquam dubitaverit, qui eximiæ earum facultatis recordetur, partes nimirum omnes ad uteri munia obeunda accommodatas detergendi, ac mundificandi, nec non labem ductuum omnium altius repurgandi, pravos Virginum habitus corrigendi, ſterileſque jamdiu Mulieres ſingulari quodam genio fecundandi. Qua in re propterea optime ſenſiſſe Jo. Fortis videtur, qui duo generoſa remedia præſto eſſe ad libitum uſurpanda adnotavit in ſterilitate, decoctum ſcilicet ex Guajaco, China, Saſſaphras &c. quod in fluore commendavimus, & aquarum Aponenſium ſulphurearum per os ad fontem quindecim diebus aſſumendarum uſum, idque ex eo potiſſimum, quod non modo ab incongruis ſuccis, & ſuperfluis ac vitioſis ſalibus inquinati ſanguinis craſim emendant, verum etiam laxatis præter morem vaſculis uterum, contermi-

naſque

(d) *cap. 4. com. 10. uſque 17.*

naſque partes percurrentibus prompte ſubveniant, ut ſupra cum cl. Gratiano demonſtratum eſt.

Quibus addenda in diætæ regimine chocholatæ uſus, confectiones ex piſtaciis &c.] Cum Mulieres uteri laxitate laborant nullos Veneris ſtimulos percipiunt, nullaque voluptate in coitu afficiuntur: frigida intemperie laborare Veteres dicebant, hinc ſpirituoſa omnia, corroborantia, & quæ inſigni nutriendi virtute eminent eximii uſus. Chocholatam hæc potiſſimum facultas claram fecit, ut apparere facile poteſt perpendenti ejus baſim efficere Cacao, qui & nutritio rore maxime abundat, & temperata volatilitate, quæ ſpiritibus materiem præbet convenientiſſimam. Cum vero Cinnamomum, Vanilla, Ambarum ea doſi, qua Chocholata præ eleganti eorum fragrantia ſuavior, & jucundior evadat nutritioni promovendæ, viribus firmandis, ſpiritibus majorem in modum recreandis eo magis comparata videtur. Sed hac de re plura alibi diximus (*e*). Quid de Piſtaciis, eorumque confectionibus ſentiendum ſit colligit egregie cl. Geoffroy (*f*) aſſerendo nutrimentum præbere laudabile nec exiguum, hinc ad convaleſcentes ægros emaciatos citius reſtituendos plurimum valere, ventriculum, jecur, & viſcera levi quodam amarore firmare, ac proinde horum viſcerum obſtructiones auferre, lac ſeminalemque ſuccum augere, ut efficere ſolent alimenta, quæ plurimum ſuccum nutritium, & craſſum ſuppeditant, quo potiſſimum opus eſt Mulieribus, quæ ejuſce defectu ſteriles fiunt. Quid de Ambaro dicendum? Qui genitricem facultatem juvare reputent, eos equidem non admodum falli exiſtimaverim, dummodo in eo caſu hac virtute excellere non ægre concedant, in quo ſpiritus languentes ſuſcitandi ſunt, eorum penuria reſarcienda, tardiorque ipſorum motus promovendus, & accelerandus, quod particulis oleoſis, tenuiſſimis, & volatilibus quibus conſtat deberi cenſendum eſt.

Eruca in acetariis comedenda &c.] Idem plane dictum velim de Eruca; quæ non Medicorum tantum, ſed & poetarum teſtimonio veneris conciliatrix videtur. Sic Martialis:

.... *Et venerem revocans Eruca morantem.*

Columella. *Excitat ad venerem tardos Eruca maritos.*

Et Ovidius. *Nec minus Erucas jubeo vitare ſalaces.*

Particulis enim oleoſis, tenuibus, ac volatilibus & ipſa donatur, quibus craſſas, mucoſaſque quiſquilias atteri contingit, urinam acriorem reddi, ejuſdem ac ſeminis ſecretionem, & evacuationem cieri. Hinc ſalubre Veterum conſilium Erucam cum Lactuca in cibis conſociare, ut illius fervor cum hujuſce frigore temperaretur: atque optime a laudato Geoffroy dictum, Veneri quidem ſollicitandæ Erucam parem eſſe, at bilioſis, aut calidis naturis, illiſque quorum Stomachus æſtuat eſſe interdicendam. Quid ſi cibi, quibus incocta ſit Eruca aromatibus condiantur, nuce moſchata, cinnamom. cariophyllis, aliiſque quæ plurimo ſale volatili oleoſo abundant? Particulas nimirum ſanguinis exagitari, acui, atque hinc calorem, & nimiam turgentiam in ipſo excitari, quod in frigidis temperamentis, laxoque corporis habitu apprime utile, ac neceſſarium eſt.

XIII. *Quæ a ſanguinis acrimonia inſigni genitales partes plus æquo mordente, ac vellicante.* Infinitus fere ſim, ſi ſingula velim perſequi, quæ ſterilitatem ſpeci-

(e) *lib. 2. cap. 3. com. 22.* (f) *Mat. Med. p. 2. art. 20. p. 404.*

ſpecifica proprietate tollere communiter reputantur, quæque a quibuſdam practicis ſummis laudibus extolluntur. In regno Animali matrix leporis, teſticulus apri, priapus cervi, ejuſdem, & vulpium teſtes, pulvis ex hepate, & teſticulis porcelli, quem ſolum Scropha edidit, primiperarum ſecundinæ pul. lac equinum inſcia muliere epotum: in regno vegetabili Ammi, Satyrion, Imperatoriæ radix, paſtinaca ſylveſtris, eryngium, majorana, ſalvia, roſmarinus, aliaque innumera acria, & aromatica a cl. Valliſnerio recenſita, & ad examen ſedulo revocata vel inutilia prorſus, & vana, vel ſumme quandoque pernicioſa. Quid enim emolumenti afferre ea poſſint, quæ particulis oleoſis tenuiſſimis, & volatilibus ſunt prædita in eo caſu, in quo ſanguinis peccat acrimonia inſignis genitales partes plus æquo mordens, ac ſtimulans arduum prorſus intellectu mihi viſum ſubeunte admiratione, quomodo vel rudioris ingenii Medicus reperiri queat, qui non videat hiſce potiſſimum ſterilitatis cauſam augeri, aut confirmari, illis ne ſomnio quidem attigi. Quid enim Animantium partibus genitalibus cum mulierum organis generationi inſervientibus varie affectis commune? Sumpta propterea a nobis occaſio ſtatuendi aliquid ineſſe commodi ad ſterilitatem tollendam in nonnullis acribus, & aromaticis, ubi languentes ſpiritus ſuſcitandi ſunt, earum penuria refarcienda, ſanguinis curſus alacrior, & promptior efficiendus, laxæ partes roborandæ, veneni ad inſtar eadem eſſe proſcribenda, ubi nimius ſpirituum fervor, & æſtus compeſcendus eſt, fluidorum acredo temperanda, nimia ſalacitas coercenda. Quod levi purgatione ex Caſſia, Tamarindis, ſero lactis, decoctionibus herbarum refrigerantium, nitratis, emulſionibus ſemin. frigidorum, balneis, aquarum dulcium potatione, victu refrigerante, & humectante, omnimoda vini abſtinentia aliiſque alibi recenſitis (g) facili negotio obtineri poſſe manifeſta res eſt.

XIV. *Quæ a defectu ſanguinis, & ſucci nutritii, ab eodem effeto, pravis, vitioſiſque ſordibus referto, hectica febre &c.*] Ubi hactenus dicta in memoriam revocemus non modo ſalubri eventu medicamenta pro ſterilitate paſſim adhibebimus, verum quod magis eſt nullam non modo in mulierum corpore labem, ſed ne labis ſuſpicionem quidem afferemus. Quid enim ſi eadem morbis profligandis ſint comparata, a quibus ſterilitas tamquam rivulus a fonte emanavit? De his propriis actum eſt capitibus, ne defectu quidem ſanguinis, & ſucci nutritii excepto, quem phthiſim eſſentialem efficere, quæ a toto corporis habitu eſt citra alicujus viſceris læſionem oſtendimus (h), quando ſcilicet ſuccus nutritius, ſeu materia ejus proxima in ſanguinem non ingreditur, vel ingreſſa plus egeritur, quam opus eſt, quo loco longam inediam, obſtructiones pylari, hepatis, pancreatis, meſenterii, vermes in ventriculo, & inteſtinis nidulantes, hæmorrhagias longas, & diuturnas, fonticulos, ſetaceos, ulcera antiqua, & magna, nimiam lactationem, nimiam ſeminis & liquorum genitalium effuſionem, gonorrhœam muliebrem, dyſenteriam, diarrhœam, urinæ profluvium, quæ niſi tollantur, ne ſterilitatem quidem ab hoc fonte prodeuntem tolli certo certius habendum. Quomodo corpus longa inedia contabeſcens fit pertractandum neminem latet: obſtructiones quomodo referandæ ſatis, ut arbitror tradidi de Ictero differens. Quid in verminatione agendum, quid adverſus hæmorrha-

Ff

(g) Cap. 7. n. 20. (h) Lib. 2. cap. 3. com. 1.

rhagias longas, & diuturnas, quid adverſus nimiam feminis, & liquorum genitalium effuſionem, gonorrhœam muliebrem, diarrhœam, dyſenteriam ſuo loco actum eſt. Si fonticuli, ſetacei, ulcera magna, & antiqua præmiſſis univerſalibus, quæ cauſas oppoſita vi deſtruere valeant, ad quas antevertendas ejuſmodi emiſſaria arte concitata ſunt, aut contra naturæ leges aperta, tollantur, ſi lactatio ſuſpendatur, ſterilitati egregie occurri maniſeſtiſſime apparet. Ita pariter ſi ſanguis, & ſuccus nutritius effœtus ſit, pravis vitioſiſque ſordibus refertus, hectica febre, hydrope, aliiſque morbis, de quibus jam alibi dictum eſt. Coronidis loco ſubnectere liceat inter remedia adverſus eos morbos commendata, a quibus ſterilitas proficiſcitur eminere aquas acidulas Recobarii, aut alterius ſimilis fontis. Si enim defectus ſanguinis, & ſucci nutritii dependeat ex eo, quod proxima ſanguinis, & ſucci nutritii materia in ſanguinem non ingrediatur propter obſtructiones hepatis, pancreatis, meſenterii, aliorumque viſcerum imi ventris, vermes in ventriculo, & inteſtinis nidulantes, & hæc vitia ſint auferenda, nullum præſtantius ſuppetit medicamen aquis acidulis, ut liquido conſtat ex iis, quæ alibi dicta ſunt, (t) oſtendentibus nobis aquas acidulas præter ferream venam, quæ aciditatem omnem coagulantem potentiſſime corrigit, & tonum fibris conciliat, nec non præter ſalinas quaſdam minerales partes, quæ viſcidis, mucoſiſque quiſquiliis incidendis aptæ ſunt, volatilis etiam cujuſdam, ac ſpirituoſi principii divites eſſe, quod ſeſe in anguſtiſſimos quoſque, ac intimos receſſus minimoſque poros inſinuans, altiuſque penetrans tubulos eorumdem patentes, ac pervios reddit, quod ad ſecretiones humorum excretioneſque reſtaurandas, ac promovendas apprime facit: alibi vero demonſtrantibus (u) parte acidularum ſpirituoſa mucilagineas ſordes primis viis, inque proximis viſceribus hærentes abſtergi, infarctus referari, coctiones reſtitui, viſcerum naturalium fermenta corrigi, tonum confirmari, vermium nidum deſtrui, ac minutiſſima ovula per inſignes excretionum vias eliminari, atque hac ratione verminationis fundamenta ab imo convelli. Id quod & de hydrope intelligendum; quem dictis de cauſis ſolidis partibus in priſtinum elaterii ſtatum reſtitutis, dyſcraſia viſcerum ablata, coctionibus omnibus ſecretionibuſque humorum acceleratis tolli, quando a laxitate ſolidarum partium exoritur, ab infarctu, obſtructione viſcerum imi ventris, indeque libero ſanguinis curſu impedito ſtatutum eſt (x). Si de hypochondriaca affectione ſermo ſit, tantæ eſſe efficaciæ aquas acidulas conſtat, ut ſi quid in ſumma rerum anguſtia ſperari poſſit, id ab ipſis ſperari jure poſſe accuratiores Practici uno ore conſentiant (z). Si vero de ſcorbuto, de ulceribus cancroſis, ac de ipſorum pulmonum læſione, flacciditate præſertim loqui velimus aquas acidulas opportuniſſimas exiſtere ea memoria recolenti, quæ propriis capitibus dicta ſunt apparere facillime poteſt. Quo loco quæſtio occurrit non levis momenti. Cum enim ferreæ venæ, ac vitriolici ſpiritus divites ſint, plerique vero contrarias fœcunditati virtutes ferro, ac vitrioli ſpiritui aſſignaverint, verendum eſt, ne cum fœcunditati ciendæ ſtudemus ſterilitatis cauſas augeamus, aut confirmemus. Foreſtus certe imminuendo ſemini uſum aquarum fabrorum ferrariorum jux-

(t) *Lib. 3. cap. x.* (u) *lib. 3. cap. 6. com. 16.*
(x) *Lib. 2. cap. 5. com. 15.*
(z) *lib. 3. cap. 8. com. 16.*

juxta Aetium ſumme commendat (*a*). Liſter vero (*b*) eos videtur reprehendere, quibus ſtomoma ad Virginum Chloroſim curandam tam aſſiduo uſui eſt: *Rubigo enim ferri, ait idem, per Dioſcoridem potu præſtat, ne feminæ concipiant; at illam ferri vim ejus ſali naſcenti multo magis ineſſe credibile eſt, ſcilicet ratione petrificationis, qua forte tenella Virginum ova indureſcant, aut aliter vitientur.* Si in Langii obſervationibus verſantes in eam forte incidant lectu digniſſimam, quam habet in Colleg. ſuper Fabrum de quodam homine, qui ex nimio Vitrioli ſpiritus uſu pro excitando appetitu teſticulos amiſerit, iidemque adeo ſenſim, ac ſenſim fuerint imminuti, ut piſorum magnitudinem demum vix æquarent, vix ſe continere poſſunt, quin ad ſuſpicandum vehementer adducantur, ne ſi id æque officere mulieribus poſſit, & earumdem genituram ulla ex parte labefactare, eo magis infœcundæ mulieres per has aquas reddantur, atque propterea illarum uſum interdicendum eſſe mulieribus, quemadmodum Vitrioli ſpiritum fugiendum ſumme a novis maritis eſſe, quoniam partibus genitalibus ſummopere infeſtus ſit. Ita fere cl. Jo. Gratianus (*c*) aliorum judicio relinquens circa earum uſum omne dubium, poſtquam in hyſtericis non modo affectibus, in quibus ubi ſumme effœtus ſanguis fuerit, atque ſpirituum ataxia adſit, ut quæ a Pharmaciæ fonte deſumuntur, nequaquam proficiant, ad hujuſmodi aquarum potum confugiendum eſſe docuerit, utpote ex quo pallidos Virginum colores, menſium ſuppreſſiones, ac reliqua ſymptomata ſæpiſſime auferri ſolent, ſed quod magis eſt ſterilitati mederi affirmaverit, ſive quod uterinum fermentum torpens ab iis excitetur, ſive ductus omnes expediantur, iique præſertim, qui ad ovaria, eorumdemque tubas ſpectant, atque exinde ova fiant prolifica. Utinam id propria experientia edoctus aſſeruiſſet, cui an dicta reſpondeant ſedulo a practicis animadvertendum eſſe admonuit. Sic enim nullus de illarum uſu ambigendi locus videretur. Quamquam vero cur in ea re dubii ancipiteſque amplius hærere, quam cum veram eſſe ratio evincit, tum vero dicta experientia confirmat? Aliud enimvero, ac omnino diverſum eſt, ferrum, ut ajunt, in ſubſtantia mulieribus exhibere, varie igne præparare, atque ea ratione, qua vim adſtringendi inſignem acquirat (*d*), aliud etiam vitrioli ſpiritum arte chymica elicitum, & nimis frequenter, utrumque vero nullo nec limpidiſſimæ, tenuiſſimæque e fonte ſcaturientis aquæ vehiculo, nec aliarum partium ſpirituoſarum conjugio vigoratum, quarum proportione ea cuncta præjudicia delentur, quæ ſola mulieribus propinata forte minantur, ut alibi oſtenſum eſt (*e*). Nulla demum adſtringendi vi inſigni pollere acidulas omnium fere medentium decreto ſancitum eſt: quemadmodum aluminoſas, quarum propterea uſum in infecunditatibus minus tutum ſupra conſtituimus. Præterquamquod cum iis impedimentis tollendis opportunæ aquæ acidulæ exiſtant, a quibus ſterilitas ortum duxit, cur illorum uſus damnandus ſit omnino non video. Quid quod experientia compertum eſt mulieres hyſtericis affectionibus, Chloroſi, menſium ſuppreſſione aliiſque uteri, ac aliorum viſcerum vitiis laborantes non modo aquarum acidularum potatione in per-

Ff 2 fectiſ-

(a) *Obſ. lib. 16. ob. 17.*
(b) *Exercit. altera de font. Med. Angl. cap. 4.*
(c) *Differt. de font. Recobar. p. 224.* (d) *lib. 3. cap. 7. p. 88.*
(e) *Lib. 2. cap. 2. p. 23.*

fectiſſimum valetudinis ſtatum reſtitutas fuiſſe, ſed ita ad conceptionem promptas evaſiſſe, ut ſemel in anno filios nullo excepto ex ordine edide-rint, id quod me in binis Nobilibus mulieribus vidiſſe bona fide teſtor; quæ præ morborum vi ſteriles factæ fœcunditatem ita recuperarunt, ut pulcherrima prole ſummo Parentum gaudio fruantur.

XV. *Molæ curatio poſt tranſactum legitimum partus tempus inſtituenda eaque primum Clyſteribus ex decoctione althææ. &c.*] Quamvis falſa germina ſponſtaneo naturæ conatu expelli ſupra a nobis ſit adnotatum, Mauriceau auctoritate ita ſuadente, quandoque tamen hæmorrhagiam adeo enormem ſubſequi, ur in mortis diſcrimine prope certiſſimo conſtituantur mulieres, niſi eadem ex utero educantur ab eodem Mauriceau (*f*) & D. la Mothe (*g*) optime fuit animadverſum. Quamobrem ſalubre illorum conſilium videtur, ſatius eſſe eorum extractionem moliri, quam totum opus naturæ committere, niſi forte os uteri plus æquo anguſtum fuerit, quod extractionem valde difficilem reddit. Et vero, ut egregie notat cl. Paſta (*h*) in inſigni ſanguinis hæmorrhagia, quam falſum trium fere menſium germen excitaverat, cum uteri os ita dilatatum non eſſet, ut prædicti falſi germinis moli apte reſponderet, cumque ſanguinis evacuatio ſiſti inceperit, opportunius eſſe conſtituit naturæ opus committere, quam vitæ mulieris idem os violenter dilatando periculum facere, licet ea copia ſanguis effluxerit, ut animi deliquio ſæpius correpta fuerit: (*i*) Tanti faciebat violentam uteri orificii dilatationem, ut vel ſecundinas hac de cauſa utero hærere ſæpius maluerit, atque earum extractionem in aliud tempus differre (*k*), vel ut enormi ſanguinis evacuationi occurreret aliquam tantum germinis portionem ſolo indice digito immiſſo, pollice in vaginam ſolum inſinuato avellere conatus fuerit, reliquum quod uteri parietibus adhærebat ſuppurationi concipiendæ relinquere (*l*). Cum tamen præ hæmorrhagiæ vi morti proxima mulier conſtituatur, meliuſque ſit anceps experiri remedium, quam nullum, tunc enimvero, niſi manus ſufficiat, etiam ferro, ſive idoneo inſtrumento, cujus deſcriptionem tradit (*m*) extranei corporis extractionem procurandam conſulit, eamque optime ceſſiſſe uno exemplo confirmat, cum nullum aliud in tanto ejuſdem obſervationum numero reperiri legentibus datum ſit, ac ne earum quidem teſtante laudato Paſta, quæ a la Mothe afferuntur, qui unus præ cæteris ab ejuſmodi ferreis inſtrumentis abhorruit. Fateor me juſtis laudibus æquare non poſſe, quæ in hanc rem tradit vir clariſſimus, cum tamen a D. la Mothe (*n*) obſervatum ſit, mulieres a ſecundo ad tertium uſque ſuppoſitæ graviditatis menſem falſum germen plerumque ejicere, ac ſæpius quidem ſolius natūræ auxilio, quamvis nunquam non ſine inſigni ſanguinis profluvio, ipſius vero Mauriceau obſervationibus conſtet multo plura fuiſſe vera, ac falſa germina, quæ primis tribus, quatuorque menſibus ſpontaneo naturæ niſu ejecta ſunt, quam quæ artis ope, præſertim ſi inſignis ſanguinis hæmorrhagia, antequam tertius elabatur Menſis ſuperveniat, ut egregie eumdem animadvertiſſe ſupra adnotavimus, cum de-

(f) *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 31. & *obſ.* 11.
(g) *Obſ.* 13. *p.* 30. *obſ.* 14. *pag.* 31. *obſ.* 352. *p.* 237.
(h) *l. c. p.* 193. (i) *Obſ.* 293.
(k) *Obſ.* 235. 508. (l) *Obſ.* 169.
(m) *Tab.* 27. *p. m.* 270. (n) *refl. obſ.* 12. *p. m.* 29.

demum in uſu tam internorum, quam externorum medicamentorum ſedulo, & accurate cavendum eſſe doceat, ne dum molæ expulſionem molimur verum abortum ſollicitemus, nil temere a Medico agendum eſſe crediderim, ni certus ſit de mola, cujus ſigna, ut ait Jo. Chriſt. Langius (o) *adhuc in utero, & quidem in incunabulis ut ſic loquar, ſive circa primos geſtationis menſes hærentis vix accurata habentur; ſymptomatibus nempe ex aſſe ſimilibus vexantur, quæ talem gerunt, quam conceptu veræ gravidæ*, adeoque tantummodo poſt tranſactum legitimum partus tempus, ut ſupra dictum eſt (p) curationem inſtituendam, atque ea fere methodo, quam tradit expertiſſimus Jo. Fortis, quæ primum in emollientium, ac laxantium uſu conſiſtit, ſecundo in fetum mortuum expellentium, tertio in obſtetricis opere, & tandem in deſperatis caſibus in Chirurgica operatione. Ad emollientia quidem, ac laxantia pertinent Clyſteres ex decoct. alth. Mercurial. lilior. albor. pariet. &c. peſſi ab Aetio commendati ex butyro, adipe anſerino, &c. unctiones ex ol. lilior. alb. &c. oſſibus pubis, inguinibus, & oſſi ſacro, ſi de externis remediis ſermo ſit: ſi vero de internis aq. flor. ſambuc. cum ſaccharo, quindecim dierum ſpatio adhibita, tum ol. amygdal. dulc. quod cæteris palmam præripit.

XVI. *Venæ ſectio poſtea ex brachio vel repetitis vicibus ſi plethorica fuerit mulier &c.*] Venæ ſectionem vel in ſanguinis profluvio a falſo germine prodeunte optimum, atque opportuniſſimum eſſe remedium, ſi ferre eam vires poſſint, Paræus opinatus eſt (q) quod tum maxime, cum plenitudo nimia vaſorum peccat, confirmavit Hildanus (r). Niſi enim profluvium ſanguinis cohibere valeat, quod docente la Mothe (ſ) folius extranei corporis uterum occupantis ſive expulſione, ſive extractione fiſti ſolet, ejus tamen pulcherrima laus eſt maſſam ſanguinis minuendo, eumque affluxum ab utero revellendo, idem adeo moderari, ut præcipitis caſus eventus præcaveatur. Cum vero ſanguis revelli ex utero non poſſit, niſi ſuperiorum partium venæ ſecentur, optime hac in re ſenſiſſe videtur Jacobus Meſnard (t) qui in partu longo, ac difficili (talem eſſe & molæ expulſionem experimur) ſanguinem ex brachio mittit, ac tum præſertim, cum os uteri non a natura, ſed a ſanguine uberius in uterum influente anguſtum factum ſit: quo ex loco repetitis vicibus educendum eſſe procul dubio aſſeruerim, ſi plethorica fuerit mulier, non ex ſaphæna, ut præcipit Jo. Fortis, nec non etiam cl. Mauriceau, quam ſolum ſecandam traderem, cum depletis vaſis ſanguinis curſus ad ſuperiores partes accelerandus eſt, ac molæ expulſio procuranda.

XVII. *Inde ad dictamum Creticum pul. trochiſ. de myrrha, boracem mineralem &c.*] Quo fine ut melius adhuc potiri valeamus ad ea deveniendum, quæ emmenagoga dicuntur, quæque fetum etiam promovent mortuum, & ſecundinas retentas expellunt, inter quæ dictamus Creticus pul. Trochiſ. de myrrha aliaque id genus eminent, quæ partibus volatilibus feta inſigni pellendi virtute donantur. Hippocrates certe referente Galeno ad ſecundas remorantes inter præſtantes quaſdam medicinas dictamum ponit: vetuſque ſa-

(o) *Part.* 2. *cap.* 24. *ſect.* 12. (p) *Com.* 6.
(q) *lib.* 23. *cap.* 35. (r) *Cent. epiſt.* 39. *p. m.* 385.
(ſ) *Reflex. obſ.* 214. (t) *Cap.* 6. *art.* 5.

fabula eſt, ut refert Geoffroy (*u*) Capras in Creta Sagittis vulneratas ejus paſtu eas excutere. Plinius ipſe narrat (*x*) confirmavitque Bonaciolus (*z*) dictamum pul. ex aqua propinatum ſecundas, & ipſum fętum mortuum, etiamſi impeditum foras ejicere: unde ejus folia cavendum, ne in cubiculum gravidarum mulierum ferantur, ne abortum faciant. Quod & de myrrha plane eſt intelligendum, ejuſque trochiſcis, quibus nomen fecit: unde cum aliis inſignibus facultatibus donetur, præſertim vero ſanguinem craſſum, ac viſcidum, bilem grumeſcentem, & humores glutinoſos, & concretos potenter diſſolvendi, qua de cauſa in pulmonum infarctibus, tuberculis, aſthmate humido, tuſſi, ictero, ſcorbuto aliiſque non paucis affectionibus commode adhibetur, temerarie, & incaute gravidis mulieribus exhibendam non eſſe, ne abortiant egregie animadvertit laudatus Geoffroy (*a*). Adeo verum eſt placentam uterinam, fœtum mortuum, ideoque, & molam pellendi virtute excellere. Quid de borace dicam, quem ſolum cum myrrha, & pauxillo Cinnam. ex conſerva abſyntii, vel calendulæ in bolum redactum ad ſuppreſſos menſes, aut puerperarum purgamenta provocanda, & ad fętum mortuum expellendum commendat ipſe Geoffroy (*b*), cum magni ſecreti loco accepiſſe Fallopium (*c*) a Medico quodam Etruſco jam olim ipſe Jo. Fortis adnotaverit. Quid de Caſtorio teſtante Guarinono (*d*), quid de dictami ipſius, & croci decoctione, nec non florum liliorum alborum, politrici, aliiſque id genus, omnis ævi Medicis ad prædicta obeunda munera probatis, commendatiſque? Jam ex his fere aliiſque virtute ſimilibus Tulpius ſuum illum pulverem confecit (*e*), qui ita ſe habet. ℞. Borac. venet. ſuccin. albiſ. a ℈ i. Croc. caſſiæ lign. caſtor. a gr. x m. f. pul. Atque ſuum etiam Heurnius. ℞. Cinnam. el. ʒ ii. .s. mirrh. opt. ℈ ii. ſuccin. albiſ. ʒ .s. rub. tinctor. caſtor. a ℈ i. borac. ℈. .s. croc. gr. v. m. f. pul. ad ʒ i. ex vino exhibendus.

XVIII. *Hiſce vero non juvantibus quid vetat quominus ad pulverem ſecundinarum &c.*] Quæ ſpecifica proprietate ſecundas, & fętum mortuum, & molas pellere creduntur, innumera fere ſunt. Mitto quod ſcribit Cardilucius mulierem mariti urinam ebibentem, aut ſtercus equi ſola avena nutriti edentem ſtatim extranea corpora ejicere, veritus, ne ſi id verum eſt, ob nauſeam, ac vomitum quem ſordida ejuſmodi medicamenta ſolius imaginationis, aut ingrati ſaporis in mulieribus delicatioribus, & ad ſpirituum ataxias pronis excitant, forte contingat, quatenus ſcilicet non ſolum ventriculo, ſed imi ventris, & thoracis viſceribus concuſſis, quæ in utero continentur dimoveantur, & foras ejiciantur. Mitto etiam myſterioſa quædam amuleta, quarum meminit Jo. Fortis (*f*) lapidem nempe Aetitem, ſive aquilinum femori alligatum, Jaſpid ſubviridem femineis locis appoſitum, magnetem manu ſiniſtra detentum, aliaque ſimilia, atque illud ſuum tantopere commendatum (*g*) oculum nempe leporis Menſe Martio capti ſtudioſe exemptum, & cum pipere exſiccatum, ſi vertici mulieris applicetur, ita ut vertex a pupilla tangatur, quod non modo fętum vivum; & mortuum,

(u) *Mat. Med.* p. 2. p. 326. (x) *lib.* 26. *p. m.* 853.
(z) *Gynecior. tom.* 1. *p.* 291. (a) *Ibid. p.* 527.
(b) *Ibid.* (c) *Tractat. de mettal.*
(d) *Conſul.* 56. (e) *Obſ. Med. lib.* 4. *cap.* 42.
(f) *Cap. de mola.* (g) *Cap. de ſecund. retenta.*

tuum, ac fecundam educere, ſed ſi diutius relinquatur, & utero prociden-tiam inducere affirmat, cum non aliam hiſce ineſſe vim facile exiſtimem, ſi illam excipias, quam alibi attigimus (*h*), ut ſcilicet his confiſæ mulier-culæ vim animis addant ad alacritatem quamdam incredibilem, qua erecti ſpiritus, atque uberius, & promptius tum in univerſi corporis fibras, tum in uteri ipſius influentes eas tendant, atque in eas contractiones adigant, quibus opus eſt ad retenti corporis expulſionem promovendam: atque ad pulverem ſecundinarum, ejuſque ſpiritum me converto, quem ſummis lau-dibus extulerunt Corbejus, atque Etmullerus, cum ille infallibilis remedii nomine appellet, hic cęteris omnibus facile anteponendum afferat: ad jecur quoque anguillæ, quod exſiccatum, ac pul. gravidis exhibitum ante horæ dimidium certo certius abortum facere teſtatus eſt Helmontius (*i*) ut in-numeris ſe obſervationibus didiciſſe affirmat, quibus factum eſt, ut publici juris facere ob id potiſſimum voluerit, ne ſcilicet Parturientes in vitæ diſ-crimen in poſterum adducerentur. Eodem & Juncherum (*k*), & Nente-rum (*l*) uſos fuiſſe eorum ſcripta legenti facile apparet. At recentem eſſe oportere duorum ſcilicet vix annorum ex E. N. C. conſtat (*m*). Quid Geſnerum memorem afferentem pulverem teſticulorum equi ad fecundas ex-pellendas efficaciſſimum remedium eſſe, (*n*) atque Augenium dicentem i-pſius Parentem non ſæpe ac ſæpius, ſed nunquam ſemper ægris mulieribus prædicto pulvere, quem pro arcano ſibi ſervabat, profuiſſe (*o*)? Unde nil mirum Jo. Fortis vel ad molas ejiciendas ceu præſtantiſſimum prædicaſſe (*p*). Si æque his credidiſſet cl. Paſta, nullus de eorum virtute hic ambi-gendi locus relinqueretur. Dolendum autem fidem omnem adimiſſe, nul-lam eis facultatem ineſſe aſſerendo præter illam, quæ ex diuturno illorum uſu proficiſcitur, quo fit, ut uterus per ſe ad extranea ejicienda corpora aptus evadat, atque hinc laudibus extollatur remedium, uti mos eſt plau-ſus vetulæ excitandi, quæ venit in fine morbi. Cum tamen ad eorum pre-judicia declaranda fateatur ſolidas concutiendi partes, fluidarum vero orgaſ-mum, ac rareſcentiam ciendi virtute pollere, cur reprehendendus homo ſit, qui in debili, cachochyma muliere, ideoque in ſolidarum partium la-xitate, in cruoris, ac ſpirituum inertia, atque ſegnitie adhibenda ſuadeat, ut vel ſolidæ partes in validiores, vehementioreſque contractiones agantur, vel fluidæ exagitentur, atque ea ratione afficiantur, qua opus eſt ad ube-riorem ſpirituum ſecretionem, atque expeditiorem in univerſi coporis fi-bras, ac propterea ipſius uteri influxum omnino non video. Si plethorica fuerit mulier, ſi robuſta, ſi orgaſmo ſanguinis æſtuet, & rareſcentia, ſi ad functiones omnes obeundas alacris, atque expedita a cl. Paſta fuerim eadem eſſe penitus proſcribenda: multo magis ſi enormi ſanguinis hæmorrhagia vexetur, quo caſu nulla interpoſita mora ad extractionem deveniendum eſſe conſtituimus. Sed de his paulo inferius.

XIX. *Eodem tempore Clyſteres injiciantur ex decoctione Colocynthid. &c.*] Qui hactenus dicta diligenter teneat minus mirabitur cur & Clyſteres a-cres,

(h) *Lib.* 1. *cap.* 8. *com.* 28. & *lib.* 4. *cap.* 9. *com.* 32.
(i) *Jus duuair. n.* 46. (k) *Tab.* 135.
(l) *Tab.* 190. (m) *Dec.* 1. *an.* 9. & 10. *obſ.* 35.
(n) *Epiſt. ad Geſner. p.* 27. (o) *Epiſt. lib.* 7. *ad Piclin.*
(p) *l. c.*

cres, & peſſaria ex irritantibus, ſtimulantibuſque rebus parata opportuna eſſe crediderim, atque plane ille quidem intelliget recti inteſtini, connexarumque, & conſentientium partium, ac præſertim uteri fibris validius, ac vehementius contractis fœtus mortui, molæ, ac cujuſvis extranei corporis expulſionem cum prius molle flaccidumque factum fuerit os, facilius promoveri, hinc magnum adeo eſſe illorum uſum in ejuſmodi caſibus; ut vel ſola laxantia, ac lenientia in gravidis ob metum abortus ſint cautiſſime adminiſtranda. Salubre propterea laudati Jo. Fortis conſilium ſimul ac ſtimulantia hæc, atque acria cum intrinſecus, tum extrinſecus applicantur, ut deſcendat mulier in balneum aquæ dulcis dictis herbis alteratæ, quibus & inſeſſus loco utatur, adeo ut cannula in uterum immiſſa excipiatur, dum ſternutatoria in nares intruduntur, ut ſcilicet magis magiſque uteri ore relaxato, ac univerſo corpore concuſſo, muſculiſque thoracis, diaphragmate, ac imi ventris viſceribus uterum verſus valde prementibus molæ expulſio ſollicitetur. (*q*)

XX. *Ubi tamen præ enormi ſanguinis effuſione in vitæ diſcrimine verſetur mulier omnia hæc laxantia, impellentia &c.*] Vidit hæc maxime inſignia emolumenta cl. Mauriceau, at cum præ hæmorrhagiæ vi res in arduo ſit poſita, hæc omnia impellentia medicamenta ejicienda prorſus eſſe conſtituit, (*r*) obſervatione potiſſimum edoctus, id quod magis ſanguinis profluvio uterino in muliere falſum germen gerente tribuerat, aquam ſambuci fuiſſe, aliaſque potiones diureticas obſtetricis conſilio aſſumptas, nec non acres, atque extimulantes Clyſteres, aliaque vago paſſim rumore decantata ſpecifica, quæ tantum abeſt, ut bono ſint emolumento, ut in ſummam mulierum perniciem plerunque cedant, qua enormes ſanguinis hæmorrhagias ciendo, qua febres, uterique inflammationes, qua immodicos alvi fluxus atque graviſſimas pectoris fluxiones provocando. Vidit hæc etiam la Mothe (*ſ*), Hildanus vidit (*t*). Nos ab iis ſumus, atque uti mulieres ad extremum uſque vitæ redactas ſola extranei corporis extractione ab Orci faucibus ereptas fuiſſe conſtat, ita & nos eam ſimilibus in caſubus inſtituendam eſſe haud dubie affirmamus. Methodum ſervandam docet Hildanus ipſe (*u*), quæ in eo tota verſatur, ut dolores, qui etiam perenni curſu fluente ſanguine evanuerunt, denuo excitentur extraneorum corporum excretioni certo certius anſam daturi, uta viris præclariſſimis la Mothe (*x*) & Heiſtero (*z*) demonſtratum eſt. Hinc ut ægrotans in modum parturientium decumbat, operæ pretium putat, in lecto tamen, ut vires conſerventur, ſupina, cruribus elevatis utrinque, dilatatis coſciis, deinde obſtetrix manum inunctam linimento ex oleo lilior. albor. amygdal. dulc. de vitel. ovor. pinguedin. capon. urſ. anſer. &c. clementer in uteri collum immittat, ac parturientium dolores, & conatus quantum fieri poteſt excitet. Verum quidem eſt, ut notat egregie cl. Paſta (*a*) ejuſmodi operatione velle Hildanum uteri os tantum ſic dilatari, ut obſtetrix manum commode immittere poſſit pro molæ extractione, at ne inficiari quidem poſſe contendit

(q) *V. lib.* 1. *cap.* 1. *com.* 22.
(r) *Obſ.* 3. (ſ) *Reflex. obſ.* 163.
(t) *Epiſt. ad Doringium p. m.* 904. (u) *Cent.* 2. *obſ.* 52.
(x) *Refl. obſ.* 14. (z) *num.* 21.
(a) *loc. cit. p.* 207.

dit ſperandum eſſe, ut mulier falſum germen ejiciat, aut ita idem propendeat, ut digitis apprehendi queat, cum revocatis hac ratione doloribus in ſanguinis profluviis partus naturales procurari ab ipſo Puzos animadvertat, ſicque vitæ peciculum, quod in fœtus extractione impendet, diligenter præcaveri. Saltem pulcherrima laus erit os uteri ſic dilatare, ut extractionis fine, ſi in longius protrahi non poſſit, potiri valeamus. Quæ quomodo perficienda laudatus ipſe Jo. Fortis præclare docuit, quo loco inquit: *Tum Obſtetrix manibus inunctis oleo liliorum alborum, & Keirino* (oleum loco linimenti ſufficere vel cl. Paſta adnotavit) *ſiniſtram in uteri oſculum immittat, & dilatet; deinde inventa mola dextera & ipſa inſinuetur, manu inuncta pertractetur, & leviter extrahatur; quod ſi conſequi non poſſit obſtetrix, peritus forſan, & animoſus Chirurgus id obtinebit; cujus manus, ſi mola fugiat, ubi ſiniſtra manu os uteri dilataverit, & molam invenerit, dextera uncus introductus, ſiniſtra infigatur, quo in orbem circumducto paulatim extrahatur*. Quamquam vero uteri os interdum adeo anguſtum eſſe oſtendit cl. Mauriceau (*b*), ut non ſolum tota manus immitti queat, ſed vix ſolum digitum, quo operatio efficienda, quæ in hunc fere modum ſe habet. Inuncta manus ad internum uſque orificium, quod vix apertum reperiri plerunque datum eſt in vaginam immittenda, atque alterutrum digitorum inſinuandum, ac in utramque partem in gyrum agendum eo uſque dum alteri via præbeatur, & ſic ex ordine aliis, ſi abſque moleſtia id fieri poſſit: Si duo ſolum ut ſæpe contingit immitti queant, extraneum corpus ipſis apprehendendum eo prorſus modo, quo ſolent cancri fluviatiles eorum pedibus, dum rem aliquam apprehendunt, atque extra uteri confinia ejiciendum, quemadmodum etiam, ſi forte intus incluſus ſit aliquis grumus ſanguinis, quo educto profluvium nimium cohiberi procul dubio tenendum, niſi forte aliqua ipſius portio ſuperſtes maneat, ut ſæpius vidiſſe teſtatur, atque huc uſque traditam methodum adhibuit. Hanc fere ſectandam putat cl. Paſta (*c*) dummodo *diligenter proſpiciat obſtetrix*, ut docet Hildanus (*d*) *ne ipſam, nempe molam impetuoſe, ac feſtinanter, ſed pedetentim, ac lente ſeparet, extrahatque*, cum ſe in ſeparatione molæ poſtquam ad ipſius radicem manu perveniſſet dimidiam fere horam impendiſſe ſubdat, *abſque ullo tamen dolore, aut moleſtia ægrotantis*. Hinc propterea reciſis unguibus digitorum ſumma molam inter, aut aliud extraneum corpus, & uteri parietes injiciantur, eadem ſenſim ea parte avellendo, qua utero tenaciter adhærent, & ſic circumundique uſque ad integram ſeparationem: ſedulo etiam, ac diligenter caveatur, ne ſi nimis adhæreant, eadem plus æquo trahendo diſrumpantur, aut ipſius uteri ſubſtantia avellatur, cum manus ſimilibus in caſubus, æque ac uncus periculi expers non ſit, ut cl. la Mothe teſtatus eſt. (*e*) Quæ ſi vera ſunt, eo magis patet perquam raro ad uncum deveniendum eſſe, cujus meminit cl. Jo. Fortis, aut ad alia inſtrumenta a cl. Mauriceau inventa, deſcripta, ut ſupra a nobis la Mothe præeunte adnotatum eſt.

G g CAP.

(b) *lib. 2. cap. 31. p. 259.*
(c) *l. c. p. 201.* (d) *Cent. epiſt. 39. p. 386.*
(e) *Prefac. p. 9.*

CAPUT IX.

De præcipuis quibuſdam gravidarum morbis & abortu.

I. NAuſea, vomitus, cordis palpitatio, Syncopes, alvi fluores, ani hæmorrhoides, alvi ſtypticitas, mejendi difficultas ea fere ſunt, quæ gravidas exercent: moleſti quidem, atque graves morbi, at cum abortu comparata levis momenti.

II. Illorum cauſa eſt aucta ſanguinis quantitas primis potiſſimum menſibus, & impedita conſueta ejuſdem excretio, qua naturalis ſanguinis motus alteratur, & cæteræ humorum ſecretiones aliqualiter læduntur.

III. Hinc diſtentis plus æquo uteri vaſis, eorumque & ſtomachi nerveis fibrillis male affectis, aut craſſis, acribus, ſalſis aliaque qualitate præditis in eodem ſeparatis ſuccis, nauſeæ, vomitus ſubſequuntur.

IV. Sanguine vero, aut acriore ab eodem lympha ſecreta circa præcordia lenteſcente cordis palpitatio, ſyncopes præſto ſunt.

V. Jam vomitibus longis, & diuturnis divexatæ mulieres langueſcunt, eorumque ſtomachus cibis coquendis ineptus redditur, unde Lienteria, aut depravata chylificatione acres, erodenteſque humores colliguntur, qui Diarrhœæ, ac Dyſenteriæ occaſionem præbent.

VI. Superfluum ſanguinem in vaſis hæmorrhoidalibus ſubſiſtere ſi forte contingat, hæmorrhoides ſubſequuntur; eo magis ſi eodem inteſtinorum vaſa plus æquo diſtendente alvi ſtypticitas exoriatur; qua excrementa magno cum niſu, ac labore ejiciantur.

VII. Hæc præternaturalis diſtenſio, ſi veſicæ vaſis accidat, mejendi difficultas, quæ a ſola uteri compreſſione quandoque proficiſcitur, inflammatoria originem trahet.

VIII. Abortus vero, qui inter primum, & ſeptimum menſem contingit, cauſa non ſolum eſt nimia ſanguinis plenitudo, ſed ejuſdem raritas nimia, & expanſio, tenuitas, fuſio, acrimonia, inanitas, quæ longa inedia, diuturna ciborum averſione, vomitibus contumacibus, tenui diæta in morbis acutis, inſignibus hęmorrhagiis hæmorrhoidum, uteri, liberaliori venæ ſectione, alvi fluxibus aliiſque ejuſmodi evacuationibus, comparatur.

IX.

IX. Ea omnia quibus menſium fluxus cieri ſolet, aut molæ expelli, purgantia ſcilicet, emmenagoga, crocata, mirrhata, aloetica, totius corporis gracilitas, mollior, laxiorque habitus, abortus quavis de cauſa prægreſſus, uterus qui ſatis amplus, & capax non ſit, aut inflammatione, tumore aliquo ſcirrhoſo, abſceſſu, mola, aliiſque malis laborans, idem laxior, & humidior, omenti craſſities inſignis, aut duriorum, quæque ferris armantur veſtimentorum compreſſio, grandiores fetus, monſtroſi contra naturæ ordinem poſiti, gemelli, tergemini, aut plures vel per ſuperfœtationem, ſi datur, concepti, varia funiculi ad fetus collum circumplicatio, percuſſio ventris, caſus in terram, labor moleſtus, & operoſus matris, præſertim inſolitus, violenta exercitia, frequens & immoderatus coitus, ſaltus, ſuſpiria vehementia, brachiorum elevatio, graviores animi curæ, metus præſertim inſignis, vehemens ira, improviſus, & inopinatus rumor, odores tetri carbonum vel ipſius lucernæ extinctæ.

X. Morbus revera metuendus abortus, licet in nonnullis nil gravius partu naturali.

XI. Ne is forte accidat, ubi nauſea, aut vomitu mulier corripiatur, venæ ſectio ratione plenitudinis habita vel primis menſibus ad ſeptimum uſque, ſi moleſte vexetur inſtituenda, ſecus circa finem tertii, eaque in brachio, vel manu, niſi acutiſſimus morbus aliter ſuadeat.

XII. Si ultra quartum menſem protrahatur vomitus, atque pravi ejiciantur ſucci, ſyrupus de cichorea cum rhabarbaro ad ℥ i. quotidie exhibendus, rhabarb. pul. a ℈ i. ad ʒ .s. ex flor. Caſ. r. e. aut ejuſdem conſerva quolibet octavo die, vel ejuſdem infuſio addito ſyrupo flor. perſicor. aut mel. roſat. ſolut. ad ℥ i. .s.

XIII. Abſterſis primis viis, ſi adhuc moleſtus ſit vomitus juſculum ex carn. vitul. a pingued. ſeparat. ℥ iii. raſur. ebur. ʒ ii. cortic. citr. ſicc. ℥ .s. calamint. mont. p. i. ſiliq. vanil. vel cortic. Vinteran. gr. viii. aq. font. Lib. i. .s. m. coq. uſque ad conſumpt. mediet. detur ad ℥ iiii. quotidie mane jejuno ſtomacho.

XIV. Solus Chocolatæ potus nonnullis quandoque egregie proficit.

XV. Diligens etiam victus ratio conferre viſa eſt ea concedendo quidem, quæ avide appetuntur, licet qualitate aliqua intemperata, ſed opportune, ac moderate, cum cæteroquin ptiſanæ hordeaceæ, a-

venaceæ, carnes juniorum Animantium, Avium, vel aſſatæ ſucco limonum, granatorum alteratæ conferre viſæ ſunt, uti & conſervæ cytonior. poſt cibum, vinum maturum optima ſint.

XVI. In palpitatione cordis ſola plerunque venæ ſectio promptiſſime occurrit, ita & in ſyncope, ſed extra paroxyſmum, in quo facies aqua frigida irroranda, aut acetum acerrimum naribus applicandum, cordis vero regioni vinum generoſum ſpeciebus cordialibus pro epithemate imbutum admovendum, aut aqua Reginæ Ungaricæ: dum vinum generoſiſſimum fragrans, limpidum, & ſuave, aut aq. ſuc. meliſ. tot. citr. aurantior. cochleatim exhibetur.

XVII. Etiam in alvi fluxibus locum habet venæ ſectio, ſi redundantis ſanguinis inditia adſint, cum cæteroquin ea, quæ mulier appetit pravæ indolis evitanda in lienteria, & ea quæ facilis ſunt coctionis ſubacidis ſuccis alterata, & conſervæ cytoniorum, & vinum maturum concedendum ſit, hora vero ſomni Diaſcordeum Fracaſtor. a ʒ .s. ad ʒ i. exhibendum.

XVIII. In Diarrhœa vero omnia alibi recenſita (*f*) ſolis aquis Tetutianis exceptis, & radice Ipecuacan, niſi forte inſigne medicamentorum faſtidium prohibeat, quo caſu ſola Simaroubæ decoctio adhibenda, quæ in hunc fere modum paratur. ℞. Simaroub. minut. ſect. ʒ ii. aq. commun. Lib. ii. coque uſque ad conſumpt. tertiæ partis, & quarta ipſius pars quarta quaque hora tepida propinetur ad integram uſque ſanationem.

XIX. Hæmorrhoides dolentes præter venæ ſectionem ex brachio decocto Verbaſci, & flor. ſambuc. portulacca contuſa, & admota, linimento ex linariæ fol. & floribus in adipe porcino coctis expreſſo adipe, & vitello ovi admixto, oleo ſemin. lin. in quo aſelli fuerint incocti, addito oleo buxi, & vitel. ovor.; in metu vero inflammationis linimento ex cancris fluviatilibus in oleo coctis uſque ad mel. conſiſtentiam, aut oleo amygdalar. dulc. papaver. & nymph. vitello ovorum crudo in mortario plumbeo diu agitato, addito etiam refrigerante Galeni, & Populeon. pertractandæ.

XX. Alvus cæteroquin aperta ſervanda floribus Caſ. r. e. prunorum decoctione in juſculo tenui, ſero lactis tamarindato, ſpinaciis, aliiſque id genus. Clyſteres ut ſummum ſi fæces ſint induratæ ex decoct. malvar. parietar. violar. ſemin. lin. cum ſacchar. rubr. ℥ ii. ol. violat. amyg-

(f) *Aph. lib.* 3. *cap.* 3. *p.* 27.

amygdal. dulc. a ℥ i. .s. butyr. recent. parum, adhibendi.

XXI. Alvi ſtypticitas, & mejendi difficultas, niſi venæ ſectione tollatur ſola refrigerantia, & emollientia viſa ſunt convenire, cujuſmodi ſunt lac tepidum, fomenta ex decoct. malvarum, parietariæ, violar. ſemin. lin. extrinſecus applicanda, aut addito oleo violato in veſicam injicienda: intrinſecus vero emulſiones ex ſemin. frigid. addito ſyrup. nymphææ, ſerum caprile deſtillatum, aqua Noceræ, & ſimilia.

XXII. Abortus, qui a nimia vaſorum plenitudine proficiſcitur frequenti venæ ſectione præcavetur ſupra allatis cautelis n. ii.

XXIII. Qui ab ejuſdem raritate nimia, & expanſione, quiete corporis, animique diæta tenui, ac refrigerante, ut ſunt ptiſanæ avenaceæ, hordeaceæ, juſcula ex carnibus agninis, vitulinis, endivia, acetoſa, lactuc. comeſta in acetariis, omnimoda vini abſtinentia, aut tenui tantum, & diluto, aqua ardente Sirio ſucco limonum, berberum alterata, emulſionibus ſemin. melon. aut quat. frigidorum.

XXIV. Quibus addendi pulveres ex raſur. matr. perlar. ocul. cancror. a ʒ i. nitr. purif. ℈ i. ad ʒ .s. ex aq. acetoſ. borragin. aut levi decoctione in jure non ſalito lactuc. endiv. cichor. violar.

XXV. Qui a tenuitate, fuſione, acrimonia, pulveribus ex coral. maſtich. gr. kerm. a ℈ i. ad ʒ .s. quotidie in ovo ſorbili exhibendis, vel trochiſc. de ſpod. de karab. a ʒ .s. ad ʒ i. ſuperbibendo gelatin. raſur. ebur. & cor. cer. in aq. tormentil. plantagin. a cocl. 1. ad cocl. ii. in jure extremitatum pedum vituli, dum renes, ac pubes ad præpediendam hæmorrhagiam unguento de cortic. caſtan. comitiſ. ſandalin. junguntur, aut cerata, aut zona torrida incluſa pelle arietina vitriolo ad ſolem calcinato applicatur, quæ etiam in nimia laxitate locum habent.

XXVI. Qui ab inanitate ob inediam, liberaliori, atque opimo victus genere, jejunii abſtinentia.

XXVII. Qui ab inanitate ob diuturnam nauſeam, ac vomitum iis, quæ iiſdem occurrunt.

XXVIII. Qui ob tenuem diætam in morbis acutis paulo liberaliori victu in declinatione præſertim, juſculis ſcilicet carnium juniorum Animantium, quibus incocta ſint hordeum, radix ſcorzoneræ, & vitelli ovorum, potu vero ex aqua hordei cum aq. Cinnam. ſucco citri, & pauxillo vini permixto, vel ſucco limon. aut berberum alterata.

XXIX.

XXIX. Qui ab inſignibus hæmorrhagiis hæmmorrhoidum, uteri, aliarumque partium, iis ipſis, quæ eorumdem remedia ſunt.

XXX. Qui ex abortivis medicamentis, eorum abſtinentia.

XXXI. Qui a molliori laxiorique habitu, aut laxiori, & humidiori uteri intemperie iis, quæ fluorem album ſiſtunt.

XXXII. Qui ab externis cauſis earum remotione.

XXXIII. Excepto metu, & terrore, qui venæ ſectione animo ad quietem compoſito pertractandus.

XXXIV. Si mammæ detumeſcant, & extenuentur, dolores frequentes, & fere continui renes, ac lumbos excrucient, qui pubem verſus, & os ſacrum exporrigantur, quidam ex utero egerendi conatus, ſanguiniſque puri, vel ſeroſi, vel aquæ ex utero profluentis excretio contingat, quibus imminens abortus indicetur totum naturæ opus committendum.

C A P. IX.

De præcipuis quibuſdam gravidarum morbis, & abortu.

I. N*Auſea, vomitus, cordis palpitatio, Syncopes &c.*] Nullum morbum reperiri medentibus datum eſt, ſi ſinguli animo, & cogitatione percurrantur tam acuti, quam chronici, qui & non prægnantibus, prægnantibuſque communes non ſint, eaſdemque non cauſas agnoſcant, atque diagnoſim. Si hæc duo tantum a nonnullis ſpectata fuiſſent, nullus ſuperfuiſſet de iis differendi locus: at cum ad prognoſim, ac curationem attendiſſent, quæ ſatis inſigne habere diſcrimen animadverterunt, ſatis ſe habere poſſe ſunt arbitrati, quo de his aliquid ſpeciatim dicerent. Inter hos Riverius eminet (*g*), qui propterea acutos morbos in gravidis longe periculoſiores, & ſæpiſſime lethales primum conſtituit, chronicos vero aut abortus periculum minari, aut vix ante partum curari poſſe: deinceps de magnis remediis ſermonem inſtituit, venæ ſectione ſcilicet, & purgatione, nec non diæta, quæ qua ratione adhibenda ſubtilius inquirit, ita ut exonerari laborum noſtrorum partem fateamur, atque ejus doctrinam quamlibentiſſime amplecti. Cum tamen totum curationis momentum in eo ſitum videatur, ne indicatis præſidiis præpoſtere adhibitis mulier abortiat, cum venę ſectio, purgatio, diæta in eorum etiam morborum curatione ſint adminiſtranda, qui peculiares ſunt mulieribus gravidis ante partum, quique abortus periculum æque minantur, ab eorum examine, ne fruſtra res in immenſum excreſceret ſuperſedere decrevimus, atque ad iſtorum hiſtoriam ſermonem omnem, orationemque convertere, præſertim cum de cauſis, ac remediis abortus tam iis, quibus præcaveri idem poteſt, quam quibus curari ſit infra dicendum. Nauſea, vomitus, cordis palpitatio, ſyncopes; alvi fluores, ani hæmorrhoides, alvi ſtypticitas, mejendi difficultas, uteri hæ-

(g) *Cap. 16. de morb. acut. & chronicis prægn.*

hæmorrhagia ea fere ſunt, quæ Mulieres gravidas ob metum abortus, & abortus periculum non leviter infeſtant, quorumque tractationem Ludovico Mercato, Roderico a Caſtro, Mauriceau, Jacobo Meſnard, Andrea Paſta præeuntibus aggreſſi ſumus.

II. *Illorum cauſa eſt aucta ſanguinis quantitas primis potiſſimum Menſibus, & impedita conſueta ejuſdem excretio &c.*] Si illorum proximas ſpectemus cauſas, nemo inficias ire auſit eaſdem plane eſſe, quæ in non gravidis nauſeæ quidem, ac vomitus inverſum motum periſtalticum æſophagi, ventriculi, & ſæpe Duodeni, nec non diaphragmatis, & Muſculorum Abdominis convulſivam contractionem plus minus violentam (*h*), cordis vero palpitationis, illius convulſionem, quæ non raro ita vehemens eſt, ut manus pectori admota repellatur, & viſu ipſo deprehendatur, ut Foreſtus (*i*), Chriſtophorus a Vega (*k*) teſtati ſunt. Quibus addendum, quod Rivinus ſcriptum reliquit (*l*) ſe in ea pectoris parte, cui admota manus pulſationem percipiebat maculam rubicundam obſervaſſe, in alio caſu callum: Syncopes vero interceptum ſanguinis motum; alvi fluxus, vel deficientem, aut langueſcentem bilis, & ſucci pancreatici actionem, unde non recta ſuccedit chiloſæ maſſæ attenuatio, & Chyli a fecibus ſecretio, aut fibrarum inteſtinalium laxitatem tantam, ut quæ continere debent, cito emittant, aut venarum lactearum obſtructionem, ut chylus confectus jam & ab excrementitiis partibus ſolutus in eas ingredi, aut per illas fluere ulterius non poſſit, unde cum fecibus confuſus excernatur, vel vero convulſivam inteſtinorum contractionem ab acribus, cauſticis, atque erodentibus particulis inductam, qua variorum humorum, una cum ſanguine excretio interdum excitatur (*m*): ani hæmorrhoidum ſtagnationem in ipſis ſanguinis, unde intumeſcunt, ac inſigniter ſæpe dolent non quidem ob affectas ſolummodo venas, ſed ob partes, quibus ſunt interjectæ tumoreſque hinc multiplicis naturæ excitatos; alvi e contra ſtypticitatem impeditum liberum motum periſtalticum inteſtinorum, unde humorum homogeneorum confluentia non obtinetur; mejendi difficultatem ob inflammationem veſicæ, ſanguinis in ipſius vaſis ſtagnationem. Cauſarum diſcrimen inſigne illarum fere eſt, quæ remotæ dicuntur. Si enim de iis ſermo ſit, quæ nauſeam, aut vomitum cient, apparet ad materiem craſſam, viſcidam, mucoſam ventriculi parietibus tenaciter adhærentem, vel ad nimis tenuem, acrem, ac bilioſam, vel ad ſanguinis e vaſis ventriculi erumpentem, in ejuſdem cavum, ad tumorem inflammatorium, ad ſcirrhum, ad callum ventriculi, ad ingeſtorum nimiam copiam, emetica acria, aliaque id genus eſſe referenda. Si vero de iis, quæ cordis palpitationem gignunt, variæ eſſe poſſunt, aliæ quidem ipſi cordi peculiares, ut ſunt ampliata ipſius moles, ejuſdem adhæſio Pericardio, auricularum, & annexorum vaſorum dilatatio, ut ex A. N. C. conſtat (*n*), Wiliſio (*o*), Jo. Couſin (*p*), polypi cordis, & aortæ ut M. N. C. (*q*), & Alexander Knips Macoppe (*r*) præ cæteris teſtantur, qui-

(h) *aph. lib. 3. cap. 1.* (i) *obſ. lib. 17. obſ. 10.*
(k) *lib. 3. de art. med. c. 8.* (l) *De cord. palpitat. ſect. 13.*
(m) *aph. lib. 3. cap. 3.* (n) *Dec. 2. an. 9. obſ. 44.*
(o) *Tr. de medicam. oper. ſect. 7. cap. 3. pag. 103.*
(p) *Nov. aſthm. hiſt. 3.* (q) *Ibid. an. 6. obſ. 233.*
(r) *De Aortæ polypo epiſt. medic.*

quibus efficitur, ut cor vehementius ad coſtas appulſus eaſdem urgeat, ſanguinis infuſio ab auricula in ſinum cordis parcior, quam naturæ ordo poſtulet, cum deficiente ſanguinis adverſus cordis impetum reſiſtentia major ille fit, & pectus magis urgeat, quemadmodum in iis obſervamus, qui pulſus intermiſſione laborant, in quibus parum ſanguinis e ſiniſtra auricula in ſiniſtrum ſinum non illabente, nec Aorta ſanguine repleta non modo pulſus deficit, ut Timæus a Guldenklee teſtatur (ſ), ſed vi omni cordis integra manente, & tota adverſus coſtas impenſa, cor vehementer ad pectus allidi- tur, quibus addenda ea omnia, quæ cor ipſum ſtimulare poſſunt, ut vim moventis principji augere, ut acrior ſanguinis, & ſpirituum conſtitutio, convulſivi morbi, graviora animi pathemata, metus præſertim, ac terror, ut Baglivus docuit (t), aliaque id genus plura. Syncopes cauſas quod attinet multa ſunt, quæ ſanguinis motum intercipere, atque auferre poſſunt, atque alia quidem in cor ipſum, & ſanguinem immediate agunt, alia mediate ventriculi, inteſtinorum, uteri, aliarumque partium nervos afficiendo: graviores hinc animi perturbationes, terror præſertim, metus, & triſtitia, quibus ſpirituum animalium motus ea ratione quandoque cohibetur, ut apoplexia ſuperveniat (u), odorum graviorum, aut etiam ſuaveolentium perceptio, præſertim in hyſtericis Mulieribus, quæ ſpirituum ataxia laborant (x), & in quibus iidem in eas turbas aguntur, ut motus cordis intercipiatur: hæmorrhagiæ, & quæcumque nimiæ excretiones, quibus non modo ſanguinis ſubtilior portio, in qua totum virium momentum ſitum eſt exhauritur, ſed ipſa quoque fluidorum moles imminuitur, unde æquabilis, atque ordinatus ſanguinis motus impeditur: id quod & de immoderatis vigiliis eſt intelligendum, & longa inedia (x), & immoderata venere, & de venenis, de purgantibus, atque emeticis acribus, febribus malignis & colliquantibus (z), de iis demum omnibus, quę partes cum corde communicantes vellicare, aut aliter, male afficere poſſunt. Jam alvi fluxus celiaci remotiores cauſas ſi quæras, ſunt fere ulcus ventriculi, quo ejus fibræ plus æquo irritantur, potus copioſiores, quibus nimia laxitas in eaſdem inducitur, naturalis partium atonia, vel ab iis quæ ſpiritus diſſipant, excitata, ut vigiliæ intentæ, immodica venus, morbi chronici, & diuturni, nec non prava victus ratio, aut hepatis obſtructiones, quæ bilis ſeparationem, aut activitatem impediunt, inteſtinorum infarctus a viſcidis, mucoſiſque quiſquiliis cruſta quaſi quadam eadem obducentibus, aut vaſorum lacteorum coalitus poſt dyſenterias male curatas, aut Meſenterii obſtructiones, aliaque ſimilia. Dyſenteriæ vero humorum vel nimia copia, vel acrimonia inſignis, qui vel in ipſo ſunt ſanguine, vel a pancreatico, bilioſo, & qui a glandulis inteſtinorum extillant ſuccis, vel ab ingeſtis ſuppeditantur, quibus addenda graviora animi pathemata, naturalium evacuationum ſuppreſſio præcipue ſudoris, ac perſpirationis aliaque a nobis recenſita (a). Ani hæmorrhoidum cauſæ remotiores internæ a perturbata ſanguinis craſi, ac libero motu ſunt repetendæ, ab incongrua victus ratione, a temperamento melancholico, in quo acidæ, fixæque particulæ domi-

(ſ) *epiſt.* 23. *pag.* 140. (t) *Prax. med. lib.* 2.
(u) *aph. lib.* 1. *cap.* 1. *p.* 16. (x) *Ibid.*
(z) *aph. lib. cap.* 2. *com.* 4. (a) *Ibid. cap.* 3.

dominantur, Hepatis, ac Meſenterii vitiis : externæ vero ab exercitiis vehementibus, iiſque omnibus, quibus lumbaris regio plus æquo excalefit, laborioſis partibus, laborioſa fecum excretione a purgantibus validioribus, maxime aloeticis, quibus inteſtinorum fibras irritari non modo, ſed etiam abradi alibi demonſtratum eſt (*b*). Quid alvi ſtypticitatis cauſis inquirendis immoremur, cum ex dictis de affectione hypochondriaca, ictero, vermibus (*c*), quorum morborum ſymptoma familiare eſſe conſuevit, erui commode poſſint? Quid inflammationis veſicæ cauſis, quæ ceteris omnibus inflammationibus communes ſunt? In gravidis enimvero longe diverſo ex fonte ſunt repetendæ. Facta enim fecundatione nemo ignorat uteri vaſa non modo turgere, copioſioremque ſuccum effundere, ſed eumdem calore loci, & motu ſubtiliorem redditum ovulum ipſum primum quidem liberum, & nulli uteri parti adhærentem intrare, ipſumque diſtendere, & augere, Embryonemque in eo contentum nutrire, & ambire. Quo copioſius nutritius humor ad uterum affluit, eo magis minui illius copiam, quæ plethoram prius faciebat, & ſanguinem per turgida uteri vaſa jam diſtenta liberius circulari manifeſta res eſt. Hinc petenda ratio cur menſtruorum fluxus plane definat in iis præſertim, quæ non tanta ſanguinis copia donantur, cum in plethoricis quandoque primis ſaltem Menſibus naturalis ſanguinis fluxus, licet imminutus appareat, eo uſque dum ovulo in dies incrementum ſumente, illiuſque membranis ſenſim craſſeſcentibus, & ea præſertim parte, qua ovario adhærebat placentæ rudimenta appareant, per quam in dies ſingulos craſſeſcentem, & auctam nutritius ſuccus uberius ab utero traſcoletur, atque in venam fetus umbilicalem pro majore ejuſdem nutritione tranſmittatur. Qui ſi totus non abſumatur jam a fetu ad Matrem per arterias umbilicales rurſus emitti, poſtquam Covvperus mercurium in arterias umbilicales injectum in venas uteri matris intrare vidit (*d*), Vieuſſenius vero Mercurium in arterias carotides canis gravidæ injectum non modo in omnia ejus membra, & viſcera decurriſſe, ſed etiam in catellos, in ipſius utero concluſos perveniſſe affirmat, ut ipſorum interiora, & exteriora, cutiſque ipſa hoc Mercurio per vaſa ſanguinea affluente haud injucundo ſpectaculo pingerentur, ſive inficiari, ſive in dubium revocare non poſſumus, præſertim cum Meryus hunc ſanguinis circulum ſingulari confirmet exemplo Mulieris ultimo Menſe gravidæ, infelici lapſu ſubito enecatæ, ac in ſectione Abdominis cavitatem ſanguine turgidam, ex adverſo cuncta vaſa ſanguifera cum propria, tum fetus una mortui prorſus vacua, cum placenta nihilominus utero adhuc integro adhæreſcente, & ſine ulla ſanguinis effuſione (*e*), atque ipſe cl. Heiſterus in puerpera, quæ duos fetus in utero geſſerat, unoque vivo feliciter excluſo paulo poſt intra quartam horæ partem ob enormem ſuperveniente uteri hæmorrhagiam altero adhuc retento mortua eſt, non ſolum vaſa omnia ſanguine vacua deprehendiſſe teſtetur, verum etiam in fetu adhuc utero integris membranis hærente idem notaſſe (*f*). Quod diligenter tenendum, cum ſanguine a nutritione fetus ſuperſtite, ſive eo ſolo qui Matris eſt, ſive a fetu per arterias umbilicales reduce ſuppreſſis Menſtruis ea ſanguinis plenitudo inducatur, qua naturalis ſanguinis motus alteratur, & ceteræ humorum ſecretiones aliqualiter læduntur, unde gravidarum morbi.

H h *Hinc*

(b) *Ibid. cap. 7. p. 84.* (c) *Ibid. p. 74. 101. 108.*
(d) *Anatomii of. the. human. Bodii Tab. 54. & act. erudit. Lipſ. an. 1669.*
(e) *Hiſt. Acad. Reg. an. 1708.* (f) *Compend. Anat. not. 36.*

III. *Hinc diſtentis plus æquo uteri vaſis, eorumque, & ſtomachi nerveis fibrillis male affectis &c.*] Diſtentis nimirum plus æquo uteri vaſis nerveiſque fibrillis ſtimulatis ea triſtis affectio excitatur, quæ ſuperiori ſtomachi orificio per nervos ſexti paris communicata nauſeas, ac vomitus ciet. Uterus ſaltem, ut alibi oſtendimus, facta fecundatione magnam ſubit alterationem, cumque exquiſitiſſimo ſenſu ſit præditus, vix ac illam patitur fieri minus poteſt, quin prædicta triſti ſenſatione afficiatur, a qua nauſeam, ac vomitum per conſenſum oriri diximus, id quod primis ſtatim diebus Mulieribus quandoque contingere animadvertens cl. Mauriceau (g), quæ in perfectiſſimo valetudinis ſtatu ſunt conſtitutæ, non pravas modo quaſcumque vitioſaſque ſordes ſtimulandi vi præditas accuſandas conſtituit, ſed ne ipſam quidem Menſium ſuppreſſionem, atque omnia enarrata ſymptomata ea prorſus ratione gravidas aggredi, qua aut in capitis, & inteſtinorum vulneribus, aut colicis nephriticis experimur, in quibus nullo vitioſo humore ſtomacho hærente enormes vomitus ſubſequuntur. Recte ille quidem. Nihil ſane eſt, cur ei quamlibentiſſime non aſſentiamur, dummodo tamen & ille nobis concedat, quod volumus, vomitus ſcilicet, qui ad quartum uſque Menſem, & quandoque toto gravidationis tempore miſellas exercent non a ſola ſtomachi imbecillitate repetendos, qua ciborum digeſtio præpediatur, atque eorum corruptio pravis vitioſiſque ſordibus anſam datura loco bonæ laudabiliſque concoctionis contingat, ſed a prædicta etiam ſanguinis plenitudine, qua naturalis ſanguinis motus alteratur, & ceteræ humorum ſecretiones aliqualiter læduntur, unde ſucci digeſtioni inſervientes nimis craſſi, acres, ſalſi, acidi, aut alia qualitate præditi ſeparantur, variaſque ſtomachi, & adjacentium partium pathemata progignunt. Niſi ita res habet, qua ratione, aut modo fieri poſſe dicamus, ut gravidæ non modo inappetentia, nauſea, vomitu, ſed etiam Pica, & Malacia non raro afficiantur, & res appetitas licet pravas & interdum a cibi natura alienas avide adeo, atque impatienter deſiderent, ut niſi earum compotes fiant langueſcant, animo fere linquantur, atque infanti rei appetitæ notam imprimant? Quid quod nullum quandoque malum ab aſſumptis etiam copioſe, atque a natura cibi alienis rebus, aut inſigni aliqua, & efficaci qualitate præditis exoriantur? Mulierem ex Sennerto alibi memoravimus (g) cretam, & molares lapides contritos ad librarum pondus deglutientem, ne vel minime quidem læſionis inditiis apparentibus. Cui addenda altera illa Plateri obſervatio de gravida Muliere aliquot Zinziberis libras maxima voluptate ulla abſque moleſtia, atque ardore in faucibus, atque ventriculo una vice devorante. Quæ ſane omnia vix, ac ne vix quidem accidere poſſe oſtendimus, niſi depravatum ſit ventriculi fermentum ea ratione, qua opus eſt ad res adeo pravas edomandas, ut qualitatibus ſuis non noceant, cum ab eodem motiones quædam in ventriculi membranas, & nervos exciten-tur, quæ cum ad Cerebrum uſque perveniant certas ciborum imaginationes in animum inducunt, unde Mulier ad appetendum excitetur. Quoniam vero cibi abſurdi ſunt, atque ab alimenti natura alieni neceſſe eſſe ſubdimus, ut eæ motiones in ventriculum primum, mox in medullares Cerebri fibras inductæ organis guſtus, & odoratus communicentur, & cum papillæ linguæ, tum membranæ pituitariæ talem tonum, ac tenſionem habeant, ut motus,

(g) *loc. cit. p.* 98. (g) *lib.* 3. *cap.* 8. *p.* 99.

motus, qui inducitur a rebus abſurdis fit illis conſentaneus, ideoque jucundus, & ſuavis, e contra qui a rebus ſuavibus fit, diſſentaneus fit, aſper, & a ſenſibus alienus. Quæ cum ita ſint illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur a nimia humorum redundantia, præſertim vero ſanguinis, qui non tam prompte, & in ſufficienti quantitate in nutritionem fętus impenditur vaſa matris magis diſtendi, & ampliari, præcipue vero gaſtrica, hiſce vero nimium diſtentis fluida irregularibus, atque inordinatis motibus cieri, ſeparationes perverti, & alterari, præſertim vero ſucci gaſtrici, unde irritatis ipſius ventriculi fibris in motus convulſivos aguntur, quibus vomitus excitatur.

IV. *Sanguine vero, aut acriore ab eodem lympha ſecreta circa præcordia &c.*] Si hactenus dictas alterationes ſanguinis humorumque variis in locis contingere eadem de cauſa ſtatuamus, nihil fere negotii nobis faceſcet cæterorum omnium ſymptomatum, quæ in gravidis deprehenduntur, explicatio. Non cordis quidem palpitationis, quam aut ad nimiam ſanguinis plenitudinem referre apte poterimus, qua ſibimet ipſi liberum curſum, atque in auriculas, & ventriculos cordis ingreſſum præpedit, cum deficiente ejuſdem ſanguinis adverſus cordis impetum reſiſtentia, major ille fit, & pectus magis urgeat: aut cordis thalami vehementer diſtenduntur, relaxantur, atque tum ad contractionem præternaturalem, ſeu palpitationem proritantur. Id quod juvenibus etiam accidere ſanguineis adnotavit cl. Hoffmannus (*h*), qui pueruli largum e naribus cruorem fundere conſueverunt, aut qui ſolemnibus ſanguinis detractionibus adſueti eaſdem juſto tempore non repetunt, atque neglectui habent, unde recurrentibus plerunque palpitationibus obnoxii evadunt ſola venæ ſectione præcavendis, ut Zacuti Luſitani (*i*), Stalpartii Van Der Wiel (*k*) aliorumque obſervationibus compertum eſt. Quid ſi acrior lympha, ſtagnante circa præcordia ſanguine ſeparetur, atque cordis, ejuſque vaſorum fibras graviter vellicet, mordeat, extimulet? Palpitationem nimirum exoriri adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior fit nulla. Jam ſi vellicatio, morſus tantus ſit, ut ſanguinis motus intercipiatur Syncopes pręſto erit, vel in cor ipſum immediate efficiatur, vel mediate in uteri varie diſtenti, aut aliter male affecti fibras.

V. *Jam vomitibus longis, & diuturnis divexatæ Mulieres langueſcunt, eorumque ſtomachus cibis coquendis ineptus &c.*] Obſervatione dignum eſt adnotante cl. Mauriceau (*l*) alvi fluxum præſertim qui Lienteria dicitur vomitibus plerunque longis, ac diuturnis ſupervenire, aut depravato appetitui, quo res abſurdæ, & a cibi natura alienæ, ut ſupra dictum eſt, ingeruntur. Quod eſt argumentum non levis momenti, ventriculum aliaſque partes ciborum concoctioni, atque chylificationi inſervientes laxas adeo, atque infirmas evadere, ut ineptæ muneribus ſuis conſtituantur, hinc aut cibos a ſtomacho non ſubigi, aut in chylum impurum, crudum, ac corruptum abire, qui in inteſtina confluens acrimonia ſua inſigni ad contentorum expulſionem frequentius ſollicitat. Quæ ſi tanta ſit, ut vaſa ipſa ſanguifera erodantur, abradanturque variorum humorum una cum ſanguine diris cruciatibus comitatam excretionem ſupervenire debere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari. Ejuſcemodi fluxuum meminiſſe

Hh 2 videtur

(h) *M. S. T. 4. p. 4. pag.* 133. (i) *lib. 2. hiſt.* 39.
(k) *obſer. rarior. cent.* 1. *obſ.* 36. (l) *loc. cit. pag.* 115.

videtur Hippocrates, quo loco inquit (*m*): *Mulieri in utero gerenti ſi alvus plurimum profluat periculum eſt, ne abortiat:* Alibi vero inquiens (*n*): *Mulieri utero gerenti ſi tenſio ſupervenerit, facit abortum*. Teneſmum jam Dyſenteriæ terminum eſſe neminem latet. A graviditate autem repetendos eſſe vel ex eodem liquet Hippocrate memorante Epicarmii uxorem, quæ diuturno alvi fluxu affecta cito poſt partum feliciſſime convaluit. Hinc optime ab eodem adnotatum (*o*), Mulierem Dyſenteria laborantem ſi convalitura eſt ab ægritudine vel ipſo partus die, vel paulo poſt levari oportere. Eædem fere cum ſint & Schenkii (*p*), & Mauriceau obſervationes (*q*) nullus hac de re ambigendi locus relinquitur.

VI. *Superfluum ſanguinem in vaſis hæmorrhoidalibus ſubſiſtere ſi forte contingat, hæmorrhoides ſubſequentur &c.*] Hæmorrhoides a ſanguinis plenitudine ob menſtruorum ſuppreſſionem repetendas eſſe omnes fere Medici uno ore conſentiunt. Is enim eſt inter uterina, & hæmorrhoidalia vaſa conſenſus, ut pleræque Mulieres, quibus Menſes deficiunt, aut parcius quam par eſt, & inordinatim fluunt ſuperveniente periodico hæmorrhoidum fluxu ſanguine ab uteri vaſis illuc delato in perfectiſſimo valetudinis ſtatu conſiſtant. Quid mirum igitur ſi ſuppreſſo in utero gerentibus menſtruo fluxu, nec optime a ſuperfluitatibus, vitioſiſque ſordibus expurgato, in hæmorrhoidalibus vaſis ea ratione ſubſiſtat, quæ vel una ſatis valere poteſt ad hæmorrhoides ſive internas, ſive externas cum dolore, atque inflammatione conjunctas progignendas? His plurimum tribuit alvi ſtypticitas inſignis, qua gravidæ premi ſolent a nimium diſtenſis ipſorum inteſtinorum vaſis oriunda, quibus liber periſtalticus eorumdem motus impeditur, unde humorum homogeneorum confluentia non obtinetur, qua fit ut in niſu ejiciendi excrementa ſanguis ipſe in vaſorum extremitates violenter pellatur, earum extremitates tumeant, ibique hærente ſanguine inflammatio cum dolore conjuncta ſubſequatur, quæ hæmorrhoidum nomine venit.

VII. *Hæc præternaturalis diſtenſio ſi veſicæ vaſis accidat, mejendi difficultas quæ &c.*] Uterum inter rectum inteſtinum, & veſicam ſitum eſſe perſpicuum eſt: hinc petenda ratio mejendi difficultatis. Cum enim uterus fœtu intus contento diſtendatur, veſicæ collum primis præſertim Menſibus comprimi contingit, ideoque ejus capacitatem urina repleri, quæ cum diutius ibi detineatur, nonniſi ægre admodum, & magno cum dolore extra corpus ejici poteſt, quoniam ejus ſphincter hac ipſa compreſſione, cum non adeo prompte aperiatur, impedimento eſt, quominus urina facile elabatur, ut præ cæteris a laudato Mauriceau animadverſum. Quæ quamvis vere dicantur, nihil eſt tamen cur toties inculcata ſanguinis plenitudo ex cauſarum cenſu ejiciatur, per quam diſtenſis nimium vaſis ipſius veſicæ liber ſanguinis motus per eadem vaſa præpediatur, atque hinc mejendi difficultas a veſicæ inflammatione proficiſcatur.

VIII. *Abortus vero, qui inter primum, & ſeptimum Menſem contingit cauſa &c.*] Quid abortus nomine intelligendum ſit neminem latet, quandoquidem partus legitimus menſe poſt conceptionem nono ſolet contingere, ſolari ſcilicet, non lunari, ſeu poſt hebdomadas quadraginta: præmaturus Menſe ſeptimo, vel octavo qui vitalis eſt, quamvis Hippocrates id inficiaverit, abortus

(m) 5. *aph.* 34. (n) 7. *aph.* 27.
(o) *lib. prædict.* 2. (p) *lib.* 4. *obſ.* (q) *loc. cit.*

ortus demum ſi ante ſeptimum fœtus ejiciatur. Quoniam vero a conceptionis exordio ad ſeptimum uſque Menſem longum intercedit temporis ſpatium, quærendum reſtat, quo potiſſimum poſt conceptionem die abortus contingat. Id quod Hippocrates (r), & Ariſtoteles (ſ) docere viſi ſunt effluxionis nomine nuncupantes id quod in utero pro conceptione detentum intra ſeptimum diem ejicitur, quas apud publicas Meretrices frequenter obſervavit Hippocrates ipſe: quinimmo ſexta die in Fidicina ſaltibus ſollicitavit (t). Quare juremerito abortus ille dicendus, qui plerunque inter primum, & ſeptimum Menſem contingit. Quod enim Montuus viderit Pincernam Chriſtianiſſimi Galliarum Regis quinto Menſe natum bene vixiſſe: pariter puellam quinquemeſtrem Valeſius: Semeſtrem puerum Avicenas, aut raros caſus eſſe cum Raymundo Jo. Forti judicaverim, aut conceptionis exordio deceptos.

Nimia ſanguinis plenitudo, aut ejuſdem raritas nimia, & expanſio &c.] Ea igitur omnia quibus ante hoc tempus fetus excludi nititur erunt abortus cauſæ. Inter has eminet primum ea ſanguinis plenitudo, a qua prædictos omnes morbos exoriri demonſtravimus. Quemadmodum enim in non gravidis naturalis menſtrui fluxus cauſam plenitudinem eſſe diximus, quæ in feminis debitum incrementum adeptis major fit, quam naturæ ordo poſtulat, unde propter peculiarem uteri aliarumque partium conſtitutionem ad inferiores partes majore impetu, & velocitate defertur, cumque vaſa uteri offendat laxa, tortuoſa, parum munita eadem diſtendit, aperitque ea ratione, qua ſuperflui ſanguinis quantitas ejiciatur, hemorrhagiæ vero eamdem plenitudinem adeo inſignem, ut ipſa uteri vaſa difrumpantur, ſicque cruentæ excretionis occaſio nunquam deficiat (u), ita rationi conſonum videtur ſanguinem copioſiorem, quam in fetus nutritionem impenditur ad uteri vaſa facile deferri poſſe, & aut copioſa menſtrua purgatione, aut hæmorrhagia ſuperveniente una fetum elidere. Quod eſt diligenter notandum. Si enim de parca leviorique purgatione ſermo ſit non adeo conſtans res eſt, ut in dubium revocari non poſſit, cum plethoricæ mulieres licet gravidæ ad quartum, quintum, ſextum, ſeptimum uſque menſem, immo toto geſtationis tempore non modo eadem quandoque afficiantur, ut a viris cl. Roderico a Caſtro (x) Mauriceau (z) Meſnard (a) Dionis (b) Deventero (c) Stalpartio vander Wiel (d) Columbo (e) demonſtratum eſt, ſed quod magis intereſt nec ſui, nec fœtus noxa, ut Hollerius, Heurnius, Valeſius, de Gorter in illud Hippocratis (f): *Si prægnanti purgationes menſtruæ curſum ſuum teneant, fœtum bene valere eſt impoſſibile*, & ipſi ſupra citati Mauriceau, Dionis, nec non Graafius teſtati ſunt. Quamquam ſi in memoriam revocemus, quæ alibi a nobis dicta ſunt (g) apparebit, ne copioſam quidem menſtruam purgationem tanti eſſe faciendam, quanti vago paſſim rumore plerique Medicorum blaterant. Mulierem enim Solenandri memoravimus, quæ cum ad partum proxime accederet, immodico ſanguinis proflu-vio

(r) *De ſept. part.* 6. & 7. (ſ) *hiſt. anim.* 3. (t) *De natur. pueri*.
(u) *Cap.* 3. *com.* 2. (x) *De morb. mul. cap.* 11.
(z) *loc. cit. cap.* 20. (a) *cap.* 5. *art.* 10.
(b) *lib.* 2. *cap.* 12. (c) *De art. obſtetricand. p.* 1. *cap.* 33.
(d) *Obſ. cent.* 76. (e) *De format. fet. lib.* 12. *p.* 460.
(f) 5. *aph.* 60. (g) *lib.* 5. *cap.* 3. *com.* 5.

vio laborans ſanitati reſtituta eſt: & aliam Skenkii, quæ cum longo itinere per alpes curru ſuſcepto in enormem fluxum ſanguinis incidiſſet curata eſt, & alias a cl. viris relatas, quibus luce clarius apparet mulieres ſatis vegetas, & plethoricas immodicum, & diuturnum ſanguinis fluxum ferre poſſe, quin immaturum fœtum edant. Illud tamen ſedulo, & accurate hac in re cavendum traderem, ne rariorum obſervationum ſtudio fallamur, cum nil facilius ſit, quam ut ſanguis plus ęquo abundans concitato motu ad uteri vaſa delatus placentam avellat, qua avulſa abortum ſequi certo certius tenendum: hinc ſi nonnullas ſervatas eſſe hiſtoriæ tradunt, infiniti ſunt caſus, in quibus præ nimio ſanguinis fluxu ex utero fœtus una cum Matris vita periclitatur. Cum uteri hæmorrhagiam a ſanguinis raritate nimia, vel tenuitate, & fuſione, vel acrimonia oriri citato loco oſtenderimus, eadem vitia ſanguinis abortui quoque dictis de cauſis progignendo opportuniſſima exiſtere manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus queat demonſtrari.

Inanitas, quæ longa inedia, diuturna ciborum averſione, vomitibus contumacibus &c.] Inter ſterilitatis cauſas non poſtremum tenere locum materiæ defectum ad Embryonis conformationem, & incrementum neceſſariæ ſuperiori capite demonſtratum eſt. Hinc lactentes, aridas, & emaciatas rarius concipere, & Mulieres poſt largas humorum evacuationes infœcundas hac de cauſa evadere. Quid ſi concipiant Mulieres, fętui autem grandiori facto, ac liberali nutritione egenti neceſſarium alimentum ſubtrahatur? Jam abortum ſequi oportere notum omnibus eſt planeque perſpectum. Quæ cum dico nolim credas Hippocratis doctrinam ſequi (*h*) docentis partus naturalis cauſam eſſe alimenti inopiam, qua coactus fœtus vim facit, & extra uterum prodit, cum per hanc ſententiam obeſæ ſuccique plenæ Mulieres fœtum diutius geſtare, macilentæ vero gracileſque tardius parere deberent: immo gemelli, ac numeroſiores conceptus duplo citius, & ante eſſent excludendi, cum duplo citius, & antea alimentis opus haberent, quod obſervationi repugnat: ut ſilentio prætercam edito in lucem fœtu lac in mammis nullo diſcrimine comparere, quod certe minime contingeret, ſi fœtus alimenti neceſſitate partus tempore laboraret. Quænam ſint partus naturalis cauſæ non eſt hic decernendi locus. Id unum contendo alimenti inopiam ex cauſarum abortus cenſu ejiciendam non eſſe. Qua enim alia ratione aut modo abortum ſequi exiſtimemus in longa inedia, diuturna ciborum averſione, vomitibus contumacibus, tenui diæta in morbis acutis, inſignibus hæmorrhagiis narium, hæmorrhoidum uteri, liberaliori venæ ſectione, alvi fluxibus, aliiſque ejuſmodi evacuationibus, quibus ſummum ſit ſanguinis diſpendium, atque alibilium ſuccorum, niſi fœtui ſubtrahi alimentum dicamus? Hinc apte ab Hippocrate dictum, ut ſupra vidimus: *Mulieri in utero gerenti, ſi alvus plurimum profluat periculum eſt ne abortiat*. Quod quamvis multo facilius contingere egregie animadvertat Riverius, & cl. Mauriceau, ſi Teneſmus accedat, ſeu continua per alvum egerendi cupiditas cum dolore, atque acrium, & erodentium humorum irrita expulſione, quod jam ipſe Hippocrates indicavit alio loco: *Mulieri utero gerenti, ſi Teneſmus ſupervenìat, facit abortum*, cum tamen certum ſit in longis alvi fluoribus non ſolum illam materiam, quæ in ipſis inteſtinis, aut ad ſummum in eorum fiſtulis, & folliculis ad exitum paratior continetur evacuari, ſed & bilem, &

(h) *De nat. pueri*.

& ſuccum pancreaticum aliofque excrementitios non modo, ſed bonos ac laudabiles ſuccos, immo ipſum quandoque ſanguinem, fieri minus vix poſſe videtur, quin facta univerſali quadam evacuatione, puriorum, atque mitiorum egeſtas contingat, atque materia fœtui nutriendo opportuna ſubtrahatur, unde abortus. Id quod & de vomitibus eſt plane intelligendum, qui quamvis, ut ſupra vidimus, ab inverſo motu periſtaltico æſophagi, ventriculi, & ſæpe Duodeni, nec non Diaphragmatis, & Muſculorum Abdominis convulſiva contractione prodeuntes uterum valde ſuccutiant, comprimant, atque ea ratione afficiant, qua pondus tandem demittere ipſe cogatur, neceſſarium tamen fetui alimentum ſubtrahi, atque hinc præmature ex utero excludi certo certius tenendum.

Ea omnia, quibus Menſium fluxus cieri ſolet, aut Molæ expelli, purgantia &c.] Vid. cap. 2. n. 17. uſque 21., nec non cap. 8. n. 15. uſque 20.

Totius corporis gracilitas, mollior, laxiorque habitus, abortus quavis de cauſa prægreſſus.] Quamvis ea omnia, quibus Menſium fluxus cieri ſolet, purgantia emmenagoga, crocata, myrrhata, aloetica, nec non longam inediam, vomitus, diarrhœas, repetitas venæ ſectiones, aliaque id genus abortum progignere dictum ſit, ſi tamen Mulier robuſta ſit, & minus ſenſibilis prædictis cum medicamentis, tum morbis vexari diutius poteſt ſalvo nihilominus, & vivaci ſatis prodeunte fœtu. Quare quod ait Hippocrates ſupra allatis aphoriſmis: *Mulierem utero gerentem, ſi alvus multum fluat &c. Mulieri utero gerenti ſi Teneſmus ſuperveniat &c.* aut quod alibi affirmat (*i*) abortum ſive medicamento, ſive potione, vel cibo, vel alia re quapiam contingere quandoque fallere adnotavit Hoffmannus (*k*) certiſſimis obſervationibus edoctus, quibus gravidas quaſdam vehementibus acutis febribus, nec non variolis, morbillis, diarrhœis, immo dyſenteriis laborantes deprehendit, quæ tamen fœtum in utero vivum ſalvumque retinuerunt: quaſdam quæ thermopotatione nulla fœtus noxa gravitatis ignaræ feliciſſime ſuſtinuerunt, alias demum, quæ utero gerentes per acclivia, & declivia loca per dies noctefque itinera ſalvo fœtu ſuſceperunt. Hiſce ſi addantur aliæ a cl. Guarenonio præ cæteris inſtitutæ (*l*), qui multas ſe utero gerentes vidiſſe affirmat fortiſſimis medicamentis, ac multis venæ ſectionibus cruciatas nullo ſubſequente abortu: a Platero (*m*), idem de Mulieribus diarrhœa laborantibus narrante, a Zacuto Luſitano (*n*) de fortiorum purgantium uſu, de repetitis venæ ſectionibus, longa inedia, peſſariis pertractatas, aliiſque de adhibitis oleis deſtillatis Juniperi (*o*) Sabinæ, ſuccini, mirrhatis, crocatis, aloeticis, (*p*) de ipſa Mercuriali ſalivatione ſalva vita fœtus uſque ad naturalis partus tempus differentibus, nullus hac de re ambigendi locus relinquitur. Quid ego nobilem Mulierem commemorem nuptam quidem, ſed quæ marito a tribus annis copiam ſui corporis non fecerat, quippe alterius viri libidine accenſa eum ſpreverat, quæque ſimul ac Menſtrui ſanguinis ſuppreſſione, & ex aliis ſignis conjecit ſe gravidam eſſe,

(i) *Lib. de Morb. Mul.*
(k) *M. S. T.* 4. *p.* 4. *cap.* 9. 5. 6.
(l) *Conſul.* 636. (m) *Prax. p.* 113.
(n) *In prax. admir. obſ.* 43. 44.
(o) *Albrechtus ib. an.* 8. *obſ.* 165.
(p) *Barthol, ibi. an.* 1. *obſ.* 52.

eſſe, timens, ne ſi vir adulterium agnoſceret nefandæ turpitudinis cauſa morti damnaretur, abortum omnibus modis procuravit, ſed fruſtra: fruſtra iis, quæ paſſim in feminarum cętu uſurpantur, quæ Cęlo terras miſcere ſolent, & naturalibus ſuperſtitioſa, fruſtra iis, quæ a Medicis, Chirurgis, & circulatoribus proponuntur. Viam omnem fruſtra tentavit, peſſaria fruſtra adhibuit, nodulos, ſpongias variis ſuccis imbutas: ſuffumigia ex aqua calcis vivæ, urina pueri, ſpiritu ſalis armoniaci, ſale armoniaco ipſo, & calce, pulvere ſabinæ, ariſtolochiæ, ſublimato corroſivo, arſenico albo, auripigmento, litargyrio, aliiſque id genus parata. Opium magna doſi ſub forma globi intruſum in vaginam experta eſt; injectiones ex ſolutione ſublimati corroſivi cum diagrydio, croco metallorum, pulpa colocynthidos, & pulvere Euphorbio: purgationem paſſa eſt cum aloe, myrrha, borace minerali, caſtoreo, aſſa fętida, euphorbio, colocynthide, cantharidibus: vomitum ex radice Ipecuacanhæ, tartaro emetico, antimonio hyacintino, mercurio vitæ: ſternutationem ex pyretro, pipere, radice hellebori albi, feminibus ſaſſiphragiæ: opium ſumpſit, tincturam croci, oleum nucis myriſticæ & expreſſum, & deſtillatum: oleum deſtillatum ſerpilli, Origani cretici, Cinnamomi, ſed omnia in caſſum, ita ut Mulier a Medicamentorum actione, animi pathemate, inedia, vigiliis diutius per bimeſtre ſpatium vexata morti eſset quamproxima. Ex quibus appareret optime a cl. Mauriceau dictum (q) Mulieres, quæ aut ſuæ turpitudinis celandæ cauſa, aut ventris rugas cavendi, ut ait poſtea: *Scilicet ut careat rugarum crimine venter*, abortum procurant, in eam ſæpe necem incidere, quam peſſimo conſilio fœtui, quem gerunt, inferre cunctis viribus, omnique animi contentione nituntur: unde æquiſſimum eſt

Necis artifices arte perire ſua.

Quam in rem aptiſſime quoque cadit, quod olim Ovidius cecinit.

Quæ prima inſtituit teneros avellere fętus,
Malitia fuerat digna perire ſua:

& paulo poſt

Hæc neque in Armeniis Tigres fecere latebris:
Perdere nec fœtus auſa leæna ſuos.
Ac teneræ faciunt, ſed non impune puellæ:
Sæpe ſuos utero quæ necat, ipſa perit.

Quibus ſic conſtitutis illud colligi poſſe videtur, medicamenta quævis omnia, quibus abortum cieri vulgo perhibetur, ſummæ eſſe virtutis ſi totius corporis gracilitas adſit, de qua loquens Hippocrates ait (r): *Quæ præter naturam tenues utero gerunt, abortiunt, donec habitiores evaſerint.* Ac jure merito Frid. Hoffmannus (ſ) feminas ſubtilioris corporis habitus, naturæ imbecillioris, ac ſenſibilioris, pathematibus hyſtericis obnoxias longe ad abortum faciliores, ac opportuniores eſſe, quam feminas muſculoſas duriori fibrarum compage donatas; robuſtiores, plebejas arbitratus eſt. Iſtæ enim valide obſiſtunt, & cujuſvis rei vim facile eludunt, niſi ad abortiendum quædam adſit diſpoſitio, quam vel ad nativam fibrarum uteri debilitatem, ut Matres, quæ frequenter abortiverunt, filias generent ad idem vitium proclives, vel etiam ad abortiendi conſuetudinem, qua feminæ, quæ

(q) *l. c. pag.* 145.
(r) 5. *aph.* 44. (ſ) *l. c. ſect.* 8.

quæ ſemel vel bis abortum paſſæ ſunt crebrius in id malum incidant, idque non raro eodem tempore, ut laudatus Hoffmannus exiſtimat, vel ad peculiare aliquod uteri, aut fœtus vitium, quo ad ultimum geſtationis terminum ferri non poteſt, aptiſſime referas.

Uterus qui ſatis amplus, & capax non ſit, aut inflammatione affectus.] Quid enim ſi uterus ſatis amplus non ſit, & capax, ut dilatari ſufficienter non poſſit pro fœtus incremento? Id clare Hippocrates demonſtravit inquiens: *Mulier ſi quæ concipiat quidem, & frequenter, ſed fœtus bimeſtres, trimeſtres, aut quadrimeſtres, & vetuſtiores ſtato tempore ſemper, & certo excutit, illud eſt referendum ad uteri anguſtiam, quæ augeſcentem fœtum amplius continere non poteſt.* Unde juremerito cl. Jo. Fortis Ariſtotelem, & Rhaſim carpit, qui voluerunt uteri anguſtiam fœtus tantum magnitudinem impedire, non vero abortus cauſam eſſe, quam non modo vere eſſe, ſed ex doloribus quoque extenſivis juxta Mercurialem eamdem dignoſci conſtituit. Quid ſi uterus inflammatione corripiatur, aut tumore aliquo ſcirrhoſo, aut abſceſſu laboret, aut molam geſtet, aut aliis morbis affectus ſit, quos ſuperiori capite in ſterilitatis cauſis curioſius perquirendis percenſendo numeravimus, & explicuimus dicendo? Laxitatem, humiditatemque majorem, quam fœtui continendo ſufficiat ſpeciatim animadvertit Hippocrates ipſe inquiens (x) *Quæ vero mediocriter corpulentæ abortum faciunt ſecundo Menſe, aut tertio ſine occaſione manifeſta, iis acetabula uteri mucoris ſunt plena, nec præ pondere fetum continere poſſunt, ſed abrumpuntur.* Huic vero vitio pituitoſas Mulieres, quæque fluore albo inſigni laborant, ut aſſiduo humorum affluxu interna uteri ſubſtantia humeſcat, lubricetur, atque ea ratione lævis reddatur, qua placenta ibi firmiter adhærere non poſſit, obnoxias eſſe notavit egregie cl. Mauriceau, atque hinc uterum una cum interno orificio ſic relaxari, ut minima quacumque de cauſa abortus ſequatur, tradidit.

Omenti craſſities inſignis, aut duriorum, quæque ferro armantur veſtimentorum compreſſio.] Etiamſi uterus nullo aut naturali vitio laboret, aut morbo, ineptus tamen conſtituitur, ſi Mauriceau audimus, omenti, aut duriorum, quæque ferris armantur veſtimentorum compreſſione, quam aut graviditatis celandæ cauſa, aut vitæ elegantiæ ſtudio Mulieres ſibi comparant, quaque fit ut dilatari ea ratione non poſſit, qua opus eſt ad fœtum una cum placenta, & aquis continendum. Quamvis enim placenta teſtante Derelincurtio (z) non adeo inſignis molis ſit, ut ad ultimum geſtationis terminum adacta majoris ſit Diametri, quam octo circiter mathematicorum pollicum, ut ex Hobokenio conſtat apud Hallerum (a), ideoque nec totum uteri fundum occupet, ut viri cl. Dionis (b), Graafius (c), Jo. Heurnius (d) ac Boerhaavius (e) opinati ſunt, menſtruum ſanguinis fluxum in gravidis ex uteri fundo repetentes, atque Mauriceau hac in parte contrarii, quamvis etiam exempla non deſint exiguæ humoris copiæ, ruptis membranis, quæ fœtus involvunt, & ex utero effluentis, hæc omnia ta-

Ii men

(x) 5. *aph.* 4. 5.
(z) *De concept. par.* 2. *perioch.* 36.
(a) *Com. in Boer. p.* 142. (b) *liv.* 2. *chap.* 12.
(c) *De Mul. org. cap.* 4. (d) *Com. in aph.* 60.
(e) *Apud Haller. tex.* 676.

men una cum fœtu ſatis commode in utero contineri non poſſe, quotieſcumque aut omento, aut alia indicata ratione compreſſus ſit manifeſta res eſt. Quid ni liceat conjectari aquæ modico innatante fœtu ab ejuſdem motu uteri membranas facilius lædi, irritari, aut alia ratione affici, quæ vel una ſatis valere poteſt ad dolores, atque abortum concitandum? Id quod & de externis injuriis eſt plane ſentiendum, quæ hac eadem de cauſa præcaveri difficilius poſſunt, unde vel levi compreſſione, vel contuſione abortus efficitur.

Grandiores fetus, monſtroſi, contra naturæ ordinem poſiti, aut numero plures.] Quid ſi grandiores ſint fœtus, quam utero propter molem contineri non poſſint? Quid ſi monſtroſi ſint, aut contra naturæ ordinem poſiti, aut numero plures gemelli, tergemini &c? De fœtibus quidem grandioribus eadem ratio, quæ de utero plus æquo anguſto, de quo ſupra juxta Hippocratem loquuti ſumus: unde aptiſſime notat Riverius (*f*) parvas Mulieres hac de cauſa abortum pati, præſertim ſi viris grandioribus jungantur, quorum ſoboles magnum incrementum ſumit: Monſtroſos fœtus naturæ ordinem nequaquam ſequi. Cum vero ſitum naturali contrarium occupant ita torqueri, ut uterum ad expulſionem ſollicitent oſtendit Mauriceau (*g*). Si duo, tres, vel plures fœtus in utero contineantur, nimia ſarcina eumdem gravari, atque illos præmature excludere tam nota res eſt, quam quæ notiſſima. Neque vero putetis iſtarum rerum vel antiquiſſima exempla deſiderari, cum Ariſtoteles Mulierem quamdam memoret (*h*), quæ puerpera viginti filios edidit, quinque quolibet partu ejiciens, quorum plerique ad adoleſcentiam uſque pervenere. Plinius vero (*i*) aut plane eamdem, aut ſimilem tradit hiſtoriam, atque alias addit trium Horatiorum, triumque Curatiorum, atque illam cujuſdam Mulieris Fauſtæ nomine cognominatam, quæ uno partu quatuor filios in lucem emiſit; ſubdens præterea Trogi ſententia Mulieres quaſdam in Ægypto reperiri, quæ natos uſque ſeptem emittunt. Hæc aut audientes, aut legentes nonnulli ſi forte mirentur, an fidem ſint habituri narranti alibi (*k*) de quadam Muliere, quæ duodecim uſque peperit, aut Albucaſi (*l*) affirmanti quatuor, quandoque quinque, ſex, ſeptem, quandoque etiam plures quam decem fœtus in utero efformari, viderint alii. Minus tamen miraturos eos facile conjicio, ubi in hiſtorias ab eodem allatas inciderint Mulieris cujuſdam (quod ad rem noſtram facere potiſſimum videtur), quæ ſeptem, alterius vero, quæ quinque numeris omnibus abſolutos fœtus præmature ejecit. Singularem illam, ſeu prorſus ſtupendam hiſtoriam, quam affert Skenkius, cujuſque meminit Mauriceau (*n*) de nobili quadam Muliere, quæ trecentum quinquaginta filios una vice edidit, aut ad anilem fabulam, aut ad miraculum ejuſdem teſtimonio referendam, earum tantum ſollicitus, quæ nobis obviæ ſunt, & nuperrimis temporibus viſæ prætermitto. Gemellos enim noſtrates ſæpe ſæpius parere notum omnibus eſt, planeque perſpectum. Cæterum tres ipſe fœtus Mulierem peperiſſe novi, at adeo tenues, parvos, debileſque, ut vix nati perierint. Quatuor quoque ſe vidiſſe laudatus Mauriceau teſtatus eſt.

Quid

(f) *l. c. cap.* 17. (g) *l. c. p.* 143.
(h) *lib.* 7. *hiſt. animant. cap.* 1. (i) *hiſt. nat. cap.* 3.
(k) *cap.* 11.
(l) *lib.* 2. *meth. cap.* 75. (n) *l. c. p.* 81.

Quid opus eſt igitur ea in re diutius morari, quam cum veram eſſe ratio evincit, tum obſervationes multæ conſtanteſque confimant?

Vel per ſuperfętationem, ſi datur, concepti.] Quid ſi plures per ſuperfœtationem in utero contineantur? Quo loco quæſtio occurrit inter Medicos. Quæſtionis momentum facilius innoteſcet, ſi ſuperfœtationis naturam prius expoſuero. Superfœtatio igitur tunc fieri dicitur, cum Mulier, quæ jam concepit, & gravida eſt, novam repetito congreſſu conceptionem ſubit. Qua de re non pauci in ſuſpicionem venerunt, nec ad credendum adduci facile potuerunt, fętus, quos numero plures ex utero excluſos tradunt hiſtoriæ pluribus diverſiſque copulis conceptos fuiſſe. Eos ſic conjicientes cum primum omnium obſervationes admonuerint, quibus deprehenderunt canes feminas, feles, ſues, conyllos plures natos edere, licet ſemel tantum ejuſdem ſpeciei maſculo cohabitaverint, cur ſuperfœtationem fieri nullo modo poſſe contendant, hæ quoque rationes excitarunt. Primum ſimul ac Mulier concepit, uterum ita comprimi, atque exacte adeo occludi, ut virile ſemen ſeſe pro novo conceptu inſinuare non poſſit, altiuſque eum penetrare extra omnem dubitationis aleam poſitum exiſtimarunt. Deinceps gravida cum ſit Mulier, ſemen ad generationem æque neceſſarium per vas in interni orificii extremitatem deſinens, quod in vaginam, non in uteri fundum diſpergitur, quemadmodum ad ſuperfœtationem opus eſt ejicere autumarunt. Nemo illorum eſt, qui aliquid operæ in Medicis ſtudiis poſuerit, quin plane intelligat, quam difficile ſæpe ſit contra præceptum aliquod, quod cum obſervationibus tum firmis, validiſque rationum momentis ſuffultum eſt diſputare; Verumtamen qui ea dixerint, quæ perpetuo non contingunt, naturæ tamen ſtudium efficit, ut aliquando contingant, ii ſane de litteris bene mereri cenſendi ſunt, cum ex hoc difficultatum momento ſuo ſtudio, ac diligentia aliquid detrahere queant. Atque ii quidem licet inficias ire non auſint gravida exiſtente Muliere ſeu a primo conceptu os uteri perfectiſſime occluſum eſſe, atque tunc temporis quoque ſemen a-lia directione ejicere, haud propterea tamen conceſſerint id adeo firmum, & conſtans eſſe, ut aliquando fallax non ſit, ac tum potiſſimum, cum uterus feroſarum, mucoſarumque ſordium ſarcina gravatur, quibus hærentibus ea triſti ſenſatione afficitur, qua opus eſt ad earum expulſionem extra ſui confinia ſollicitandam, præcipue vero ſalax eadem cum ſit viro ſuo frequenter concumbit, ac magnam in coitu voluptatem percipit, qua ſit, ut hient quandoque ductus, ac meatus, qui ſemen in uteri fundum emittunt, tum vero ipſum uteri os exagitati, ferventiſque ſeminis vi, atque impetu dilatatum, atque eodem ipſo momento virili ſemine ejaculato nova conceptio contingat, quæ ſuperfœtationis nomine venit, ut fere Jo. Fortis (o), & Mauriceau (p) aliique opinati ſunt. Quid quod hæc eadem adhuc facilius in noſtra ſententia contingat, in qua nulla adeſt Muliebris ſeminis neceſſitas, ideoque ſuppoſitionibus opus non ſit de hiantibus ductibus illis, meatiburſque muliebre ſemen in uteri fundum derivantibus, ſed ſolo aperto uteri orificio, ac virilis ſeminis ejaculatione, quod ovum muliebre offendens novam ejuſdem fœcundationi, atque propterea ſuperfœtationi materiam præbeat? Quam quidem uxori Gorgiæ in Lariſſa contigiſſe teſtatus eſt Hippo-

Ii 2 crates

(o) *De Mul. mor. p.* 127.

(p) *l. c. p.* 83.

crates ipſe (*q*) atque Ariſtoteles admiſit (*r*) narrans Herculem, & Iphiclem fabuloſe uno partu natos, & apud Plautum notam eſſe conſtat Amphytrionis fabulam, ut Plinium ſilentio prætercam de Proconeſia ancilla narrantem (*ſ*), quæ cum una die duobus viris concubuerit duos filios peperit, alterum quidem hero, alterum procuratori ſimilem; ac de altera quæ poſtquam fœtum opportuno tempore emiſit, duobus poſt Menſibus alium emiſit: ac de alia demum, quæ cum ſeptem Menſium abortum paſſa fuerit, duobus pariter poſt Menſibus duos gemellos peperit, ut in Ariſtotelis monumentis verſanti apparere facile poteſt, a quo Plinium omnia hæc exempla de verbo ad verbum decerpſiſſe cl. Mauriceau animadvertit. Rarum tamen caſum eſſe ſuperfœtationem omnium Medicorum conſenſu ſtatutum eſt. Immo ſi laudatum Mauriceau audimus, quotieſcumque Mulier uno partu plures fœtus excludit ſuperfœtationem ſubſequutam fuiſſe haud intuto pronuntiandum eſſe exiſtimat; quemadmodum etiam nec omni conceptionis tempore, etiamſi fiat, nec priore ſcilicet, nec altero ejuſdem die, ſed ſolum poſt ſeptimum ad trigeſimum uſque fœtu jam augeſcente, ſuiſque membranis involuto. Jam ſi de loco, in quo fieri poſſit ſermo ſit, cum trigeſimum poſt diem totum uteri ſpatium a fœtu in dies ſingulos grandeſcente occupetur, nullum non modo novo ingreſſuro ſemini relinqui ad credendum vehementer adducitur, ſed nec detineri ipſum poſſe, nec præpediri ullo modo, ne foras elabatur conjicit, quod eſt eidem argumentum validiſſimum nullam dari ſuperfœtationem. Verum haſce difficultates longe graviſſimas aptiſſime declinaſſe videtur cl. Jo. Fortis ſupra cit., qui non in medio uteri, ut docuit Hippocrates (*t*) ſecundum conceptum fieri oſtendit, ſed in alterutro cornu, namque ſi in medio, a primo, veterique exeunte fœtu procul dubio alter expelleretur. Sed ſi ad ſigna attendamus, quibus gemellos fœtus dignoſci poſſe tradunt Scriptores magni, & docti ab iis, qui per ſuperfœtationem ingeniti creduntur, lis omnis, ac quæſtio per ſe corruet. Hæc autem tradidiſſe viſus eſt primus omnium Hippocrates (*u*) inquiens: *Quæ gemellos geſtat, eadem die parit, veltut concipit.* Cui tamen rei minus acquieſcit cl. Mauriceau, cum res quandoque ſecus habeat. Quid enim ſi qui per ſuperfœtationem increvit, priore exeunte immaturus ejiciatur? Quare eadem & craſſitie, & magnitudine, & una communique placenta, nec ulla a ſe invicem ſeparatione facta, quam eorum membranis, quibus una cum aquis quiſque involvitur, gemellos dignoſci facile conſtituit; cum per ſuperfœtationem ingenitos eorum quidem membranis, ſed & placentis, cum ſuam quiſque habeat disjunctos eſſe contendat: hoſce valde exiguos, ac debiles edi, illos cum majorem nutritii ſucci partem hauſerint, grandiores, vegetioreſque. Quarum quidem rerum hiſtorias varias collegit cl. Jo. Fortis, & contemplandas curioſis exhibuit: Nicoli ſcilicet referentis feminam quamdam peperiſſe maſculum, & pluribus poſt Menſibus alium, amboſque vegetos vixiſſe: & Dodonæi narrantis aliam Mulierem peperiſſe mature filium, & poſtridie alterum quadrimeſtrem; & Rouſetti ſcribentis Mulierem quamdam tres filios ſimul geſtaſſe, quorum unum peperit

circa

(q) 5. *epid.* 5. (r) *hiſt. anim.*
(ſ) *lib.* 7. *hiſt. nat. cap.* 11.
(t) *De ſuperfœtat.*
(u) *De ſuperfœt.*

circa quintum Menſem, alios duos poſt octavum: & Bauhini aliam memorantis, quæ puellam feliciter peperit, ceſſante vero puerperio alterum filium: Saxoniæ demum de nobili Muliere loquentis, quæ perfectum filium nono Menſe peperit, octo vero poſt dies alium non ita perfectum, & quindecim diebus poſt duos alios. Quæ ſane omnia ad trutinam, ut ajunt, diligenter revocata. Ariſtotelis ſententiam plurimum confirmare videntur propriam, & adæquatam ſuperfœtationis cauſam aſſignantis his verbis: *Sicut ex uno coitu plures infantes, ita ex diverſis congreſſibus plures fetus*, quidquid de allatis ſignis ſuſpicetur cl. Mauriceu ſua illa obſervatione de Muliere quadam, cui filiam per pedes, quibus utero appoſita fuerat extraxit, per placentam vero paulo poſt mortuum fetum, qui exigua corporis mole dimidiam illius partem æquabat, vix ut quinquemeſtris videretur, licet tamen ambo uno coitu fuerint ingenerati, ut ex communi placenta ſatis certo colligi poſſe apparebat. Difficultatem enim ipſe omnem ſuſtuliſſe videtur ex varia fetuum magnitudine deſumptam, quamvis gemelli fuerint, mortui jam membranæ ſectione inſtituta, in qua corruptum eumdem deprehendit, inditio manifeſtiſſimo antea infirmum factum, poſtea mortuum, multo minus nutritum, ac parvum reſtitiſſe, cum alter totam nutritionis materiam abſumens, ac longius vitam protrahens duplo plus increvit. Cæterum qua ratione explicari queant allatæ a Jo. Forti obſervationes, omnino non aſſequor. Illud interim inficiari neminem poſſe crediderim vel gemelli fuerint plures fetus, vel per ſuperfœtationem ingeniti, arduum fore, ut omnes maturo tempore ejiciantur, atque ut uno exeunte, alter quoque non expellatur.

Varia funiculi ad fetus collum circumplicatio &c.] Ratione fetus, qui funiculum habeat collum circa aliaſque partes vinctum, abortum ſequi oportere docere viſus eſt Mauriceau (x), quandoquidem ita impeditum movere ſe nullatenus poſſe, quin placentam ea ſui parte, qua adhæret trahat eodem tempore, atque eamdem ab utero avellat, unde hemorrhagiam, atque abortum exoriri omnium Medicorum conſenſu ſtatutum eſt, haud dubie affirmat. Huic tamen minime acquieſcit cl. Dionis (z) exiſtimans irretiri hac ratione fœtum non poſſe, niſi nono gravidationis Menſe, ſeu tunc cum capitis vertice ad uteri os internum, & facie ad Matris os Cocygis obverſo exitum quærit, placentam vero quocumque tempore avelli poſſe ſubdens, præterea etiamſi fetus collum funiculo irretitum eſſe contingat (ut revera quandoque deprehenſum eſt) funiculum diſrumpi oportere, immo eodem deducto ipſam placentam avelli ea prorſus ratione, qua in partubus naturalibus minus peritæ obſtetrices funiculum vi trahendo ipſum priuſquam placenta avellatur, diſrumpunt. Quod potiſſimum noſtram ſententiam confirmat, cum in placentæ avulſione præcipuam abortus cauſam agnoſcamus, preſertim ſi eadem minus firmiter uteri parietibus adhæreat, ut ſæpe obſervaſſe ſe cl. viri de la Mothe (a) & Hallerus (b) teſtati ſunt: ut mittam quod ab eodem la Mothe demonſtratum eſt (c) præciſum videlicet tempus κυβιστήσεως Italis capitombolo, non ſecus ac fixum fœtus ſitum in utero per-

peram

(x) *Lib.* 1. *cap.* 21. (z) *Liv.* 2. *chap.* 2. *p.* 161.
(a) *l. c. ob.* 90. *p. m.* 155.
(b) *l. c. com. in Boerh.*
(c) *l. c.*

peram ſtatutum eſſe : ideoque ſi forte fœtum ante partus naturalis tempus ſemel, bis, aut ſæpius pro variis funiculi circa ipſius partes circumgyrationes volvi in caput (quod tamen cl. la Mothe minus probatur) contingat, injuria factum eſſe, ut Dionis Mauriceau ſententiæ adverſetur cl. Paſta egregie animadvertit. Neque vero rationibus hiſce abeſt, quod cum aliorum præſtantiſſimorum virorum obſervationibus minime reſpondeant. Primus omnium Hippocrates (*d*): *umbilici*, inquit, *jam ſæpe circa colla implicati conſpecti ſunt*. Implicari autem ob pueri converſiones Hippocratis mentem explicans notavit cl. Zuvingerus (*e*), quia cum circumagatur funiculus umbilicalis in utero, dum puer volvitur, ideoque ſæpius evenit cervicem, aut jugulum ab eo vel quadruplici interdum gyro, ut Hobokenius exemplo didicit (*f*) intercipi, & irretiri. Plura rerum exempla apud Bauhinum extant (*g*) Rodericum a Caſtro (*h*) Bartholinum (*i*) Hildanum (k) Bonchium aliosque illuſtres viros, quorum vel numerus integrum volumen impleret. Sicuti vero implicationibus anſam dat antedicta funiculi productioris longitudo, & pueri converſio, ita converſionibus ſtimulos admovet percuſſio ventris, aut caſus, labor moleſtus & operoſus matris, curæ animi graviores aliæque externæ cauſæ, de quibus agendum.

Percuſſio ventris, aut caſus in terram &c.] Percuſſiones ventris, ac caſus abortum maxime promovere, quod violenter concutiant, ac fœtum contundant Riverius ipſe teſtatus eſt (*l*). Concuſſus, aut contuſus fœtus præterquamquod ea ratione converti poteſt, qua funiculum umbilicalem collo ſibi circumvolvat, & dictis de cauſis abortum cieat, accedit præterea placentam ipſam avelli poſſe, quæ ſi Derelincurtium (*m*) audimus acynis ſuis in internæ uteri partis poros inoſculatur, aut vaſa ipſa, quibus membrana Chorion juxta Hallerum (*o*) placentæ loco cum utero firmiter cohæret ſic dilatari, ut ſanguis magna vi, atque impetu illuc delatus eadem diſrumpat, atque hinc hæmorrhagia abortui anſam datura ſubſequatur.

Labor moleſtus, & operoſus Matris, præſertim inſolitus, violenta exercitia &c.] Animadverſione dignum eſt, quod tradit Vincentius Alſarius. Crucius (*p*) Medicus doctrina, atque experientia clarus, ſe ruſticam quandam Mulierem, quæ poſtquam duas gemellas feminas uno partu ediderit, eæque fimo coopertæ, ac mortuæ inventæ ſunt, de infantum nece accuſata fuit, ab necis crimine defendiſſe ſola ipſius confeſſione, clamoreque eas mortuas peperiſſe, neciſque cauſam ad inſolitum texendi laborem, quem ſuſtentandæ vitæ commodo ſuſceperat, referendam. Qui labor quamvis nullius fere momenti videatur in ruſtica Muliere juveni, ac vehementioribus exercitiis aſſueta, ut ſupra vidimus, quia tamen inſolitus pro ſufficienti non natura-lis

(d) *lib. de part. octimeſtr.*
(e) *In not. ſup. Hippocra. apud Foeſſ. pag.* 319.
(f) *le ſecundin. hum. apud Michel. Albert. diſſert.*
(g) *In epiſt. ad Hildan. cent.* 2. *obſ.* 50.
(h) *Exercit. medic.* 21. (i) *Anat. reform. lib. cap.* 37.
(k) *Cent.* 4. *obſ. chir.* 57. (l) *l. c. cap.* 18.
(m) *Diſſert. de renunt. vult.*
(n) *De concept. perioche* 37.
(o) *l. c. n.* 88.
(p) *De quæſit. per epiſt. cent.* 1. *cap.* 15. *p.* 167.

lis eventus cauſa, ut eadem aſſerebat, a cl. viro fuit habitus, haud eorum ignaro, quæ docuit Hippocrates (*q*) : *Qui conſueti ſunt ſolitos labores ferre, etſi fuerint imbecilles, & ſenes non conſuetis fortibus, atque juvenibus facilius ferunt*: neque eorum indocto, quæ alibi ſcripſit (*r*) : *Exercitata corpora ab inſuetis laboribus delaxari*. Adeo verum eſt laborem moleſtum, & operoſum Matris abortui producendo opportuniſſimum exiſtere. Graves ob labores, ac violenta exercitia uteri hæmorrhagias excitari ſi conſtet, quemadmodum cl. Stahlius (*ſ*) arbitratus eſt, jam confecta res erit: cum in hiſce placentam avelli ſupra a nobis ſit demonſtratum, & abortum ſequi oportere luce clarius apparet. Cur autem non conſtet, ſi augeri impetum ſanguinis ſupra uteri arteriarum reſiſtentiam contingat, ut præ ceteris a cl. Hallero oſtenſum eſt (*t*)? Hinc eaſdem diſrumpi, aut in earum extremitatibus dilatari cenſendum. Aucto enim ſanguinis impetu vaſorum latera intumeſcere, ita ut fibræ a ſe invicem magis diſtrahantur; quo vero rarior ſit fibrarum textura eo facilius vi illatas cedere cl. Freindius demonſtravit (*u*). Eidem fundamento inniti abortum, qui per frequentem, & immoderatum coitum excitatur adnotavit] Hoffmannus (*x*). Ejuſce mentionem fecit Gulielmus Fabritius (*z*) ac præcipue Menſibus extremis cauſam aſſignavit Mauriceau (*a*) aſſerens tunc temporis inſigniter diſtendi uterum, deſcendere, atque internum orificium prolabi, hinc ab erecta mentula violentius impelli, ac propterea citius quandoque, quam opus ſit recludi. Quæ quamvis perbelle ſint dicta, non defuit tamen cl. Freindius, qui rem aliter explicaret (*b*). A coitu vaſa uterina, cæteraſque corporis partes turgere, atque incaleſcere tradens, atque ſi immodicus fuerit immodicum etiam ſanguinis fluxum excitare, *uti experiuntur prægnantes, quæ ea ſæpe de cauſa abortiunt*. Hinc apte Rhaſis (*c*) gravidam Mulierem a coitu omnino removeri oportere tradidit: *nam multoties abortus cauſa exiſtit*.

Saltus, ſuſpiria vehementia cum brachiorum elevatione.] Mulieres ob ſaltus abortui obnoxias eſſe Hippocrates olim docuit, atque ejuſce rei quidem celebre exemplum attulit (*d*) in gravida quadam cantrice, quæ parum ſaliendo immaturum fetum dejecit. Quod & Langius ipſe (*e*) ac Ramazzinus (*f*) ſic confirmarunt, ut nullus reſtet ſuſpicandi locus. Quid quod inter abortus cauſas ipſa ſuſpiria ex imo pectoris cum moleſtia, ac dolore emiſſa Hippocrates recenſeat? En quod ait (*g*) : Abortum faciunt in utero gerentibus ſpiritus, qui cum ſuſpiriis extra feruntur (*h*) *Mulieres, quæ ſuſpirioſum afferunt ſpiritum abortiunt*. Hinc optime dictum a cl. Tozzi (*i*): Ultimis

(q) 2. *aph.* 29. (r) *de dieta*.
(ſ) *Doctr. pathol. p.* 2. *art.* 7. *de uteri hæmor. p. m.* 776.
(t) *l. c. n.* 88. (u) *Em. cap.* 5.
(x) *l. c. ſect.* 13. *p.* 239.
(z) *Cent.* 2. *obſ.* 80. (a) *l. c. p.* 142.
(b) *l. c. cap.* 9. *p. m.* 174.
(c) *lib.* 4. *cap.* 27. *p. m.* 108.
(d) *de natur. pueri*.
(e) *Op. pract. p.* 3. *diſp.* 17. *de hæmorrhag.*
(f) *De morb. artif. cap.* 38. *op. t.* 1.
(g) *Coac. prædict.* 2. *p.* 203. (h) *l. c.*
(i) *in aph.* 31. *lib.* 2.

mis Menſibus quamvis etiam vel levem commotionem abortum facere. Quid quod ob vaſa umbilicalia aliquando diſrupta, ubi Mater brachiis ſurſum elevatis nimium ſe extendit, abortus ſequatur? Divelli nimirum, & dividi umbilicalem funiculum peritiſſimi viri fatentur, ut ſupra vidimus, obſervatio vero cl. Bauhini (*k*) confirmat. Cum enim congeries umbilicalium vaſorum Scrochio narrante (*l*) ab uterina placenta naturaliter ſurſum ad caput ferri ſoleat, inde ſecundum occiput deſcendendo ad pueri umbilicum contendere, fieri minus poſſe videtur, quin illo in itinere collum circumdet, & dum fętus ſeſe convertit, aut placentam avellat, aut eamdem diſrumpat, unde hæmorrhagia, ut a cl. la Mothe aſſertum, (*m*) atque propterea abortus.

Graviores animi curæ, metus præſertim inſignis, vehemens ira.] Quid de gravioribus animi curis dicam metu præſertim inſigni gravidas Mulieres corripiente? Parum ne vero intime nervos pungit, qui laqueorum ad inſtar teſtante Hallero (*n*) arterias circumdant? Hacce autem de cauſa retardari ſanguinis curſum ob arteriarum contractionem animadvertit cl. Paſta, hinc in uteri vaſis ea ratione ſubſiſtere, qua aut diſrumpantur, aut plus quam par eſt in extremitatibus dilatentur, unde hæmorrhagia, & abortus, quemadmodum de Muliere quadam nobili narrat Gerbeſius (*o*) quæ a tribus Menſibus utero geſtans curioſitate allecta Mulieris cujuſdam ſectionem videre, quæ uteri hæmorrhagia abortui ſuperveniente interierat, timore doloribuſque perculſa, non ſolum abortum fecit, ſed in mortis diſcrimine ob enormem ſubſequentem uteri hæmorrhagiam fuit conſtituta. Enimvero ſi leviſſimæ allatæ cauſæ, ut ſunt ſuſpiria, manuum elevatio, aliæque ſimiles abortum promovere valent, quot fluctus, quot procellas, quot tempeſtates eæ non patientur Mulieres, quæ metu perculſæ ſunt? ſub quem dicente Tullio (*p*) ſubjicitur *pudor*, *terror*, *timor*, *exanimatio*, *conturbatio*, *formido*, quique ab eodem definitur (*q*): *Opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videtur.* Hanc propterea cæteris omnibus affectionibus animi facile anteponendam cenſuit cl. Mauriceau. Idem plane intelligendum de ira vehementi, cujus noxas, ac detrimenta toties a nobis inculcata, ne repetendo obſcuriora faciamus, ſufficiat nunc, quod ad rem noſtram potiſſimum facit, quæ a laudato Mauriceau indicata ſunt (*r*) afferre, ſpiritus omnes, omnemque maſſam ſanguinis exagitandi, inflammandi, diſperdendi, perturbandi, unde fętus delicatiores cum ſint eas moleſtias percipiunt, quæ explicari dicendo nulla ratione poſſunt, ut mittam quod de gravioribus laboribus, ac violentis exercitiis ſupra dictum eſt, augeri videlicet hac eadem de cauſa impetum ſanguinis ſupra uteri arteriarum reſiſtentiam, hinc eaſdem facile diſrumpi, unde hæmorrhagia, & abortus.

Improviſus, & inopinatus rumor.] De improviſo, ac inopinato rumore, qui a Tonitribus, aut a Tormentis bellicis excitatur eadem quoque ratio, præſertim ſi cum pavore conjunctus ſit, & juvenes apprehendat, quarum corpus præ vetulis mollius cum ſit, ac magis tranſpirabile aerem a tanto rumore vi ſumma perculſum ſubtiliſſimos quoſque poros, ac meatus penetra-

(k) *in epiſt. ad Hildan. cent.* 2. *obſ.* 50. (l) *apud Jo. Manget.*
(m) *Liv.* 3. *chap.* 6. (n) *L. c.* (o) *Chron. medic. pract. an.* 2. *ſec.* 34.
(p) *Tuſcul. quæſt. l.* 4. *p.* 199.
(q) *Ibid.* (r) *L. c.*

trare contingit, altiuſque ſeſe in intimas uſque partes, ac viſcerum ſubſtantiam inſinuare, uterum vehementius concutere, ac fetum ad exitum extimulare, ut fere cl. Mauriceau, cujus ſententia nihil adhuc ſubtilius, aut ingenioſius dictum.

Odores tetri carbonum, vel ipſius lucernæ extinctæ.] Odores tetros, præcipue carbonum extinctorum abortum facere idem Mauriceau adnotavit non modo, ſed exemplo confirmavit: fumum extinctæ lucernæ viri cl. Riverius (*ſ*) Jo. Fortis (*t*), & obſervatio ſuperius a nobis allata de Nobili Muliere, quæ cum res eſſet in deſperato, & a medicamentorum actione, animi pathemate, inedia, vigiliis fere per bimeſtre ſpatium vexata morti quam proxima fumo tandem candelæ extinctæ liberata eſt, opportune evincit. Hinc apte Plinius (*u*): *Miſeret, inquit, atque pudet æſtimantem, quam ſit frivola ſuperbiſſimi animalium origo: cum plerunque abortus fiat cauſa ſolus odor a lucernarum extinctu.* Apte cadit in hunc locum, quod celebris Lud. Mercatus admonuit (*x*) Mulieres adeo frequenter abortire, ut ſi quis id diligenter examinet, facile inveniat plures eſſe deperditiones, ſeu abortus, quam legitimos partus.

X. Morbus revera metuendus abortus, licet in nonnullis nil gravius partu naturali.] In iis, quæ ad abortiendum ulla abſque cauſa evidenti proclives ſunt, vix ullum ſuppetere grave periculum colligi poteſt ex præclariſſimo exemplo, quod affert cl. Mauriceau (*z*) de quadam Muliere, quæ decem immaturos fetus nullo interpoſito naturali partu, edidit, ſalva nihilominus, & incolumi vita: atque illo etiam, quod memorat Vincentius Alſarius Crucius (*a*) de quadam juveni, quæ poſtquam marito concubuit, cum quolibet anno prægnans fieri conſueviſſet, ac fetum plurium Menſium curriculo, quandoque etiam ad nonum uſque feliciter geſtare, abortiebat tandem, atque abortui ſe proximam eſſe haud dubie conjiciebat, cum fetus priūſquam exiret, quod octo, aut duodecim ante dies plerunque contingere propria experientia didicerat, nullum amplius motum edere, ac proptearea mortuum eſſe percipiebat, quem poſtea eadem felicitate, quam experiuntur illæ, quæ vivum, ac maturum edunt ejiciebat: æquali fruens etiam in prompta placentæ expulſione, ac naturali lochiorum fluxu. Id quod docere olim viſus eſt Hippocrates affirmans (*b*), Mulieres quæ facilius concipiunt, facilius etiam tertio, aut quarto Menſe ulla abſque evidenti cauſa abortiri, *unde magna cuſtodia, ac ſcientia opus ſit, ut Mulieres puerum in utero geſtent, enutriant, & a partu evadant.* Quibus potiſſimum de rebus factum eſt, ut ea perpendens, quæ & Hippocrates ipſe tradidit, ejuſque doctrinæ addicti Riverius, Mauriceau, aliique ex abortu Mulieres magis periclitari, quam ex vero partu, quia violentior eſt, ac tempore alieno fit perbella ſimilitudine deſumpta ex maturorum fructuum pediculis, qui ab arbore laxantur, ac ſponte decidunt, cum immaturi diſrumpantur, vaſis & ligamentis, quibus fetus utero alligatur applicata, quæ in partu naturali ſponte ſolvuntur, cum in abortu abrumpi neceſſe ſit, dubius anceſque animo hærerem, quibus fidem adhiberem. Cum tamen frequentius

(ſ) *L. c.* (t) *L. c.* (u) *V. Jo. Fort. l. c.*
(x) 4. *de Morb. Mul. cap.* 2. *apud Crucium.*
(z) *Obſ. lib. obſ.* 460. (a) *L. c.*
(b) *Lib.* 1. *de Morb. Mul.* 42.

videamus aut graves uteri inflammationes ex abortu contractas, aut ſanguine copioſius ad uterum affluente, nec debite expurgato, ſed in eo putreſcente acutas febres, cordis palpitationes, cardialgias, hæmorrhagias inſignes, quæ ſi ad Syncopem, deliquia, & convulſiones miſellas ducant, lethales eſſe Aretæus teſtatus eſt, in horum ſententiam priore relicta, me pedibus iturum eſſe pollicerer.

XI. *Ne is forte accidat, ubi nauſea, aut vomitu Mulier corripiatur venæ ſectio ratione plenitudinis habita.*] Utrum venæ ſectio in gravidis locum haberet quæſtio fuit apud Veteres Medicos ſatis clara. Quæſtioni primus omnium anſam dedit Hippocrates (*c*) inquiens: *Mulier in utero ferens, ſecta vena abortit, eoque magis ſi fętus ſit grandior:* tum hujuſce rei rationem reddens Galenus (*d*) quia ſanguine detracto fętus ſuo fraudatur alimento, unde abortus conſequitur. Cum alii e contra diuturna experientia compertum habuerint nullum in pleriſque prægnantium morbis, præcipue vero acutis venæ ſectione efficacius, aut pro earum opportunitate valentius remedium reperiri, eamque non primis ſolum, ſed etiam mediis, immo & interdum poſtremis graviditatis Menſibus, eadem vero omiſſa cum matrem, tum fętum in ſummum vitæ diſcrimen adduci, eo res adacta, ut quibus fides habenda, lateret. Hi fere Petrus Salius (*e*) Amatus Luſitanus (*f*) Rodericus a Caſtro (*g*) Riverius (*h*) Ludovicus Mercatus (*i*) Raymundus Jo. Fortis (*k*) aliique, quos Recentiorum plerique, Modernique adeo ſequuti ſunt, ut lis omnis, & quæſtio per ſe corruerit. Hippocratis enim dictum ea ratione interpretandum, qua docuit olim Cornelius Celſus (*l*) non immerito conjiciunt: *Antiqui primam, ultimamque ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilii genus judicabant*, ait Celſus: *Perſuaſerantque ſibi Mulierem gravidam, quæ ita curata eſſet, abortum eſſe facturam. Poſtea vero uſus oſtendit, nihil ex his perpetuum, aliaſque potiores obſervationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi curantis conſilium debeat. Intereſt enim non quæ ætas ſit, nec quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint. Ergo ſi juvenis imbecillis eſt, aut ſi Mulier, quæ gravida non eſt, parum valet, male ſanguis emittitur. Emoritur enim vis, ſi quæ ſupererat, & hoc modo erepta eſt. At firmus puer, & robuſtus ſenex, & gravida Mulier valens tuto curantur.* Quid de clymate fervido, in quo Divinus Auctor Medicinam faciebat, & in quo Mulieres frugali, & parca diæta utebantur, dicendum, cum ſucceſſu temporis plurimo, & euchymo cibo uti inceperint Mulieres, præſertim nobiles, & opulentæ, ut a cl. Etmullero animadverſum eſt (*m*)? Quid de plethora, habitiorique Mulierum temperamento ſentiendum, quod tanti fecerunt cl. Mauriceau (*n*) Hoffmannus (*o*) Meſnard (*p*) aliique, ut qui ad hæc ſedulo, & accurate attenderint, vix ac ne vix quidem in fraudem quemque induci poſſe rectiſſime judicarint? Hinc eſt, quod nonnullis Mulieribus terque, quaterque celebrata ſanguinis miſſio toto gravidationis tempore ſufficiat, in aliis ne ſepties quidem, aut ultra, cum in quibuſdam vix ulla liberalior inſtitui poſſit, quin immaturum fętum edant, quod a vario plenitu-

(c) 5. *aph.* 31. (d) *in coment.* (e) *Lib. de Morb. partic. cap.* 22.
(f) *Curat.* 57. *ſect.* 1. (g) *Lib.* 3. *de Morb. Mul. cap.* 21.
(h) *L. c. cap.* 16. (i) *Lib.* 4. *cap.* 2. (k) *De abortu.*
(l) *Lib.* 2. *cap.* 10. (m) *Colleg. pract.* (n) *L. c. cap.* 11.
(o) *L. c. cap.* 9. (p) *Cap.* 5. *art.* 9.

tudinis, & virium momento repetendum eſſe tam nota res eſt, quam quæ notiſſima.

Vel primis Menſibus ad ſeptimum uſque, ſi moleſte vexetur inſtituenda, ſecus &c.] Cum occaſione ſuppreſſæ menſtruæ evacuationis in gravidis primis potiſſimum Menſibus augeatur ſanguinis quantitas ea ratione, qua naturalis ſanguinis motus alteretur, & cæteræ humorum ſecretiones aliqualiter læ-dantur, ut ſupra demonſtratum eſt, nil veroſimilius afferri poſſe videtur, quam ſi dicamus tunc cum ſymptomatis alicujus caſus urgeat etiam primos Menſes opportuniſſimam venæ ſectionem efficere, cum in nutritionem fetus minor ſanguinis copia impendatur, quam eodem jam ingrandeſcente, quique majore opus habet alimento: qui mos Mauriceau præſertim inter Gallos adeo placere videtur, ut Mulierum exempla afferat (*q*) quarum alteri toto geſtationis tempore per quadraginta octo vices venæ ſectio in brachio fuit inſtituta, ut ab inſigni, qua premebatur oppreſſione liberaretur, quæ tamen vegetum, ac robuſtum filium maturo tempore emiſit: alteri vero annum ſeptimum ſupra decem agenti per nonaginta, quæ tamen una cum filio feliciſſima fruebatur valetudine, quod eſt in Medicina argumentum pro-pe certiſſimum nullum eſſe ſanguinis diſpendium per repetitas venæ ſectiones, quam gravidæ ferre non poſſint; cum tamen ſummo Medentium con-ſilio, ac prudentia opus eſſe contendat, ne quem morbum ſedari volumus, graviorem, periculoſioremque ſuſcitemus. Hoffmannus e contra (*r*) certiſſimis obſervationibus edoctus crebrum abortum ut plurimum circa finem tertii ab imprægnatione Menſis propter largiorem ſanguinis ad uterum af-fluxum, quem fetus ad ſui nutritionem tunc nec requirit, nec ferre poteſt, contingere, tutiſſime circa id tempus præſertim abortui jam adſuetis venæ ſectionem celebrandam eamque ter quater intra graviditatis tempus pro va-rietate plethoræ, majorique, vel minori ſanguinis ad uterum congeſtione repetendam docuit, ut fere Amati Luſitani (*ſ*) & quæ in M. N. C. ex-tant exemplis, conſtat (*t*): cum tamen haud inficias ire auſit, in quibuſ-dam Mulieribus etiam ſingulis Menſibus eſſe inſtituendam, ut obſervationi-bus potiſſimum Stalpartii vander Wiel, Hildani, Billingeri, Riverii, Ver-zazæ compertum eſt. Quid in re ardua ipſe ſentiam pronuntiare vix audeo. Utcumque tamen mihi probatiſſimi judicii facultas ſit deſitura, quid eſt tandem cur injucundum mihi videatur, in quæ ſolertiſſimi Medici plurima a vero proponentes inciderint, in eadem me incidiſſe? Si nimirum circa gravidationis initia grave aliquod, atque oneroſum ſymptoma, ut fere vo-mitus, palpitatio, ſyncopes, aliaque id genus Mulierem exerceant, tunc a Mauriceau fuerim, qui venæ ſectionem primis ſtatim Menſibus inſtituen-dam conſulit: ſi vero nihil iſtorum acciderit, vel adeo levia ſint, ut ferri inſigni abſque moleſtia poſſint, tunc Hoffmannum ſectandum traderem, qui circa finem tertii Menſis celebrandam oſtendit, nec ſolis ipſius rationibus permotus, ſed ex graviditatis certitudine, quam in ſenſibili fetus motu ſi-tam eſſe diximus, deſumptis, quaque vere exiſtente nullum ſubeſſe peri-culum poſſe perſpicuum eſt ex venæ ſectione in brachio celebrata, quemad-modum non leve ineſſe procul dubio tenendum, ſi ſola Menſium ſuppreſſio

Kk 2 ad-

(q) *L. c. p.* 97. (r) *L. c. p.* 296.
(ſ) *Cent.* 2. *curat.* 95.
(t) *Dec.* 1, *an.* 6. *obſ.* 204. *An.* 9. *x, obſ.* 48.

adfuerit, quæ repetita venæ ſectione in ſuperioribus partibus ita perſæpe firmatur, ut revocari poſtea nulla ratione queat.

Eaque in brachio, vel manu, niſi acutiſſimus morbus aliter ſuadeat.] Quamvis non deſint Recentiores quidam, qui inferiores venas in gravidis Mulieribus aperire ſunt auſi ad curationem epilepſiæ ex utero, bubonis venerei, & peſtilentis, immo & abortus præcautionem, ut videre eſt apud Zacutum Luſitanum (*u*) qui propriis & aliorum experimentis oſtendere nititur eam tuto poſſe celebrari, cum tamen notante Hoffmanno (*x*) omnium Vetuſtiorum Medicorum teſtimonio ſecurior in ſuperioribus partibus, quam in locis inferioribus habenda ſit, res iſta quoque ambagibus plena, ac difficultatibus. Haſce autem declinari facili negotio poſſe crediderim, ſi ad laudati Jacobi Placentini nobilem diſſertationem (*a*) attendatur, in qua poſtquam de peculiari uteri ſtructura, deque vaſorum, quæ ad ipſum feruntur origine, contextu, anaſtomoſi, angulis ſolertiſſime diſſeruerit propoſitiones quaſdam Medentibus contemplandas exhibuit, quibus clare apparere poſſe contendit eximius Auctor in morbis uteri inferiores venas raro eſſe incidendas, ne copioſius eo affluente ſanguine, majorique impetu, augeantur, aut confirmentur, ut teſtimonio quoque librorum Gyneciorum, qui ab Iſraele Ipachio collecti ſunt, nec non Auctorum, qui de morbis Mulierum ex profeſſo tractaverunt, Hieronymi Mercurialis, Ludovici Mercati, Roderici a Caſtro, Lazari Riverii, Raymundi Jo. Fortis, Franciſci Mauriceau, Jacobi Meſnard, Andreæ Paſtæ aliorumque comprobatum eſt, in gravidis vero Mulieribus nunquam locum habere tradit Fernelius (*b*) ſcribens, inferiores prægnantium venas incidere minime tutum, quod impetu deorſum converſo Menſes procedant, præcipiteturque fetus. Hinc optime a Boerhaavio conſultum, quoties abortus inditia ſe produnt, toties ſanguinem e partibus ſuperioribus mittendum. Gravidæ tamen Mulieres acutiſſimo & ipſæ quandoque morbo corripi poſſunt, quo intra viginti quatuor horas jugulentur, niſi magna ſtatim remedia, & ſumma cum diligentia adminiſtrentur, inter quæ venæ ſectio facile principem obtinet locum quacumque hora accerſitus Medicus fuerit inſtituenda, quam ſicuti neque Menſium, neque Lochiorum fluxus, aut quodpiam aliquod contraindicans prohibere, ac retardare poteſt, ita neque graviditas curanda, cum copioſa, & liberaliter ſanguis tertia, vel quarta quaque hora ex brachio, ex pede prout res poſtulare videtur mittere expediat, ut alibi a nobis demonſtratum eſt (*c*).

XII. *Si ultra quartum Menſem protrahatur vomitus, atque pravi ejiciantur ſucci, ſyrup. de Cichor. cum rhabarb. &c.*] Vomitum inter gravidationis initia parvi faciendum eſſe adnotavit cl. Mauriceau (*d*). Si tamen diutius protrahatur relaxari majorem in modum ſtomachi fibras, ciborum coctionem perverti, pravos, vitioſoſque ſuccos congeri, qua data porta extra corporis confinia ejiciendos, oſtendit. En purgationis neceſſitatem in gravidis, quam apte definivit Hippocrates (*e*) inquiens: *Utero gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget quarto Menſe, & uſque ad ſeptimum, ſed hæ minus, juniori autem fetu, & ſeniori cavere oportet.* Galenus vero (*f*) eamdem

(u) *Prax. Med. mirab. obſ.* 23. *lib. & obſ.* 130. 151. *lib.* 2. (x) *L. c.*

(a) *Diſſert. de vena quæ in morbis particularium partium corporis ſit ſalutarius incidenda p.* 98. (b) *Lib.* 11. *meth. med. c.* 12.

(c) *Aph. lib.* 2. *cap.* 1. (d) *Loc. cit. pag.* 19. (e) 4. *aph.* 1. (f) *in com.*

dem eſſe proportionem fętús, & fructuum arborum afferit. Quemadmodum enim in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & ideo facile decidunt, quando vehementior ventus ipſos concuſſerit; poſtea vero aucti difficilem habent a plantis diſſolutionem. Sicuti rurſus cum perfecti ſunt ſponte ſua ſine vi extrinſeca decidunt, eodem modo Mulieres primis, & ultimis Menſibus abortum patiuntur, quia in illis fętus minus firmiter utero alligatus eſt. His tamen minime acquievit Riverius purgationes quolibet fere graviditatis Menſe commendans in morbis, qui ab excrementorum dominatu, & cachochymia producuntur turgente, vel concocta materia, quotieſcumque majus impendet periculum ex parte illius cachochymiæ morbum committentis, quam ex commotione a purgante medicamento excitata. Qua in re potiſſimum Mauriceau difficultas ſita eſt. Primis enim Menſibus vel ſolam plenitudinem adeſſe egregie animadvertit venæ ſectione tollendam, vel firmo adhuc exiſtente ventriculo nullos pravos, vitioſoſque ſuccos colligi, qui purgatione indigeant, ac nullum ex vomitu periculum impendi, cum vix quarto gravidationis Menſe attacto, incipiente ſenſibili fętus motu, ac uberiorem humorum copiam abſumente, ſponte deſinat, atque langueſcentem appetitum Mulieres gravidæ perſæpe recuperent. Quotieſcumque hiſce finibus non coerceatur, ſed altiores agens radices diutius miſellas divexet certum Medentibus ſuppeti argumentum pravorum, vitioſorumque humorum ventriculi tunicis inhærentium, qui cum ſpontaneo naturæ conatu per os ejici non potuerint auxilio egent, & ope medica, ut per inferiora deturbentur. Quod nulla meliori ratione præſtari poſſe, quam purgantis pharmaci exhibitione neminem fugit, dummodo tamen leviſſimum illud ſit, & nulla inſigni irritandi facultate præditum: c. m. fere ſyrupus de cichoria cum rhabarbaro, rhabarb. ipſum pul. ex caſſia exhibitum, vel infuſione paratum, cujus pulcherrima laus eſt non modo mucoſas quiſquilias ventriculo tenaciter adærentes blande detergere, ſed laxatas etiam fibras corroborare, a Riverio propterea, Mauriceau, Hoffmanno præ cæteris commendatum probatumque.

XIII. *Abſterſo Stomacho, ſi adhuc moleſtus ſit vomitus juſculum ex carne vitulina a pingued. ſep. &c.*] Diutius protracto vomitu magnum ſubeſſe periculum non tantum ob ſtomachi ſubverſiones, quibus venter inſigniter exagitatur, concutitur, comprimitur, quantum ob alimentorum defectum; qui in dies ſingulos rejiciuntur, atque eo potiſſimum tempore, quo & matri, & fętui majori ſanguinis copia opus eſt, nec non ob ſolidarum partium chylificationi inſervientium laxitatem, quam lienterici, cæliaci, aliique ejuſmodi fluxus excipiunt ex dictis antea manifeſtum eſt. Eo igitur nervos induſtriæ omnes intendendos eſſe, ut medicamenta, quæ bonos, ac laudabiles ſuccos, leves politaſque particulas in ſanguinem ingerant, & ſimul laxatis præter modum fibris prompte ſubveniant liquido apparet. Virtute inſigni hac eminet deſcriptum juſculum ratione carnis vituli (cujus loco aliæ etiam Animantium, ac præſertim juniorum carnes adhiberi poſſunt) cujuſque principia eadem ferme ſunt, quæ ſanguinis, & chyli, aut parum ab ipſis natura, & mixtionis modo diſcrepantia, oleoſæ nempe partes, & ſubtilior terra, & aquæ mixta inter ſe, ac temperata gelatinam quamdam minutiſſimam conſtituunt non modo nutriendo corpori, ſed tenuibus etiam, acribus, ſtimulantibuſque particulis incraſſandis, invertendis opportuniſſimam.

mam. Iſtarum actionem juvant etiam raſuræ Ebur. Cor. Cer. & ſimiles, quæ ebulliendo & ipſæ gelatinoſam ſubſtantiam ſuppeditant iiſdem muneribus obeundis aptiſſimam. Jam ſi de corroborantibus ſermo ſit primum ſeſe offert cortex exſiccatus citri, qui teſtante cl. Geoffroy (*g*) non modo flatus potenter diſcutit, humores crudos in ventriculo contentos concoquit, & digerit, ſed amarore ventriculum roborat, cui ferme ſimilem facultatem ipſam calamintam fortitam eſſe ambigendum non eſt, ſi ipſum Geoffroy audimus (*h*) eamque potiſſimum ratione ſalis eſſentialis ammoniacalis cum oleo aromatico copioſo conjuncti, quo donari ipſam oſtendit. Quid de ſiliquis vanillæ dicam, aut cortice Winterano, quæ Stomachi amicitia clara fecit?

XIV. *Solus Chocolatæ potus nonnullis quandoque &c.*] Frequentiſſime uſurpari Vanillam in Chocolata, nunquam non ſemper Cinnamomum recipi alibi a nobis dictum eſt (*i*). Cum enim Cacao, quod ejus baſim conſtituit craſſum ſuppetat nutrimentum, ſi crudum comedatur, ſanguinem inſpiſſet, ejuſque motum minuat, atque ob nimiam, & craſſiorem pinguedinem ventriculum gravet, & obſtructiones gignat, ſi nimia copia ſumatur ſalubre conſilium idem aromatum permixtione temperare, atque ea quidem doſi, qua Chocolata præ eleganti eorum fragrantia ſuavior, ac jucundior evadat, quo potiſſimum opus eſt in vomitibus Mulierum gravidarum, quæ a quovis medicamento utcumque leviſſimo abhorrent.

XV. *Diligens etiam victus ratio plurimum conferre viſa eſt ea &c.*] Gratos, & jucundos cibos nauſea, & vomitu laborantibus exhibendos eſſe Hippocratis effato addicti alibi demonſtravimus (*k*). Cum apprime ad hanc rem faciat, id referre denuo operæ pretium duximus. Ita autem ſe habet: *Cibum, & potum ægris paulo deteriorem, jucundiorem tamen melioribus quidem, ſed injucundioribus eſſe præferendum. Quæcumque enim cum voluptate aſſumuntur*, ait Galenus (*l*), *ventriculus amplectitur, & concoquit, ſic ea quæ diſplicent refugit, unde nauſeæ, & flatus, & fluctuationes ſubſequuntur.* Quod ſi in quibuſvis aliis ægrotantibus, in gravidis Mulieribus maxime ſervandum eſſe facit potiſſimum inſignis quarumdem rerum appetitus, quas niſi avide hauriant, ſalivam ex ore emittunt, & animo interdum delinquunt: ita ut affirmari de iis jure merito poſſit, quod de ciborum aſſumendorum qualitate in diætæ regimine docuit Etmullerus, ſanis omnia cenſeri ſana, modo ea Stomachus famelicus appetat, & non abhorreat, eo quod fermenta digeſtiva potenter quælibet in ſui ditionem trahant, & cohæreant, & inferius ex Hornio, quantitatem non qualitatem ciborum nocere, alios tamen aliis eſſe ſalubriores, negandum non eſſe cibum, & potum, quem quis vehementer appetat. Recte quidem. At illud ſummopere cavendum eſſe facile judicaverim, ne quantitas alimenti etiam appetiti modum excedat. Ecquis enim eſt quin plane intelligat alimentum qualitate aliqua manifeſta præditum copioſius ingeſtum lædere poſſe, quod neutiquam præſtitiſſet, ſi parcius aſſumptum fuiſſet? Quid quod nec continuandus e. m. alimentorum uſus, ne fermenti digeſtivi activitas eludatur, atque alimenta parum mutata cruditates gignant, quibus morbus augeatur, aut confirmetur? Quapropter ſalubre conſilium ea quidem, quæ avide appetuntur comedere, ſed op-

(g) *Mat. Med. T.* 2. *p.* 180. (h) *Ibid. p.* 130. (i) *Lib.* 2. *cap.* 3.
(k) *Lib.* 3. *cap.* 1. *com.* 25. (l) *In com.*

opportune, ac moderate, ea autem nunquam relinquere, quæ Stomacho amica ſunt, c.m. fere ſunt acidi ſucci limonum, granatorum, quibus delicatiores cibi, faciliſque coctionis condiri ſolent, conſervæ cytoniorum, quæ leniter adſtringendi, ſeu mavis roborandi virtute præditæ ſunt, vinum optimum, cujus facultates eximias ita alibi percenſendo numeravimus, atque explicuimus dicendo, ut iis denuo immorari non liceat (*m*).

XVI. *In palpitatione cordis ſola plerunque venæ. ſectio promptiſſime occurit.*] Omnes palpitatione cordis laborantes venæ ſectione, tamquam præcipuo remedio curatos fuiſſe, ac liberatos vel ipſe Galenus (*n*) affirmare non dubitavit. Succeſſu temporis Antonii ab Altomari (*o*) Capivacei (*p*) Trincavelii (*q*) Stalpartii Vander Wiel (*r*) Zacuti Luſitani (*ſ*) aliorumque votis ita præclare reſpondit, ut ſi quid in ſumma rerum anguſtia ſperari poſſit, ab hoc uno remedii genere ſperari jure merito poſſe confiderent. Et vero vel plenitudo ſanguinis morbo anſam dederit, vel ſpiſſitudo, vel polypus præſto eſſe tempeſtive celebratam venæ ſectionem vel in ipſo palpitationis paroxyſmo, vel extra illum ad præcavendas novas acceſſiones cl. Hoffmannus teſtatus eſt (*t*). Quod ſane eſt diligenter attendendum, cum cordis palpitationi in gravidis Mulieribus nimiam ſanguinis quantitatem, qua naturalis ſanguinis motus alteratur, & circa præcordia lenteſcit occaſionem præbere ſupra oſtenderimus, quam venæ ſectione tutius, ac citius tolli, quam aut ejuſdem ſpiſſitudinem, aut polypoſam in corde concretionem adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

Ita & in Syncope, ſed extra paroxyſmum, in quo facies aqua frigida irroranda &c.] Syncopes curationem in duo fere tempora dividendam eſſe, alterum paroxyſmi, alterum intermiſſionis neminem latet. In paroxyſmo cum malum ſubitum ſit, & magnum illud enixe curandum eſſe, ut ſanguinis, & cordis motus quamcitiſſime reſtituatur, & æger reviviſcat manifeſta res eſt. Quæritur hinc utrum venæ ſectio celebrari tuto poſſit. Si morbi cauſam reſpicimus, cum eam a ſanguinis aucta quantitate commenti ſimus ejuſque motus alteratione, quam etiam cordis palpitationi tribuere diximus nil venæ ſectione efficacius, aut pro ægrotantium opportunitate valentius reperiri poſſe videtur. At ſi ad paroxyſmum attendimus, quem ſubitus, & præceps virium lapſus comitatur, reſpiratio obſcura, pulſus minimus, aut nullus, facies pallida, aut livida, totius corporis refrigeratio, ſudor frigidus, viſus, auditus, vocis privatio, juſtus ſubrepit timor, ne major exinde languor excitetur venæ ſectione, & malum ruat in deterius. Ea igitur in paroxyſmo locum habere videntur, quibus ſanguinis, & cordis motus reſtituatur, & æger reviviſcat. Hinc ea, quæ ſpiritus exſuſcitant, ſanguinem attenuant, reſolvunt, impellunt eximii uſus. Quorum in cenſu veniunt in primis ſpirituoſa naribus admota, quæ partim ſtimulando, partium immiſſione ſpiritus excitant, ut ſunt aquæ Regin. Ungaric. acetum acerrimum, præſertim vero roſaceum, ſales volatiles oleoſi, olea item, & balſama aromatica. Verum in iſtorum medicamentorum uſu caute procedendum traderem in gravidis Mulieribus, quæ præterquamquod odores ſuaves,

(m) *Aph. lib. 3. p. 12. &c.* (n) *Lib. 5. de loc. affect. cap. 2.*
(o) *Cap. 45.* (p) *Lib. 2. pract. cap. 8.* (q) *In prælect. de compoſ. medicam. & cap. de palpitat. cordis.* (r) *Obſ. varior. cent. 1. obſ. 36.*
(ſ) *M. P. H. lib. 2. hiſt. 39.* (t) *L. c. ſect. 2. cap. 1. p. 137.*

ves, aut graves ordinario non ferunt, accedit præterea in abortus diſcrimine facillime conſtitui. Quapropter aut ſola aqua frigida, qua facies irroretur utendum eſſe judicaverim, ut nempe villis nerveis contractis ſpiritibus, atque inde conſequens cordi, & ſanguini motus reſtituatur, aut ut ſummum acetum naribus applicandum, quod ut plurimum ab ipſis Mulieribus ferri ſolet; Cordis vero regioni vinum generoſum ſpeciebus cordialibus pro epithemate imbutum admovendum, aut aquam Reginæ Ungaricæ, aut his ſimilia extrinſecus applicanda. Intrinſecus vero ſpirituoſa quidem iiſdem de cauſis exhibenda, quæque vires reficiunt, ac reſtaurant, ſed quæ odore aliquo inſigni nares feriente non præſtant, inter quæ ſpiritus aromatici. e. gr. ſpiritus roſarum, meliſſæ, & cinnamom. elixir vitæ Mathioli, Magni Ducis Etruriæ, ſales omnes volatiles Cor. Cer. viperar. ſanguinis humani eminent. Solum igitur vinum generoſiſſimum, fragrans, limpidum, & ſuave, aut aquæ quæ grati odoris fragrantia inſigniuntur, ut ſunt meliſ. tot. citr. aurantior. & ſimiles, quibus deficientes, aut nimis languidi ſpirituum, & fibrarum motus eriguntur, & recreantur, atque vires mirifice confortantur.

XVII. *Etiam in alvi fluxibus locum habet venæ ſectio, ſi redundantis ſanguinis inditia adſint.*] Cum cæliaca paſſio ventriculi ſuccum inertem, fibrarum Stomachi languorem pro cauſa agnoſcat, adſtringentia, & alia aromatica paſſim ab Auctoribus commendantur: cum ab irritatione exoriatur, abſtergentia, & temperantia: cum a bilis vitio ea, quæ langueſcentem, aut penitus impeditam ſecretionem promovent, aut activitatem excitant: de venæ ſectione ne verbum quidem: quemadmodum ne in diarrhea quidem, in qua generales indicationes eſſe communiter reputantur irritantem cauſam temperandi, corrigendi, ſive illa ſit in ſanguine, ſive in viſcerum fermentis, acres particulas per congruas, atque opportunas vias, præcipue vero ſudoris eliminandi, irritationes demulcendi, labefactatum ſolidarum partium tonum firmandi. Venæ ſectionem in Dyſenteria ſolum cum febris adſit commendaſſe Riverium, Amatum Luſitanum, Sydenhamium alibi a nobis oſtenſum eſt (*u*). Ex his apparet minus ſalubre conſilium reliquiſſe Rodericum a Caſtro (*x*), & Jacobum Meſnard (*z*), qui in alvi fluxu cæliaco, meſenterico, dyſenterico ſanguinem in gravidis Mulieribus ex brachio mittendum tradiderunt. At ſaluberrimum fuiſſe nemo inficias ire auſit, qui ſedulo, & accurate perpenderit tunc ſolum, cum ſanguis redundat venæ ſectionem commendaſſe, quod in gravidis Mulieribus adeo frequens eſt, ut nihil magis. Quid enim ſi facile princeps iſtorum affectuum cauſa ſit plenitudo ſanguinis, qua vaſa Matris magis diſtenduntur, & ampliantur, præcipue vero gaſtrica, quibus nimium diſtentis cum fluida motibus inordinatis, & irregularibus cieantur, ſeparationes perverti, & alterari contingit, præſertim vero ſuccorum chylificationi inſervientium, unde irritatis ventriculi fibris, vomitus, inteſtinorum vero, ac viſcerum imi ventris, & chyli & aliorum humorum ex iiſdem uberius effluentium per alvum copioſa excretio? Ceſſante eo, quod morbo occaſionem prius dederat, aut ſaltem majorem in modum langueſcente, morbum aut profligari penitus, aut plu-

(u) *Aph. lib. 3. cap. 3. com. 15. p. 38.*
(x) *Par. 2. lib. 3. cap. 16.*
(z) *Art. 5. cap. 8.*

plurimum ſaltem imminui manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

Cum cæteroquin ea quæ mulier appetit pravæ indolis evitanda in Lienteria &c.] Quamvis in plethoricis mulieribus nimia humorum redundantia, præſertim vero ſanguinis Lienteriæ, aliorumque alvi fluxuum cauſa conſtitui apte poſſe videatur venæ ſectione tollenda, nihil eſt tamen cur ſit redarguendus cl. Mauriceau (*a*), qui cum lienteriæ cauſas in languefcente ſolidarum partium chylificationi inſervientium tono reponendas eſſe exiſtimet, quod poſt vomitus plerunque contingit, quibus ſtomachus, ejuſque membranæ ea ratione relaxantur, qua crudum, atque indigeſtum alimentum per inferiora dejiciatur, ab iis omnibus cibis abſtinendum eſſe, quæ prava aliqua qualitate infeſta ſunt, animadvertit, iiſque utendum, quæ facilis ſunt coctionis, quæque ſupra a nobis in vomitus curatione recenſita fuere. Inter medicamenta vero, quæ leniter adſtringendi, ſeu mavis roborandi virtute prædita ſunt in uſum vocanda, inter quæ conſervæ roſarum, cytoniorum eminent, de quibus pariter citato loco dictum eſt. His hora ſomni addi commode poſſe ducimus Diaſcord. Fracaſtor. cujus pulcherrima laus eſt irritationem, ſi quæ morbo anſam dederit blande compeſcere, & ſimul laxatis partibus tonum addere.

XVIII. *In Diarrhœa vero, aut Dyſenteria ea omnia alibi recenſita ſolis aquis Tetutianis exceptis, & radice Ipecuac. &c.*] Inter præcipua Diarrhœæ, & Dyſenteriæ medicamenta, ut alibi vidimus (*b*) eminet ſerum lactis Tamarindatum, vel decoctum hordei, ſi a tenui nimis, & præfervida materia dpendeat, hora vero ſomni Diaſcord. Fracaſt. quibus cum nimis tenues, biioſæque particulæ diſſociantur, diſgreganturque, atque ineptæ ad vellicadum fiunt, eædem præterea præcipitantur, ſolidæque partes ab ulteriori vellicatione præcaventur: Rhabarbarum e contra ſi viſcidis, mucoſiſque quſquiliis involuti peccent humores eodem Diaſcord. mixtum, quo acrium, ac vellicantium humorum vis infringatur, irritationes ſedentur, leniter vero purgante facultate peccantes humores extra corporis confinia blande eliminentur, dum leniter adſtringente tonus laxatis partibus conciliatur: Pulveres adſtringentes, atque abſorbentes ex juſculis extremitatum pedum vituli Kalybeatis, addito pauxillo opii, quo irritationes nimiæ ſedentur: Clyſteres demulcentes, abſtergentes, conſolidantes. Duo tamen validiſſima medicamenta, alterum a Redio, Baglivo, aliiſque, alterum vero a Gulielmo Sherard, Jo. Jacob. Mangeti, Gulielmo Piſone, aliiſque ſumme commendatum, eximii eſſe uſus oſtendimus: aquas ſcilicet Tetutianas, & radicem Ipecuacan. Verum cum aquæ Tetutianæ uberius aſſumi ſoleant addito mel. roſac. ſolut. aut alio purgante medicamento, ut non ſolum ventriculum, & inteſtina fluiditate laxent, ſed etiam gravent pondere, & mordacitate irritent, & priuſquam vaſa lactea ſubeant in magna quantitate per alvum ſibi viam aperiant, ſicque craſſas, mucoſaſque quiſquilias ventriculi, & inteſtinorum parietibus adhærentes incidendo, abſtergendoque acres moleſtiſſimos ſuccos, qui inteſtina verſus propulſi enormes ibidem ſpaſmos, ac vaſorum ſanguiferorum oſcula reſerando, fibraſque corrumpendo ulcuſcula ibidem excitant mire edulcando, præcipitandoque fluores ſiſtant, juſtus ſubrepit timor, ne in gravidis mulieribus

(a) *l. c. p.* 115. (b) *aph. lib.* 3. *cap.* 8.

abortui anſa præbeatur, quem vomitu arte excitato facilius evenire ſuſpicandum: ita ut emolumenta, quæ a ſtypticis Ipecuacan. particulis proficiſcuntur, quibus labefactatum ventriculi, & inteſtinorum tonum reſtitui contingit, & ſanguinis, cæterorumque humorum excretionem cohiberi, ab acribus ſtimulantibúſque, quibus periſtalticus ventriculi motus invertitur, præpediantur, ac propterea alio mens, & cura ſit convertenda.

Niſi forte inſigne medicamentorum faſtidium prohibeat, quo caſu ſola Simaroubæ decoctione &c.] Nec parvi facienda peculiaris ſtomachi conſtitutio, qua gravidæ mulieres a pulverulentis medicamentis, a bolis, ab ingratis quibuſdam potionibus longe abhorrent non modo, ſed ea ferre nulla ratione poſſunt, ita ut certa auxilii ſpes, nullum noxæ periculum a gratis, jucundiſque cibis ſit repetendum, aut ab iis medicaminibus, quæ nullo non modo gravi odore, aut inſuavi ſapore infecta ſunt, ſed quæ ſtomachum etiam immoderatis, & inveteratis alvi fluxibus debilitatum corroborant, ciborum appetentiam excitant, tum eorum digeſtioni amaris, inciſiviſque partibus favent, nec non & eroſæ inteſtinorum membranæ interiori ſublatum ab acrioribus excrementis mucum reſtituunt. Quibus fere virtutibus excellit Simarouba cortex non ita pridem ad nos advectus ex Guiana, ubi frequentiſſimi eſt uſus in alvi fluxibus Dyſentericis, quos anno 1718. ita ſævientes, ut purgantium, adſtringentium, atque ipſius Ipecuacan. vires non modo eluderent, ſed ex eorum applicatione ingraveſcerent vir cl. D. Anton. de Juſſieu Academ. Pariſienſis feliciſſime eodem cum profligaſſet, ſic ejus fama percrebuit, ut cætera omnia propemodum viluerint. Ejuſce mentio ſt in Actis Acad. Reg. Scient. Pariſ. (*c*), & in quæſtione medica D. Anton. de Juſſieu ſupra laudati (*d*), ſed apud nos rara cum ſit, & pleriſque ignota non multos ante hoſce annos adhibita, nec frequentiori adhuc uſu, cum cæteroquin in ordinariis alvi fluxibus valde proficua, tum vero in iis, quibus gravidæ mulieres divexantur apprime commoda nunquam non deprehendatur, atque ea quidem methodo exhibita, quam tradit cl. Geoffroy (*e*), eam ſcilicet minutim ſectam ad ʒ ii. in aq. com. Lib. ii. ad teriæ partis conſumptionem decoquendo, ac quartam ipſius partem tertia quaque hora tepidam propinando ad integram uſque ſanationem, quam perfici atque ullo decocti potus faſtidio, ulla per vomitum, vel per ſeceſſum evacuatione, quin immo ſedari unius diei ſpatio dolorum cruciatus, ſomnum cito redire, urinas fieri copioſiores, & limpidas, rariores evadere evacuationes, fœtidum odorem fæcum ceſſare, immutari colorem, e liquidis increſſeſcere, cibos ægrum appetere, & brevi refici eximius Auctor cum docuiſſet, ita propria experientia ratum, confirmatumque comperimus, ut eam cæteris omnibus facile anteponendam eſſe affirmare minime vereamur.

XIX. *Hæmorrhoides dolentes præter venæ ſectionem ex brachio decocto Verbaſci fovendæ, aut flor. ſambuc. &c.*] Hæmorrhoides cæcæ ſi nimis turgeant, doleant, & periculum inferant inflammationis venam ſecandam eſſe in brachio, ſi poſtea revellendi adſit indicatio etiam in pede trita eſt medicorum ſententia. In gravidis tamen mulieribus ſolum venam ſecandam eſſe in brachio

(c) *an.* 1729. 32.

(d) *In ſchol. Medic. Pariſ. diſputata* 16. *Febr. an.* 1730.

(e) *Mat. Med. p.* 2. *de Veget. exot. p.* 293.

chio cl. Mauriceau (*f*) & Meſnard (*g*) docuerunt : rationes vero ſupra a nobis allatæ iſtorum opinionem ſic confirmant, ut qui aliter ſentiat ſomnia narrare videatur. Innumera fere quoque proſtant apud Practicos, quæ demulcendi virtute donantur. Verbaſcum præ cæteris eſt commodiſſimum, cujus decocto utiliter foventur. Sambuci quoque folia ad putrilaginem cocta, immo contuſa etiam & frigida admota dolorem ſiſtere a Riverio dicuntur: ſed cum mirabili virtute flores quoque donentur eorumdem decocto una cum decocto Verbaſci utpote magis fovendum commode utendum diximus. Si tamen hæc minus votis reſpondeant, a Riverio fuerim quamlibentiſſime, portulacam contuſam eſſe admovendam, quam non modo dolorem ſedare, ſed tumorem quoque imminuere, ulcera conſolidare & excreſcentias carneas abſumere teſtatus eſt. Quid de Linaria dicam, quam inſigne eſſe anodynum medicamentum, quo vix præſtantius ad hæmorrhoidum cecarum dolores mitigandos dari, & ab omnibus laudari quocumque modo adhibitam cl. Geoffroy tradidit (*h*)? nimirum ſi linaria integra, vel flores ejus, ſola, vel cum Chammomil. aut Verbaſci floribus coquatur in lacte, quo pars dolens foveatur, vel ſi recentes hæ plantæ contundantur, & Cataplaſmatis in modum applicentur. Quamquam vero ſi Linaria virens cum floribus cum adipe porcino decoquatur, quouſque adeps valde vireſcat, fiatque unguentum, cui expreſſo, & refrigerato applicationis tempore vitellus ovi admiſceatur, linimentum emerget mirabile ab Horſtio prædicatum ad dolorem confeſtim ſedandum, cum a nonnulis etiam hoc unguentum præſtantius haberi, ſi prius in adipe ſuillo aſelli, aut ſcarabæi decoquatur idem Geoffroy animadvertit. Et vero aſellos in oleo feminum lini decoctos ad dolorem ſedandum efficaciſſimum remedium ſuppetere vulgari experienti compertum eſt; id quod & oleum Buxi deſtillatum præſtare dicitur, quod inſigne anodynum eſt, dentibuſque dolentibus applicatum apprime confert, præfertim vero ſi oleo feminum Lini miſceatur, & oleo ex vitellorum ovorum expreſſum, idque vel ſimplex, vel in mortario plumbeo diu agitatum, & in metu inflammationis linimentum ex cancris fluviatilibus in oleo coctis uſque ad melis confiſtentiam, ut oleum amygdal. dulc. filentio prætercam, papaveris, & nymphææ vitello ovorum crudo in mortario plumbeo diu agitatum, etſi inſignis ſit inflammatio addito pauxillo unguent. refrigerant. Galeni, & Populeon. & alia quamplurima, quæ cum ab Auctoribus fere Practicis, tum vero ſpeciatim in gravidarum caſu a Mauriceau proponuntur.

XX. *Alvus ceteroquin aperta ſervanda flor. Caſ. r. e. &c.*] Poſt venæ ſectionem atque refrigerantium, & emollientium applicationem, niſi turgeant hæmorrhoides, hirudines applicandas ſuadet Mauriceau, qua ſanguis educatur, aut lanceola aperiendas, hirudines quidem iis, quæ duriuſculæ ſunt, & quaſi carnoſæ, quoniam minori dolore afficiunt, quam lanceolæ inciſio, aperiendas vero quæ molles quoquo modo ſunt, & inundationis ſpeciem præſeferunt. Atque id quidem in viris, qui hæmorrhoidum fluxu ſæpe levamen non exiguum percipiunt. At in mulieribus, quibus ſuperflui ſanguinis evacuatio ex utero contingit, minus commodum eſſe; tunc ſolum cum gravidæ ſunt, & ſanguine abundant poſſe ejuſcemodi evacuationem naturali defectui occurrere, dummodo tamen moderate, & abſque dolore accidat;

L l 2

(f) *lib.* 1. *cap.* 18. (g) *cap.* 5. *art.* 7.

dat; illud enim verendum eſſe, ne immodice fluentibus hæmorrhoidibus, & mater, & fetus in ſummum vitæ diſcrimen adducantur. Quapropter ſatius ducimus ab iis abſtinere, & ubi alias fluxerint, non fluant vero, & propterea tumeant, & doleant ſolum balneis, & fomentis emollientibus, aut linimentis anodynis ſupra deſcriptis pertractandas, & alvum apertam ſervare, ſed blandiſſimis remediis, inter quæ caſſia eminet, quam lenien-di, ac temperandi facultas apprime commendat, pruna juſculis cocta, ſerum lactis tamarindatum, ſpinaciis paſſulatis comeſtis, quorum etiam laus eſt nauſeam minus, ac faſtidium ciere. Repetito iſtorum uſu dici vix poteſt, quam apte ventris ſolutioni conſulamus ſine clyſteribus, ad quæ ſolum confugiendum cum duriora excrementa in recto inteſtino retenta hæmorrhoidibus occaſionem præbuerint, quæ Clyſteris laxantis uſu ejicienda rectiſſime docuit cl. Mauriceau, quem in hac parte ſectamur.

XXI. *Alvi ſtypticitas, & mejendi difficultas, niſi venæ ſectione tollatur ſola refrigerantia, & emollientia &c.*] Hactenus de ventris ſtypticitate dictum eſt, quæ a durioribus excrementis originem ducit, quæque lenientium, aut Clyſterum uſu tollenda eſt: nunc de ea ſermo, quæ a diſtenſis nimium vaſis inteſtinorum proficiſcitur, qua liber eorumdem motus periſtalticus impeditur, unde confluere deſinunt homogenei humores, ex quo alvi ſtypticitas, quam venæ ſectione tollendam eſſe facit potiſſimum ea ratio, quo ablata nimia humorum copia, nec non ſolidorum reſiſtentia, periſtalticus inteſtinorum motus reſtituitur, atque humorum confluentia, unde alvi laxitas ea prorſus ratione, qua mejendi difficultas ob impreſſionem, atque inflammationem veſicæ tolli viri cl. Mauriceau, (*i*) & Meſnard (*k*) teſtati ſunt. Hanc aliis etiam medicamentis pertractandam refrigerantibus & emollientibus docuit præ ceteris Mauriceau, ne propter niſus vehementiores abortus ſequatur: quæ etiam tunc cum urinæ ardor, aut aliud ſimile vitium morbo anſam dederit, opportuniſſima exiſtunt. Sed de his plura ibi de calculo dictum eſt. (*l*)

XXII. *Abortus, qui a nimia vaſorum plenitudine proficiſcitur frequenti venæ ſectione &c.*] Miratur ſummopere cl. Mauriceau, ubi abortus ſuſpicio contingat, obſtetrices, atque pleroſque Medicorum ſericum Kermeſinum minutim inciſum, aut grana Kermes, ut Jo. Fortis, aut pelliculas internas ventriculorum gallinæ, ut Mullerus præcipit ex ovo ſorbili exhibere, ad credendum vehementer adducti, hæc ubi in ſtomachum ingeſta ſint uterum mederi poſſe fœtibuſque, quos continet. His addi poſſe videntur pulvis aquilinus in vino auſtero exhibitus, pulvis mirabilis ab eodem Jo. Forti dictus (*m*) ex utero leporino, raſura ebur. & ligno aloes an. in ovo ſorbili a ℈ i. ad ʒ .s. propinatus, ſal item Aſtacorum fluviatilium, tinctura coral. quorum meminit Hartmannus, conſerva roſarum cum pulveribus adſtringentibus a Dioſcoride commendata, ſpecificum Solenandri ex maſtich. thur. alb. a ʒ .s. myrtil. bol. armen. orient. lacrym. ſanguin. dracon. a ℈ .s. ut f. pulvis, cujus ʒ i. infarciatur dactylus ejecto nucleo ligneo, involvatur charta, madefiat, deinde vino clareto, & calefiat ſub cineribus, deinde edatur. Sed mirandum magis fuiſſet, ſi ad ea quæ extrinſecus propo-

nun-

(h) *Mat. Med. T. 2. p. 2. pag.* 386.
(i) *l. c. cap.* 15. (k) *l. c. art.* 5.
(l) *lib.* 3. *cap.* 11. *p.* 149. (m) *Cap. de abortu.*

nuntur attendiſſet, tria illa pulcherrima ut rariſſima ab Aetio laudata, lapis aetites brachio adligatus, lapis in vulva, aut corde, aut inteſtini Cervæ repertus, tritici granum intra panem caſu repertum ſiniſtro brachio adligatum, ungula urſi collo appenſa a Nicolo laudata, ſicut Jaſpis viridis collo appenſus efficaciſſimus a Marcello, & Sex. Emp. habitus, quæ non alia virtute prædita eſſe poſſe exiſtimaverim, quam alia amuleta ſæpe a nobis commemorata, quæ ſi de ſpecifica eorum proprietate ſermo ſit a ratione tam aliena ſunt, quam quæ alieniſſima, ac prorſus ridicula. Ut nimirum in omnium morborum curatione, eorum cauſis tollendis omni animi contentione ſtudendum, ita ſi mulieres ad abortum proclives ſolis ſpecificis pertractemus peſſime eiſdem, ac fetibus, quos gerunt, conſulemus. Quo loco fateor me juſtis laudibus æquare non poſſe ſaluberrimum ipſius Mauriceau, Ludovici Mercati, Roderici a Caſtro, Jo. Fortis, Meſnard. aliorumque, quorum ſupra meminimus conſilium, qui abortum ex repletione ſanguinis ſectione venarum ſuperiorum, vel ante gravidationem, vel primis gravidationis menſibus feliciſſime præcaveri ſunt arbitrati. Primis, inquam, gravidationis menſibus, & iis omnibus ſervatis conditionibus, quas ne repetendo obſcuriores faciam, libens prætermitto.

XXIII. *Qui ab ejuſdem raritate nimia, & expanſione, quiete corporis animique &c.*] Quietem corporis, abſtinentiam a coitu vel primis conceptionis diebus commendaſſe videtur Hippocrates, quo loco inquit: *Si mulier genituram ſe concepiſſe cognoverit, primo tempore, non amplius ad virum accedat, ſed quieſcat*, ne videlicet prima fœtus ſtamina, quæ propria adhuc membrana obducta non ſunt corporis agitatione extra uterum elabantur. Hinc longius progreſſus cl. Mauriceau eo facile adductus eſt, ut crederet ſatius eſſe gravidas mulieres nimia corporis quiete, quam agitatione gubernari, cum majus ex hac, quam illa abortus periculum impendeat. Quod cum in quibuſcumque mulieribus verum eſſe conſtet, tum vero maxime in iis, quæ ad abortum ob nimium ſanguinis orgaſmum proclives ſunt, facit potiſſimum ea ratio, quod violento corporis motu cum ſolidæ partes, muſculi præſertim vehementius, & frequentius contrahantur, fluidas majorem in modum atterunt, fundunt, exſolvunt, unde agiliores, mobilioreſque particulæ a reliquarum nexu ſolutæ, atque in univerſam ſanguinis maſſam diffuſæ ejus agitationem, furoremque intendunt, unde abortus cauſa augetur, aut confirmatur, cum otio torpidi reddantur ſpiritus, & minus ad motum apti, ſolidæ partes relaxentur, unde humores plus æquo rareſcentes ad ſegnitiem, lentoremque diſponuntur. Sed nulli ſecundam vim habet ad nimium ſanguinis orgaſmum, ac rareſcentiam compeſcendam quies animi, & tranquillitas, ſeu a vehementibus, & fortibus affectibus intenta, ac diligens abſtinentia, ira præſertim, qua ſpiritus vehementer commoveri, atque expandi contingit, pulſum, & reſpirationem fieri concitatiorem, ſanguinem magno impetu ad partes omnes propelli, quæ propterea eodem rareſcente incaleſcunt, rubent, tument, unde agitatio, furor, mentis perturbatio.

Diæta tenui, ac refrigerante, ut ſunt ptiſanæ avenaceæ &c.] His diæta tenuis addenda videtur, & ex alimentis inſtituta quæ inſipida ſint nullo non modo aromatum, aut acrium, odoreque fragrantium herbarum conjugio alterata, ſed quæ refrigerandi virtute inſignita ſunt, ut fere ptiſanæ avena-

ceæ,

ceæ, hordeaceæ, juſcula ex carnibus agninis, vitulinis, endivia, acetoſa, lactuca, aliiſque id genus in acetariis comeſta, omnimoda vini abſtinentia, aut illud tenue, & oligophorum, ejuſque loco aqua ſaltem variis diei horis, præſertim ardente Sirio, eaque ſucco limonum, berberum, aliiſque id genus acidis vegetabilibus alterata, quæ ſuavi acore, quo ſunt prædita ſanguinis partes blande figendo, & ejus texturam quaſi conſtringendo ejus æſtum fervoremque egregie compeſcunt. Quæ emolumenta in mulieres quoque facilius emanabunt, ſi emulſionibus ex ſeminibus frigidis frequenter utantur, quæ lævibus oleoſiſque particulis, quibus ſcatent tenujores, agilioreſque particulas irretiunt, obtundunt, eiſque blandam confiſtentiam conciliant, quibus potiſſimum opus eſt, ut deleantur illa præjudicia, quæ nimia ſanguinis rareſcentia, atque orgaſmus humorum minantur.

XXIV. *His additi pulveres ex raſur. matr. perlar. ocul. cancr. &c.*] Novit hæc cl. Hoffmannus (*n*), & ubi ex nimia ſanguinis ebullitione in gravidis dolores in lumbis cum pulſuum celeritate, inquietudine, & vehementiori infantis in utero motu abortum indicare videntur præter quietam corporis continentiam cum tranquilla mente, & tenui diæta junctam pulveres temperantes, nitrata cum aquis nuciſtæ, florum Chammomil. lilior. alborum, conval. ceraſor. nigror. exhibitas promptiſſimum ferre auxilium tradit. Verum ſi quid ſentio quamvis haud inficias ire auſim temperantes pulveres; ac nitrata eximiæ eſſe virtutis ad nimium fervorem, æſtumque ſanguinis coercendum, eadem tamen ex aquis, quæ mitiſſima vi pollent cardiaca præter temperantem, aut juſculo refrigerantibus herbis alterato propinandas traderem, non iis quæ grati odoris fragrantia donantur, quæque ſubtiles cum habeant partes languidum ſpirituum, atque inde conſequens ſolidarum partium motum augent, fluidas exagitant, fundunt, exſolvunt, unde major ſanguinis rareſcentia, atque expanſio facile ſubſequitur.

XXV. *Qui a tenuitate, fuſione, acrimonia, pulveres ex coral. maſtich. &c.*] Quæ calorem æſtumque ſanguinis comprimere valent, eadem & nimiam tenuitatem, fuſionem, acrimoniam infringere etiam me tacente facile omnes intelligunt. E. m. ſunt aquea omnia, vegetabilia, quæ inſipida, & refrigerantia ſunt vel ſola vel ſubacidis mixta, ſeu naturalibus, ut ſuc. limon. rib. berber. &c. vel abſorbentibus dictis ut matr. perlar. ocul. cancror. emulſiones ex ſeminibus frigidis, quæ non ſolum nimis fluxiles humores incraſſant, ſed etiam ſolidas partes ea ratione afficiunt, qua opus eſt ad ſtagnationes in iis, corrugationes, corroſioneſque, quæ uteri hæmorrhagiis[, atque abortui occaſionem præbent præcavendas. Si hac ratione operari nonnulli contendant pulveres ex coral. maſtich. aliiſque ſpecificis ad præpediendum abortum habitis non erit cur multum pugnemus, quemadmodum etiam ſi eamdem virtutem tribuant trochiſ. de Spodio, de Carabe, quorum illi ex roſis rubris, ſpodio, ſeminibus acetoſæ, portulaç. amil. torrefact. balauſt. berber. gum. arabic. & ſimilibus componuntur; hi vero ex cor. cer. uſt. gum. arabic. coral. dragant. hypociſtid. maſtich. thur. mucilag. ſemin. pſyl. aliiſque id genus, nec non gelatinis raſur. ebur. & cor. cer. in aq. tormentil. plantag. quæ omnia in incraſſantium, & edulcurantium claſſe adnumerantur. Vel enim terreſtres partes in ſanguinem vehunt ad motum minus aptas, ideoque ipſius motum, ac ſubſequentem diſſolutionem retardant,

(n) *Cap. 9. de convul. uter. ſive abortu ſect. x.*

dant, ut ſunt oſſa Animalium uſta cor. cer. uſt. coral. & terræ omnes bolares: vel humores non modo nimis ſolutos figunt, atque condenſant, ſed etiam adſtringunt, ut radic. biſtort. tormentil. folia plantagin. balauſtia & ſimilia, vel gelatinoſas, pingues, mucilaginoſas, glutinoſaſque partes ſuppeditant, quæ convenientem humoribus conſiſtentiam conciliant, ut ſunt juſcula ex carnibus Animalium juniorum, præſertim vero extremitatum, eorumque gelatinæ, uti & gelatinæ cor. cer. Ebur. quæ omnia gelatinoſa ſunt ſubſtantia, vel quæ ſuapte natura glutinoſa ſunt, ut gum. arabic. tragacant. maſtich. & ſimilia vel mucilaginoſa, ut ſunt mucilag. ſemin. pſyl. malvar. violar. quæ in hectica humorum reſolutione tanti facit Renzerus, ut eadem ceteris omnibus facile anteponat. Quid de lacte dicam una cum chocolata epotum, quod vel iis in deliciis eſſe ſolet, quæ a quocumque cibi genere abhorrent? Profecto cum in quacumque humorum tenuitate, fuſione, acrimonia eximias habeat facultates, tum longe maximas habere in eo caſu, in quo ſtomachus leviſſimo quovis medicamento ſubverti ſolet, & inſignem nauſeam, ac faſtidium pati notiſſima res eſt.

XXVI. *Qui ab inanitate ob inediam liberaliori, atque opimo victus genere.*] Inediæ potiſſimum tollendæ uſu alimentorum boni laudabiliſque ſucci, & in ea quantitate, quæ & matri, & fœtui nutriendo ſufficiant ſtuduiſſe videtur Mauriceau (o) dum in diætæ gravidarum regimine carnibus utendum tradit juniorum Animalium, vituli, volatilium, pullorum elixis, aut aſſatis ad earum beneplacitum, ptiſanis herbaceis, acetoſæ ſcilicet, lactuc. cicor. borrag. quibus defæcatus ſanguis depuretur, aut etiam piſcibus fluentium aquarum, vino temperato, quo digeſtio promoveatur, & ſtomachus, qui plerunque debilis eſt confortetur. Quæ cum plerunque bene cedant in gravidis bene ſe habentibus, in iis vero, quæ inanitate ſanguinis ob inediam laborant, tanto ſunt ſolatio, ut ab hoc uno auxilii genere omnis abortus præſervatio ſit repetenda. Jejunium præſertim cum in iis, tum vero maxime in iſtis evitandum eſſe adeo manifeſta res eſt, ut maniſeſtior ſit nulla. Cum enim nimia ciborum abſtinentia mites gelatinoſi ſucci abſumantur, corpus exſiccetur, ſpiritus deficiant, extremi tubuli concidant, & perſpiratio minuatur, unde acres, & impuri humores in vaſis colliguntur, quibus nauſeæ, dolores capitis, & ſtomachi vertigines, & ſyncopes, & contumaces vigiliæ, aliaque ejuſmodi mala excitantur, quantum detrimenti afferre poſſit in inanitate ſanguinis ab hoc potiſſimum fonte prodeunte lippis, ac tonſoribus judicandum relinquo. Quapropter ſi copiam cibi optimam cuique eſſe judicemus, ut præclare docuit Boerhaavius, quæ ſequitur ſenſus refectionis, non torporis, quid non emolumenti ſperandum in propoſito caſu inanitatis?

XXVII. *Qui ab inanitate ob diuturnam nauſeam, ac vomitum iis, quæ iiſdem occurrunt.* Vid. com. 12.

XXVIII. *Qui ob tenuem diætam in morbis acutis paulo liberaliori victu in declinatione præſertim &c.*] Curationem auctorum morborum in prægnantibus ſatis inſignem habere diverſitatem circa venæ ſectionem, purgationem, & diætam ſupra a nobis demonſtratum eſt. De venæ ſectione, & purgatione ſatis dictum. Nunc pauca de diæta addenda ſunt, quam in morbis acutis non adeo tenuem imperandam eſſe prægnantibus mulieribus, ne fœtus

(o) *lib. 1. cap. 9.*

fœtus ſuo fraudetur genio, neque tamen adeo liberalem concedendam , ne febris promoveatur, ſed media quadam via incedendum eſſe, ea tamen cautione adhibita, ut in primis geſtationis menſibus tenuior victus inſtituatur, in poſtremis paulo craſſior, & copioſior, quia fœtus eo tempore majori indiget alimento, oſtendit egregie Riverius (*p*). Si tamen in ea diæta aliquid peccandum ſit ſatius eſſe ad paulo pleniorem victum accedere, quam nimis exquiſitum, quoniam ex matris, & fętus viribus præcipue ſalus ſperanda ſit, idem animadvertit. Longius progreſſus Hoffmannus (*q*) qualitatem etiam alimenti aſſumendi præſcripſit, eum videlicet in finem, ne in declinatione acutorum morborum fœtus ob ejuſdem inopiam, quod non raro accidiſſe viſum eſt, expellatur: atque illud quidem a juſculis carnium juniorum Animantium, præſertium vitulinarum, quibus incocta ſunt hordeum, radix Scorzoneræ, & vitelli ovorum repetit; potum vero ex aqua hordei cum aqua Cinnam. ſucco citri, ſaccharo, & vino permixta. Niſi ſaccharum adhibendum ſuaderet, nihil ſane eſſet, cur minus multis placeret. Cum alibi vero demonſtratum ſit (*r*) in febrium curatione diligentiſſime cavendum eſſe ab iis, quæ ſtomacho adverſantur fermentationes incongruas ſuſcitando, digeſtioneſque difficiliores reddendo, cujus indolis juxta ipſum ſunt potiones dulces, emulſiones, & alia hujus naturæ facile fermenteſcentia, unde in ſulphurea, & nidoroſa cruditate æſtus, & fervor ſanguinis intenditur, in acida vero corrodentis acrimoniæ ſpicula augentur, ſatius eſſe ducimus potiones nulla ſacchari additione parare, eiſque acida vegetabilia admiſcere, quæ ſanguinis partes figendo efficiunt, ut ſeroſa parte ab aliis ſecedente, atque ad Renes facile appulſa urinæ copioſiſſimæ promoveantur.

XXIX. *Qui ab inſignibus hæmorrhagiis hæmorrhoidum &c.*] Vid. lib. 3. cap. 8. & lib. 5. cap. 3.

XXX. *Qui ex abortivis medicamentis eorum abſtinentia.*] Vid. l. 5. n. 8.

XXXI. *Qui a molliori laxiorique habitu, aut laxiori, & humidiori uteri intemperie &c.*] Vid. lib. 5. cap. 4.

XXXII. *Qui ab externis cauſis earum remotione.*] Vid. n. 8.

XXXIII. *Excepto metu, & terrore, qui venæ ſectione animo ad quietem compoſito pertractandus.*] Quoties mulieres poſt vehementem terrorem in abortus diſcrimine conſtituuntur, præſertim ſi ſanguine abundent, & alias eidem obnoxiæ fuerint, venam ſecandam eſſe docuit Hoffmannus (*ſ*). Cavendum tamen eſſe ne venæ ſectio ſtatim a terrore inſtituatur, ſi extrema adhuc refrigerata, & præcordia conſtricta fuerint rectiſſime monuit; ſed expectandam ſpaſmorum remiſſionem ſanguiniſque ad extimas partes novum recurſum. Neque ſane eum fefellit ratio deſumpta ex cohibito per terrorem ſpirituum influxu, & quaſi ſuffocatione, qua palpitatio cordis, atque anxietas propemodum ſuffocativa inducitur, humorumque curſus retardatur, & quaſi ſiſtitur, unde extremitates refrigerari, & tremere contingit, faciem pallere, excretiones ſupprimi, partes quaſi paralyticas concidere, & ſi vehemens, & inopinatus ſit terror, vires ita dejici, ut in ſummum quoque vitæ diſcrimen adducantur mulieres, cum jam conſtanti experientia compertum habuerit venę ſectionem ſub ipſo ejuſmodi affectionum vi-

(p) *lib.* 15. *cap.* 16. (q) *l.c.* (r) *Ibid.* (ſ) *l.c. p.* 299.

vigore celebratam ad promovendum potius, quam coercendum abortum diſponere.

XXXIV. *Si mammæ detumeſcant, extenuentur, dolores frequentes &c.*] Mammarum detumeſcentiam, & extenuationem inter præcipua imminentis abortus ſigna recenſuit Hippocrates inquiens: *Si mulieri utero gerenti mammæ ſubito extenuentur, abortus ſequitur.* Neque ejuſce rei ratio in arduo ſita, deſumpta ex ſanguinis defectu in venis utero, & mammis communibus, ob quem fœtum periclitari docuit Riverius (*t*). His tamen alia addenda tradidit, dolores ſcilicet frequentes, & fere continuos renes, & lumbos excruciantes, qui pubem verſus, & os ſacrum exporrigantur cum quodam ex utero egerendi conatu, quod certum imminentis abortus inditium conſtituit, quatenus membranas, & ligamenta, a quibus fœtus utero alligatur tendi, ac divelli ſignificant. Si hiſce accedat ſanguinis puri, vel ſeroſi, vel aquæ ex utero profluentis excretio, qua diſrupta jam vaſa, ac membranas, atque os uteri apertum eſſe oſtenditur nullum ambigendi locum relinqui vel ipſe cl. Mauriceau teſtatus eſt. (*u*) Tunc vero nihil prorſus agendum haud dubie aſſueruit, cum præcaveri nulla ratione poſſit. Hinc optime dictum ab Hoffmanno (*x*) imprudenter ſe gerere, qui hunc potiſſimum in finem adſtringentia propinant; ſiquidem fœtus jam ſeparati, vel etiam mortui retentio, & hinc ejus vel ſecundinarum orta putredo, atque etiam cruoris retenti coagulatio, & corruptio gravia, & periculoſa minatur ſymptomata: de quibus docte B. Slevogt, ad quem curioſos amandamus (*z*).

(t) *loc. cit.* (u) *loc. cit.* (x) *l. c.*

(z) *In progr. de partus retardati nocumentis, diſſertationi de reſtitutione in vitam ſuffocatorum præmiſſo Jen.* 1705.

C A P. X.

De partu difficili, fœtu mortuo, & ſecundina retenta.

I. QUoties fœtus debitam magnitudinem adeptus, quòd nono plerunque menſe contingit, excrementis ſtimulatus exire ex utero cogitur, at longius tempus inſumitur, doloreſque ſubito vehementiores, aliaque graviora ſymptomata Mulierem exercent, eam partu difficili laborare cenſendum.

II. Ejuſce cauſæ ſunt totius corporis debilitas naturalis, vel ab ætate nimis tenella dependens, vel nimis ingraveſcente, a morbis graviditatis: ejuſdem corporis macies, & ſiccitas, nimia pinguedo, claudicatio, gibboſitas, calculi tumoreſque veſicæ, reſpirationis vitia, dolores colici, iliaci, hyſterici, morbi acuti, variæ uteri affectiones, tumores, ulcera, adſtrictio, obturatio, pravus ſitus, extraordinaria figura, imperforatio Mulieris, membranarum fœtus durities inſignis, ut difficilius diſrumpantur, aut contra tenuitas, ut facilius aquæ effluant; molæ uterum occupantes, fœtus mortui, nimis debiles, grandiores corpore, capite, hydropici, monſtroſi, numero plures, contra naturam exeuntes, pedibus, manibus, genu, podice, humero tranſverſi, funiculo umbilicali circa collum circumvoluto, intempeſtivi, & inordinati Matris motus, decubitu in ventrem, aere frigido rigidoque eadem in partu expoſita, graviores animæ curæ, metus præſertim.

III. Partus difficilis ſi diu protrahatur & matri, & fœtui necem plerunque infert.

IV. Patet hinc ea omnia, quæ partum difficilem efficiunt, eadem & fœtum extinguere: quibus addenda ea, quæ abortum provocant, unde reciproca mortui fœtus, & partus difficilis cauſa.

V. Excluſo fœtu ſecundina quandoque retinetur, unde æquale vitæ periculum Mulieri impendet.

VI. Si partus difficilis accidat Matris debilitate, alimentis reſtaurantibus, vino generoſiori, cardiacis remediis, aqua ſuc. Meliſ. Cinnam. confectione hyacinth. pertractanda. Quibus ſucceſſu temporis ſi dolores ſegniores ſint, levioreſque, clyſteres addantur ex oleo Chammom. lilior. albor. irin. rut. cyclam., & carminativa decoctione addita Colocyntide injiciendi, tum ea omnia, quæ molis expellendis apta ſunt alibi recenſita.

VII.

VII. Si tenella ſit, & anguſta, aut provectioris ætatis ante partum, & in partu ſoli Clyſteres ex decoctione altheæ, mercurialis, liliorum alborum additis oleis lilior. albor. chammom. irin. rut. cyclamin., peſſaria in uterum ex butyro, adipe anſerino, gallinæ, & ſimilibus, oleum amygdal. dulc. etiam ore aſſumendum, & ſi plethorica ſit Mulier venæ ſectio ex brachio primum, mox pede viſa ſunt convenire, tum vero prædicta omnia impellentia.

VIII. Si abſque hymenis laceratione graviditas contigerit, aut os uteri cicatrice aliqua obcaluerit ſectione chirurgica via aperienda.

IX. Si tardus ſit partus, nullo autem graviore ſymptomate comitatus frequenter Mulier deambulet brachiis ſuſtentata, doloribus veris urgentibus, & aquis effluentibus ſella collocetur, niſi forte aquæ ob membranarum duritiem ſerius effluant, quo caſu digito diſrumpendæ; eo magis ſi extra uterum longius propendeant.

X. Si partus difficilis, ac laborioſus hæmorrhagiam uteri inducat, tunc fœtus ſtatim extrahendus ope periti Chirurgi.

XI. Si contra naturam poſitus ſit infans, perito pariter Chirurgo opus committendum.

XII. Si Mulier in niſu partus intereat, aut ante partum morbi alicujus vi preſſa, vivi autem fœtus inditia adſint, ſectio periti ſemper Chirurgi manu ventris & uteri inſtituenda, ut antequam pereat fœtus, ejiciatur. En quibus coerceri finibus debeat partus Cæſarianus.

XIII. Ubi ex prægreſſis cauſis fœtum extinguentibus, atque ex ceſſante ipſius motu admota ad ventrem manu, aut tepentium rerum applicatione ponderis ſenſu, dum ab uno in alterum latus ſe Mulier convertit, ventris frigiditate, oculis concavis, faciei pallore, partium extremarum frigore, mammarum flacciditate, fœtidi odoris ex utero excretione, ſecundinæ interdum ante fœtum excluſione, teneſmo, cuticulæ capitis ſupremæ diſſolutione fœtum eſſe mortuum cognoveris, nec inflammationis periculum adeſſe, dicta omnia impellentia in uſum vocanda: Secus ſtatim fœtus mortui eductio tentanda, quemadmodum ſi omnia fruſtra adhibeantur, eaque manu primum ſi fieri poſſit, e contra vero etiam ferreis inſtrumentis.

XIV. Idem dicendum de Secundina retenta, quæ ubi nec hæmorrhagia, nec inflammationis periculum prohibeat, debilis vero ac cachochyma ſit Mulier, relaxantia, atque emollientia primum, mox impellentia, quæ in molis, & fœtu mortuo adhibentur, commode admittit.

XV. Si e contra inflammationis periculum adſit, & plethorica ſit Mulier, fervidiorique temperamento prædita ſolam venæ ſectionem ex brachio primum, mox pede, tum relaxantia, atque emollientia adhibenda traderem.

XVI. Si ſanguinis hæmorrhagia urgeat, ad Secundinę extractionem ſtatim deveniendum, etiamſi vim adhiberi oporteat, quæ tamen in ordinariis caſibus omnino evitanda cæteris remediis ſolum adhibitis, vel ſi Secundina in utero ſit relinquenda.

XVII. Quæ ſi brevi naturæ opere non ejiciatur ſolis injectionibus ex decoctione malvar. alth. parietar. ſemin. lini addito oleo lilior. albor. & butyro magna copia primum, poſtea ex decoctione hordei, agrimoniæ, malvar. alth. & ol. amygdalar. dulc. pertractanda.

C A P. X.

De partu difficili, fœtu mortuo, & ſecundina retenta.

I. *QUoties fœtus debitam magnitudinem adeptus, quod nono plerunque Menſe contingit, excrementis ſtimulatus exire ex utero cogitur &c.*] Partus qui ſeptimo, octavo, & nono menſe, aut etiam decimi initio contingunt naturales eſſe, omnes fere Medici uno ore conſentiunt, atque obſervationes cum multæ ac frequentes, tum certæ ac conſtantes inſtitutæ rem ita confirmant, ut nullus ambigendi locus videatur. Quod æque de quinto, ac ſexto Menſe affirmari non poteſt, cum quæri a Medicis ſoleat, utrum fœtus ſecundum naturæ leges hoc in caſu in lucem edi, ac vitam naturalem vivere poſſint. Quæſtionem ſupra attigimus (*a*) effluxionis nomine illud nuncupantes cum Hippocrate, & Ariſtotele, quod in utero pro conceptione detentum intra ſeptimum diem ejicitur, abortus vero, qui inter primum, & ſeptimum menſem contingit; unde exempla a Montuo allata, a Valeſio, a Cardano, ab Avicenna Raymundi Jo. Fortis doctrinæ inhærentes parvi facienda eſſe judicavimus. Par igitur ratio de iis omnibus, quæ a Franciſco Valois, Ferdinando Mena aliiſque proponuntur. Rationes porro, quibus ad ſuam confirmandam opinionem utuntur quanti faciendæ ſint breviter videamus. Sunt autem fere quas trado. Si vivere fœtus poteſt, ut omnes concedunt, ſeptem ſolum agens Menſes (quod de toto Menſis ſpatio eſt intelligendum) rationi conſonum videtur vivere etiam poſſe, qui circa ſexti finem exoritur, ſi tamen diſtantia ſit quinque, aut ſex dierum tantummodo. Cum enim magna ſit temperamentorum diverſitas, ac Mulieres reperiantur robuſtæ adeo, vivaces, boniſque ac laudabilibus humoribus repletæ, quæ ſex Menſium ſpatio id efficere poſſunt, quod aliæ poſſunt nono tantum in eorum præſertim ſententia, qui fœtum in ovi germine occluſum jacere, nihilque aliud eſſe generationem prætendunt, quam veram nutritionem, quid vetat quominus fœtui id accidere poſſe judicemus, quod quoti-

diana

(a) *Cap. 9. tom. 9.*

diana experientia compertum eſt in juvenibus, qui vix decimum quintum, aut ſextum annum agentes ad eam magnitudinem facile increſcunt, ad quam alii in viginti quinque annorum ætate conſtituti minime perveniunt? Nonne naturales actiones pro temperamentorum diverſitate citius aut ocyus peraguntur, ac ciborum e. g. digeſtio in hoc homine paucis horis inſignis contingit, quæ in aliis multo longiori temporis intervallo perfici nullo modo poteſt? Quemadmodum nimirum diverſum eſt ſtomachi fermentum plus minus activum, atque copioſum, pari ratione ſi humores, quibus Mulier donatur ſint ſummæ activitatis, & copiæ, Embryonis partes omnes penetrari ſtatim contingit, fibras vellere, protrahere, atque in eorum poro-rum interſtitia ſeſe inſinuare, molem ei demum, ac robur addere, quo opus eſt ad perfectionem fœtus, qui in lucem proditurus eſt ad ea munia obeunda idoneus, quæ propriæ ejuſdem ſunt, præſertim ſi Parentes æquabili, bono, laudabilique temperamento ſint præditi, eademque valetudinis vi perfruantur. Quam quidem opinionem confirmant etiam egregia paritate a granis deſumpta, quæ paſſim feruntur, quæ ſi copioſum ſatis nutritium ſuccum inveniant, ſoliſque radiis foveantur, germinant ſtatim, atque ad maturitatem cito perveniunt, cum languida e contra remaneant, aut nonniſi ægre admodum lenteque protrahantur, quibus ſufficiens alimenti copia deficit, quæque benignorum influxuum irroratione deſtituuntur. His tamen acquieſcere nullo modo poteſt, qui ſedulo, & accurate perpendat ſimplicem nunquam non ſemper, atque uniformem eſſe naturæ operandi modum, nec niſi neceſſitate coacta fuerit ſuas leges multiplicare, quod eſt argumentum prope certiſſimum in femina eadem ipſa ratione operari, qua in cæteris Animantibus, quibus certi partus termini conſtituti fuerunt, quoſque paucis horis aut diebus exceptis nec præoccupare datum eſt, nec præterlabi. Ita Cuniculos per Menſem geſtare videmus, Canes per duos, Aſinas undecim. Qua igitur ratione, aut modo fieri poſſe dicamus, ut ſoli feminæ contigerit varium partus terminum fortitam fuiſſe, atque longe adeo diverſum ab iis, in quibus alias generationis circumſtantias eaſdem omnino eſſe, ac in Muliere procul dubio tenendum? Neque vero legem afferre aliquam valet, quod de plantis dictum eſt, cum inſigne nimis inter has, atque illas diſcrimen interſit. Silentio prætereo diverſos ſitus, in quibus plantæ excreſcunt ceu totidem uteros eſſe conſiderandos, qui propterea in feminibus, eorumque productis ſummam mutationem inducere valent. Neque vero nobis objiciant naturam utut ſimplicem, diverſa tamen ratione in Feminis, & Animantibus operari, quin citra erroris ſuſpicionem affirmari queat aliquid ſuæ ſimplicitati detrahere: pleraque Animalium certis ſtatiſque tantum temporibus parere: feminas periodicas, atque ordinatas purgationes pati, quod in aliis Animalibus, Scimiis exceptis, non obſervatur: naturam diverſos hoſce effectus producentem mobiles etiam partus terminos in feminis ſtatuere potuiſſe, immo revera ſtatuiſſe, cum fœtum ſeptimeſtrem, octimeſtrem, nonimeſtrem, ac decimeſtrem vivere poſſe extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit: plantas demum licet ſubſtantias ab Animalibus diverſas, defæcatiſſimo tamen ſucco excreſcere, nutriri, ac diverſos ſuppoſitos uteros fluidum iis ſolum ſuppeditare, cujus partes eorum poris, ac venis ſunt proportionatæ, ideoque ad modum, quo plantæ nutriuntur immutandum ineptæ. Rationes enim omnes quæcumque excogitari poſſunt, niſi certa

certa iis, atque multa experimenta reſponderint nullius plane momenti (*b*), cum fœtus ante ſeptimum Menſem in lucem editos ad abortus eſſe referendos ita ſupra oſtenderimus, ut nullus ambigendi locus videatur.

Excrementis ſtimulatus exire ex utero cogitur &c.] Si Hippocratem audimus (*c*) non aliam ob cauſam fœtum debitam magnitudinem adeptum vim facere, ut extra uterum prodeat, quam ob alimenti inopiam exiſtimavit. Verum hunc redarguit obſervatio, qua deprehenſum eſt Mulieres ſucco plenas, & obeſas æque ac macilentas, & aduſtas eodem fere tempore fœtus edere, cum hæ citius, ocyus illę parere deberent: immo ſi gemellos, & numeroſiores fœtus geſtarent, cum duplo citius, & antea alimentis egerent, duplo citius, & antea expelli eoſdem contingeret, nec debitam lactis copiam in lucem editos reperire, quam in quacumque Muliere expulſo jam fœtu, & ſecundinis, fibrarumque uteri, peritonæi, muſculorum Abdominis, quæ in tota graviditate mirum in modum diſtentæ ſunt contractione ſubſequente, atque hinc ſanguine in utero aggeſto lochiorum nomine exeunte, tertio fere a partu die febricula primum excitata, mox tumore, dolore, duritie mammarum ſubſequente plus minus copioſam fieri experimur: quod eſt ſanguinis ab hypogaſtricis arteriis cum mammariis communicantibus copioſi affluxus, eiſdem infuſionis, diſtenſionis, repletioniſque, qua prædicta ſymptomata exoriuntur, argumentum prope certiſſimum. Quæ ſane efficere potuerunt, ut Galenus (*d*) ad aliam naturalis partus cauſam inquirendam facile adduceretur, atque ob id potiſſimum fœtum ex utero excludi exiſtimaret, quod per os nutriri jam poteſt, aut in loci anguſtia contineri amplius nequit, perinde ac ſi fœtus etiam ſeptimeſtris in lucem editus ore lac non exſugeret, aut gemelli, grandioreſque fœtus, & craſſiſſimi duplo citius excludi deberent, cum tamen utroſque non minus commode geſtari, quam unicos, & puſillos, qui frequentius per abortum ejiciuntur quotidie obſervemus. Hiſce potiſſimum factum eſt, ut hæc ſententia jam obſoleverit, atque aliam a cl. Stenone excogitatam amplecterentur, quæ ut alibi vidimus (*e*) in eo fere ſita eſt, ut ſuadere quemque vellet ad credendum, inteſtinorum fœtus excrementa per alvum dejecta cum Amnii liquore commixta denuo ab ore fœtus exſugi, eo uſque dum repetitis dejectionibus ſuctionibuſque Amnii liquor ingratus odore, fœtiduſque factus moleſtiam ori inferat, illumque ad exitum ſtimulet. Hujuſce rei inditium ſatis clarum haberi poſſe conjicit ex Scrophæ fętibus, in quorum ventriculis globulos ſęcum repertos eſſe conſtat aliis ſimiles, quibus tum in liquore Amnii, tum in inteſtino recto continebantur. Quam tamen firmis adeo validiſque rationum momentis confutaſſe cl. Cyrillum oſtendimus, ut qui Stenoni aſſentiri velit garrire, & ſomnia narrare videatur. Et ſane ſi id verum eſſet, nonne cum aquis ante partum effluentibus ſemper aliquid fęculentum excerneretur, quod in partu nonniſi difficili quandoque accidere deprehendimus? Neque vero inficias ibimus nutritionem fœtus aliquam ſaltem magnitudinem adepti ab hoc liquore, cui circumfunditur ore hauſto, vi ſtomachi concocto, ſucciſque bilioſo, pancreatico, & inteſtinali in chylum ſubacto per vaſa lactea in ſanguinem tranſeunte, reliquo in fęces lentas inteſtinorum motu ad a-

num

(b) *Vid. Mem. di Trevoux Tom.* 2. *p.* 3. *art.* 2.

(c) *De nat. pueri.* (d) *de uſu partium.*

(e) *aph. lib.* 3. *cap.* 10. *com.* 7.

num uſque propellendas abeunte repetendam eſſe, ut Graafii obſervationibus, & Hippocratis auctoritate ducti ſupra oſtendimus (*f*), parvi facientes nonnullas alias obſervationes, quibus deprehenſum eſt fetus interdum ſine capite in lucem edi, & nonnullos ore naribuſque obturatis, quod eſt Freindio argumentum non levis momenti per os ſolummodo non nutriri, at illud contendemus rationi minus congruum videri cum ſucco alibili ore fetus hauriendo tam fetidam materiem a natura miſceri, ac tunc potiſſimum ad exitum ſtimulari, cum collectis in ejus inteſtinis copioſioribus fecibus, & veſica urinaria valde diſtenta moleſta irritatione afficitur, quo ſane conſequitur, ut iſtorum pondere, & acrimonia compulſus jam quaquaverſum nitatur, verſus inferiora deſcendat, Matri Teneſmum creet, hinc ejuſdem Muſculis Abdominalibus violenter convulſis in pelvim pellatur, ruptiſque membranis, & uteri oſculo dilatato aquæ effluant, ac in lucem prodeat, ut fere Derelincurtius opinatus eſt, quem ita Verheyenius aliique in hac parte adeo ſequuti ſunt, ut non alio ſenſu fetum maturum indigere aere exiſtimaverit, quam ad feces per validam inſpirationem expellendas, unde vix natus eaſdem nigras, tenaces, & ſplendentes Meconium dictas dejicit, atque aquoſum, ac dilutum lac, quod primum e mammis ſecernitur haurit provido naturæ conſilio, ut totus inteſtinorum canalis elueretur, & ne quid ſupereſſet, quod acrimonia ſua fibras nerveas in vehementiores, & non ordinatas contractiones ageret.

At longius tempus inſumitur, doloreſque ſubito vehementiores, aliaque graviora ſymptomata &c.] Nemo ignorat inſtante partu torſiones, & dolores leviores circa lumbos, & uteri regionem exercere parturientem, mox ſenſim intendi, & fieri graviores. Id quod probe tenendum eſt, cum in hiſce potiſſimum, aliiſque ſymptomatibus ſupervenientibus tota difficilis partus eſſentia ſita ſit. Quotieſcumque enim partus difficilis futurus eſt, debitas, atque ordinarias naturæ leges non obſervare adnotavit Riverius (*g*), ſed longius tempus inſumere, & dolores ſubito vehementiores, aliaque ſymptomata graviora comitantia habere. Quo loco animadverti velim, quod in hanc rem tradidit cl. Mauriceau (*h*), triplicem vitioſorum partuum differentiam aſſignans, laborioſi ſcilicet, difficili, & contra naturam. Laborioſum eum quidem vocat, in quo & Mater, & fetus, licet hic ſecundum naturæ leges prodire cogatur, capitis nempe vertice, ad uteri os internum, & facie ad Matris os cocygis obverſo, inſignes, ac non ordinarias moleſtias patiuntur: difficilem ad laborioſum referri poſſe putat, ſed uno aliquo ſymptomate comitatum, quod eum retardat, atque cruciatum excitat: contra naturam demum, qui malo fetus ſitu abſque manus ope, atque auxilio obtineri non poteſt: eos quidem naturæ niſus, ac conatus comitari, opemque Medicam expoſcere: hunc ſolum peritæ obſtetrici, aut Chirurgo committendum. De difficili igitur, ſeu laborioſo, quæ nomina promiſcue a pleriſque uſurpata fuerunt hic nobis dicendum, ſubtilioris diviſionis a Mauriceau traditæ minus ſollicitis.

II. *Ejuſce cauſæ ſunt totius corporis debilitas naturalis, vel ab ætate tenella dependens.*] In eo autem cuncti fere conveniunt, ut cauſas vel ad Matrem referant, vel ad fetum, vel ad utrumque. Matrem quod ſpectat, cum

(f) *cap.* 1. *com.* 3. (g) *lib.* 15. *cap.* 18.
(h) *l. c. cap.* 10.

cum ad bonum partum, ut ait Galenus, non unius, ſed duorum corporum vigore opus ſit, Matris potiſſimum conatus neceſſarius eſt in valida inſpiratione conſiſtens, diaphragmatis protruſione verſus inferiora, & compreſſione viſcerum, quæ in fundum uteri fortiter impacta ipſum, & fetum deorſum impellunt. Hi conatus ut plurimum conducunt ad partum faciliorem, quippe Mater fœtum dudum mortuum expellere valet, ſi tamen illud accurate attendatur, ut Matris conatus fetus conatum ſubſequatur, non præveniat, ne ſcilicet Mater inani opera eas vires peſſundet, quæ legitimo partus tempore ſunt reſervandæ. Quinam autem conatus in Matre eſſe poteſt, quæ debilitate totius corporis laboret vel nativa, vel propter ætatem, ut in juvenculis, & vetulis contingit adnotante Riverio (*i*)? In juvenibus nimirum vias anguſtiores eſſe perſpicuum eſt, in vetulis partes omnes ſicciores, durioreſque, quæque difficilius neceſſariæ dilatationi cedunt, ut difficiliorem oſſium uterum ambientium articulationem ſilentio prætercam, quæ fetus excluſioni reſiſtunt. Jam præcipuos graviditatis morbos ſi quæras, nauſeam, vomitum, cordis palpitationem, ſyncopem, alvi fluorem, ani hæmorrhoides, alvi ſtypticitatem, mejendi difficultatem eſſe ſupra demonſtratum eſt, quibus vel propter alimenti defectum, vel bonorum ac laudabilium ſuccorum excretione, vel repetitas venæ ſectiones ad eos profligandos neceſſarias ſummum fit ſpirituum diſpendium, unde totius corporis vis, ac robur maximopere labefactatur. Quid de ejuſdem corporis macie dicam, & ſiccitate, aut nimia pinguedine vix ſuppetit, cum emaciatis id ipſum contingere, quod vetulis jam cl. Mauriceau adnotarit, ut ſicciores ſcilicet durioreſque earum partes neceſſariæ dilatationi reſiſtant, pinguibus vero, ut viæ uteri comprimantur, & anguſtiores evadant, ut Riverius teſtatus eſt. Quid ſi claudicantes Mulieres ſint, gibbæque? In his nempe partes reſpirationi inſervientes male conformatas eſſe plerunque contingit, aut ſaltem plus æquo debiles, unde ſpiritus ad fœtus excluſionem neceſſarius cohibetur, in illis vero ipſa oſſa uterum ambientium vitio aliquo affecta, quo liber fœtus exitus præpediatur. Si calculis vexetur Mulier, tumoribuſque veſicæ, hæmorrhoidibus, an dolores eo uſque augere poterit, aut tanta vi premi, quanta opus eſt ad fetum impellendum? Id quod de reſpirationis vitiis multo magis eſſe intelligendum manifeſtius quidem eſt, quam ut ullis rationibus poſſit comprobari.

Dolores colici, iliaci, aut hyſterici.] Dolores nothi, qui feminis aliquando accidunt ſunt plerunque colici, iliaci, aut hyſterici, qui tamen a doloribus parturientium legitimis & optimis diſtingui poſſunt, ſi quod in hanc rem tradit Etmullerus (*k*) diligenter ſervetur, ut nempe dolorum partus ſit maxime proprium continuo ex lumbis incipientes ſecundum Abdomen deorſum protendi ad regionem pubis uſque, hinc clunes, & coxas occupare, & ita tremorem genuum inferre, qui ſpaſmorum eſt effectus. Quibus addendum, quod olim docuit Aetius (*l*), quem memorat Jo. Fortis, facilis ac ſecundum naturam futuri partus ſigna eſſe pectinis, & ſuperioris ventris gravitatem, pudendi ardorem, uterum ad inferiora procumbentem, os uteri hians dilatatum, & humectum, inguina, ac pubes prætumida, aſſiduam mejendi cupiditatem, copioſum humorem effluentem, mox tenujorem ſangui-

(i) *loc. cit.* (k) *V. Hallen. art.* 1451.

(l) *Tetr.* 4. *ſer.* 4. *cap.* 22.

guinem, & tandem fętum. Quoties autem ii ſuperveniunt alii abeſſe plerunque ſolent, niſi ſimul conjuncti ſunt, veros tamen ac legitimos impediri adnotavit cl. Mauriceau (*m*), atque hac ratione partui nocere. Quid de morbis acutis judicandum, quos partum cruciatibus plenum, atque infelicis exitus parere, docuiſſe viſus eſt Hippocrates inquiens: *Mulierem gravidam morbo quopiam acuto corripi lethale?* Quinam autem ſint acuti morbi indicavit cl. Mauriceau, eoſque ad vehementem febrem, ad ſanguinis fluxum, ad frequentes convulſiones, dyſenterias, aliaſque ſimiles aptiſſime retulit: unde optime ab Etmullero dictum (*n*) tres eſſe circumſtantias præ reliquis, quæ partum difficilem periculoſum reddunt, fœtum mortuum, hæmorrhagiam partum præcedentem, aut convulſiones.

Variæ uteri affectiones &c.] Sed jam ad uteri vitia ventum eſt, quæ a variis morbis illum obſidentibus, tumoribus nempe, ulceribus, adſtrictionibus, obturationibus, aliiſque ejuſmodi deſumi ſolent, ſi Riverium audimus, a cauſis præternaturalibus oriundis; quocum tamen cl. Mauriceau minime conſentit adſtrictiones, obturationeſque aut naturales eſſe exiſtimans, aut ab aliquo præcedente morbo oriundas, ut tumore, apoſtemate, ulcere, carnis excreſcentia in ipſius collo, aut interno orificio, aut calloſa aliqua cicatrice a violento partu inducta, quem prius paſſa fuerit: Ad naturalem quidem refert pravum uteri ſitum, aut extraordinariam figuram, orificium nempe nimis anguſtum, durum, calloſumque. Qui revera maximi eſt momenti, cum certiſſimum & ipſe crediderim in Etmulleri ſententia, veras difficillimorum partuum cauſas non adeo dependere a pravis poſituris infantium in utero, quam a perverſo ipſius uteri ſitu: Quo enim majorem gravidæ fœtum geſtant, eo altius uterum in ventrem aſſurgere, cum cavitas pelvis non ſufficiat ad capiendum prægrandem uterum uno, vel pluribus infantibus ex omni parte abſolutis una cum ſecundinis, & humoribus repletum, exinde neceſſario ſequi ultra oram pelvis in cavitatem ventris uterum aſcendere, atque tum poſituram naturalem aut retinere, aut non: ſi retineat vocari uterum rectum, & bene ſitum, atque tunc acuminatam ejus partem recta tendere in cavitatem pelvis, fundum vero circa umbilicum verſari: Poſitura autem mutata huc, vel illuc aliquantulum inclinatum uterum obliquum, vel prave ſitum appellari, quorum inſigniores ſunt quatuor: primus quando os uteri nimis ſuſpenſum ab antica parte ad oſſa pubis adigitur, & infans capite in oſſa pubis facile impingens hæret immobilis, aut quod deterius eſt capite ſuper iſta oſſa tranſfertur. Secundus pravus uteri ſitus quando in ventroſis Mulieribus uterus pronus propendet ore ad os ſacrum converſo. Tertius quando fundus uteri in latere ſiniſtro paulo altius, vel demiſſius ponitur, ore ſpinam dexteri oſſis illii, vel pubis converſo: huic contrarius eſt quartus, & ultimus. Ex his, & hujuſmodi obliquis uteri poſituris oriri partus difficiles, unde Matris, vel infantuli utriuſque interitus ſequitur, niſi ſolertis obſtetricantis opera ſerventur. His ego addendum quoque traderem ipſam imperforationem, cujus ſupra meminimus, quamque Mulieribus accidiſſe oſtendimus ab ipſo Mauriceau memoratas (*o*), quæ ſine inciſione membranæ parere nequaquam potuerunt. Quid ſi membranæ fœtum involventes duræ adeo

N n ſint,

(m) *loc. cit.* (n) *V. Hallen. art.* 1461.

(o) *Cap.* 8. *com.* 2.

ſint, ut difficilius diſrumpi queant? Quod ſane impedimento quandoque eſt, ne ad exitum fœtus proxime accedat; aut citius quam par eſt iiſdem diſruptis aquæ effluant? Quid futurum ſit in eo caſu præclariſſimo conſtat exemplo Nobilis juvenis a Jo. Forti memoratæ, in qua completo jam naturalis geſtationis ſtato tempore, cum laxato uteri ore plurimum aquoſi humoris effuſum fuerit, tandem tenujor ſanguis, inter cætera ſymptomata partus difficultatem confirmatam fuiſſe tradidit (*p*), *cum ob humiditatis inopiam fœtus multo difficilius erumpere poſſit*. Quid ſi Molæ uterum occupent, aut Secundinæ prius ſibi exitum parent? Ab hoc potiſſimum fonte enormes ſanguinis hæmorrhagias exoriri, quibus in mortis diſcrimine & Mater, & fetus prope certiſſimo conſtituantur, niſi prompte excludatur proculdubio tenendum.

Fetus mortui, nimis debiles, grandiores corpore, capite, hydropici &c.] Si fœtus vitia contemplemur ea potiſſimum ad eumdem mortuum, putrefactum, aut labe aliqua infectum, aut morbo debilitatum referuntur. Ubi enim alterutrum eorum contigerit nihil virium conferre poſſe ad ſuam excluſionem manifeſtum eſt. Quid ſi grandiore corpore, aut capite ſit præditus, aut non ſoli, ſed plures in utero reperiantur (*q*)? Grandiores fœtus difficilius excludi, gemellorum partum laborioſiorem ut plurimum eſſe conſueviſſe adnotavit laudatus Riverius. Grandiores autem eſſe poſſunt naturæ vi, aut morbi cauſa, ut quando hydropici fiunt, aut monſtroſi formantur, ut cum bino capite præditi ſunt, aut duo ſimul uniti jacent, aut molæ alterique extraneo corpori adhærentes demonſtravit cl. Mauriceau, de quibus tamen ſi quis curioſius doceri velit adeat neceſſe eſt egregium Fortunii Lyceti tractatum, qui elegantiſſimis tabulis innumera, eaque pulcherrima Monſtrorum exempla contemplanda exhibuit (*r*).

Contra naturam exeuntes pedibus, manibus, &c.] Figura etiam, ſeu ſitus vitioſus fetus partui difficili plurimum tribuit. Quæ res clarius innoteſcet ſi nono circiter Menſe fœtum contemplemur, qui cum in utero ſederet, ut minus Matris venter ad plenitudinem creſceret capite, & collo inclinato genubus verſus genas, calcaneis ad nates retractis, manibus vel demiſſis, vel amplectentibus pedes impatiens tandem anguſti carceris caput elevat, ſpinam dirigit, manibus, & pedibus nititur, huc atque illuc volvitur, deorſum tandem ad os uteri prolabitur capite, manibus, & pedibus ſurſum erectis. Quid igitur ſi pedibus primo prodit infans, aut manibus, aliiſque indicatis modis? Fit hinc nimirum, ut egreſſo corpore orificium uteri internum circa collum ſe ſtringat, ita ut caput adhuc hæreat in utero. Tales fœtus Agrippæ dicuntur, quemadmodum Aetius docuit, quem omnes fere Medici ſequuti ſunt. Niſi hæc omnia contingant in vario manuum, & pedum niſu, circumvolutionibuſque, fieri tamen poteſt, ut funis per collum ducatur, & ſupra frontem reflectatur, ut Bartholinus animadvertit (*ſ*), quandoquidem idem ſupra frontem Embryonis naturaliter fertur, atque reflexus per occipitium decurrens, ut plurimum anteriore parte delabitur, & fœtus collum circumdans ad ventrem deſcendit, & in illo implantatur, ut fere Jo. Helvigius (*t*), & Harveus (*u*). Quo ſane fit, ut impli-

(p) *l. c.* (q) *V. cap.* 9. *com.* 10. (r) *Tract. de monſtris.*

(ſ) *l.* 4. *p.* 289. (t) *Schröch.*

(u) *Exercit. de partu apud Manget. Bib. Chir. T.* 3. *p.* 845.

plicet ſeſe, eumque trahat, intricetque funiculum, unde difficillime egredi poſſit, & interdum ſuffocetur. Quæ ne inconſulte dicta reputentur Harveus præſto eſt (x) inquiens: *Si itaque anteriore etiam parte delabatur, collumque circumdet, quia hac ratione brevior evadit fœtum retrahendo, vel ſimul ſecundinam cum fœtu ad exitum rapiendo partum reddit difficilem, immo in ipſo egrediendi conatu Embryonis fauces laquei inſtar conſtringit, eumque ſtrangulare poteſt*: ut ſilentio prætercam, quod in eamdem rem tradidit Etmullerus (z): *Ex parte fetus fit laborioſus partus, ſi funiculus umbilicalis, qui cingit communiter frontem fetus aliquot gyris ſit circa collum circumvolutus, ita ut quaſi laqueo ſuffocandus prodeat*. Quid ego aut Hildanum commemorem (a), aut Rodericum a Caſtro (b), aut Thomam Bartholinum (c), aut Bauhinum (d), aut Mellium (e), alioſque, qui collis fœtuum circumductos umbilicales funiculos, ſtrangulatoſque vidiſſe teſtati ſunt, ſi pro his aliiſque innumeris ſat aperte loquatur Bonhius (f) cum ait: *Accedit quod luctuoſa aliquando ſatis teſtatur experientia funiculum umbilicalem collo fœtus naſcentis ita circumvolvi, ut in ipſo hujus enixu incongrue tenſus illum brevi extinguat?*

Intempeſtivi, & inordinati Matris motus &c.] Quamvis circumvolvi facillime ob pueri converſiones Hippocratis mentem explicans notavit cl. Zuvingerus (g), quia, ut ſuperiori capite vidimus (h) cum circumagatur funiculum umbilicalis in utero, dum puer volvitur, idcirco ſępius evenit cervicem, aut jugulum ab eo intercipi, & irretiri: *tunc vero & Matrem in partu laborare, & puerum aut interire, aut difficilius exire* (i), implicationibus tamen intempeſtivos, & inordinatos motus Matris tribuere ſentiendum eſt. Hinc ſcite Riverius (k): *Motus parturientis intempeſtivi partum retardant, cum illa ubi opus ſit ſtare, decumbere renuit, vel inopportune agitatur, unde contingit fetum vel non poſſe exire debita figura, vel illam amittere ob Matris motus præpoſteros*: id quod vel delicatis nimis ſenſibilibuſque Mulieribus contingit adnotante Jo. Forti (l), quæ varie ſe jactant, & inordinatim movent, aut quemadmodum oſtendit cl. Mauriceau (m) dolorum metu minus vires ſuas exerunt, ut fere illæ ſolent, quarum dolores leviores ſunt, aut rarioribus intervallis recurrentes, quo fane conſequitur, ut fetus vel ſecundum debitam figuram exire non poſſit, vel ob præpoſteros Matris motus illam amittere, vel nullo adjuvante Matris niſu difficillime egredi. Intempeſtivis motibus minus peritæ obſtetrices præ cęteris plurimum tribuunt, quæ ut egregie ſubdit Riverius (n) *juſto citius parturientes incitant ad conatus expulſionis, & ſpiritus cohibitionem, dum adhuc ligamenta fœtus utero firmiter adhærent: unde virium exſolutio ſubſequitur, quæ poſt-*

(x) *loc. cit.* (z) *T.* 2. *p.* 883.
(a) *Cent.* 4. *obſ. chir.* 57. (b) *Exercit. Medic.* 21.
(c) *lib. anat. reform. c.* 27. (d) *Apud Schenkium lib.* 4. *af. med.*
(e) *lib.* 3. *pag.* 297. *cap.* 9.
(f) *Diſſert. de renuntiat. vulner.*
(g) *In not. ſup. Hippocr. apud Foeſium p.* 319.
(h) *Com.* 10.
(i) *Hippocr. de octim. part. p.* 258. *n.* 30.
(k) *Prax. med. lib.* 15. *c.* 18. (l) *l. c.* (m) *l. c.*
(n) *loc. cit.*

poſtmodum in ipſa partus hora non ſufficiunt . Immo vero dum Obſtetrices parturientibus premature perſuadent tempus pariendi inſtare, ſit ut illæ omnes vires ad excernendum fetum intendant, & ſæpenumero vaſis violenter divulſis in non leve diſcrimen præcipitentur.

Decubitu in ventrem aere frigido &c.] Quid ſi male decumbat parturiens? Qualis eſſe debeat decubitus egregie docuit Hippocrates, quo loco inquit : *Lectum jubeto ad caput ſublimem habere, ut declivis ſit in pedes, animadverſione habita, ne prona ſit homo ipſa* (*o*) . Quid ſi dolorum impatiens in ventrem vertatur, & frigido rigidoque aeri ſeſe exponat, coxis, & cruribus in libera contractione poſitis, ſpatio inter ſtratium, & vulvam vix relicto, ut fœtus ſine noxa prodire poſſit ? Si uterum in partu ſeſe colligere, & conſtringere ad excluſionem fetus, & ſi nimia fuerit illa conſtrictio, ac fœtus corpus tenellum vehementer comprimat eum ſuffocare poſſe Riverius teſtatus eſt (*p*), quæ damna, quæ pericula ex uteri compreſſione in ventrem jacente Muliere? Gravia eſſe, & lethalia, ejuſce collocationis incommoda facit potiſſimum non ſolum retundi ab ea, & deludi vim, ac niſum illum, quo ſibimetipſi molitur exitum fetus in partu, ſed uſque adeo violentis, & crebris in ventrem preſſionibus puerperæ ventrem obiici, ut| cum hæc in atrocitate dolorum irrequieta, & impotens ſui circumagatur calcitret, ſurat; tunc etiam graviſſime laboret in utero fœtus; in partu vero compreſſus inter ſtratium, & corpus Matris facillime ſuffocetur, & pereat. Quæ pernicies abeſt a frigore? Totum inhorreſcere corpus experimur, ſtridere dentibus, convelli. En Hippocratem (*q*) : *Frigida ſemper convulſiones provocant* : & alibi (*r*): *Flatus oritur e terra, qui frigidus eſt, & ſiccus, & mortificans, indurans, & exſiccans*: & de natura pueri (*ſ*) : *Frigus indurat, quæ in ventre ſunt*. En Hoffmannum (*t*) : *Aer nimis frigidus ad affectus ſpaſmodicos diſponit, & vaſa coarctat*. En ſpeciatim Riverium (*u*) : *Sic aer frigidus & ſiccus, & flatus aquilonaris parturientibus valde infenſus eſt, quia totum corpus conſtringit, ſanguinem, & ſpiritus ad interiora repellit, & infanti a tepentibus illis locis exeunti valde noxius eſt*.

Graviores animi curæ, metus præſertim.] Triſtiſſimos graviorum animi affectionum effectus in gravidis Mulieribus vidimus capite ſuperiori (*x*), oſtendentes retardari potiſſimum ſanguinis curſum, hinc in uteri vaſis ſubſiſtere ea ratione, qua aut diſrumpantur, ut plus quam par eſt in extremitatibus dilatentur, unde hæmorrhagia, & abortus. Si vero hæmorrhagiam, & abortum promovere valent, cur mechanicam uteri ſtructuram, aut fetus motum, & ſitum, aut matris ſpiritum afficere ea ratione non valeant, qua naturalis partus ordo perturbetur? Præterquamquod hæmorrhagiam, & abortum necem fetus inferre poſſe ex dictis adeo manifeſta res eſt, ut manifeſtior ſit nulla.

III. *Partus difficilis ſi diu protrahatur & matri, & fetui necem plerumque infert.*] Egregie docuit Hippocrates (*z*) : *Puer cum partus inſtat, laborare incipit, & in periculum venire, cum in utero vertitur*. Licet enim magnam ſpem

(o) *juxta verſion. Marin. p.* 103. (p) *Cent.* 2. *p.* 487. *obſ.* 7.
(q) *l. de fractur. p.* 191. *n.* 37. *Marin.*
(r) *De morb. popul. ſect.* 5. *p.* 143. (ſ) *in com.* 6. *p.* 68.
(t) *Tom.* 3. *p.* 105. (u) *l. c.* (x) *com.* 10.
(z) *De octimeſtr. partu ex verſ. Foeſ. p.* 258. *n.* 30.

ſpem fortunati exitus faciat in partus diſcrimine rectus infantis ſitus, qui plerunque talis eſt, cum dorſo vertebris lumborum matris obverſo, cruribus decuſſatis, manibus ad genua poſitis, naſo pugnis interjecto infans ſedet, ut oſtendit cl. Deventerius (*a*), licet juſta collocatione in cubili, aut ſella ad pariendum mater componitur, locus eligitur bene munitus, & purus: arcentur injuriæ aeris præſertim frigidi: adſunt Mulieres ſociæ comiteſque laborum, quæ puerperam fulciunt, recreant, fovent, confirmant: aſſidet obſtetrix, quæ prodeuntem fœtum humaniter excipit: momento tamen ſæpe omnis ſpes bona excidit, cum & recti ſitus in pravum perquam facilis mutatio ſit, & ad rectum ea ſe inſperato adjungant, quæ puerum de vitæ ſtatu, antequam naſcatur, dejiciunt. Quid porro ſperandum in eo caſu, in quo licet uteri poſitura ſit percommoda, fœtus tamen in illo prave ſeſe vertit? Nil facilius eſſe, quam ut funiculo ſtranguletur notavit Helvigius (*b*), compreſſis vero umbilicalibus vaſis in anguſtiis viarum colli uteri, & vaginæ ea ratione, qua ſanguinis circuitus præpediatur, ut animadvertit cl. Deventerius, breviſſime exanimatus infans excedat e vita. Quid ſi funiculus, & infans a frigore occupentur? Tanto citius ſiſti ſanguinis circulum, & convulſione oborta perire ex ſuperius dictis manifeſta res eſt. Quid ſi convellantur vehementius feminæ, pedibus calcitrent, ac præ doloribus fere ad inſaniam redigantur? Sub iis nempe immoderatis motibus funiculum umbilicalem diſrumpi, aut fœtum etiam ipſum convulſiones ita corripere, ut dilacerato funiculo intereat in ipſo partus exitu, dilaceratum funiculum ſecum ferens ſentiendum eſt. Apte cadit in hunc locum, quod tradit Fabricius Hildanus de duabus Mulieribus ex partu laborioſo extinctis, in quibus uterus diſruptus inventus eſt, & caput infantis in ventris capacitatem demiſſum. Quo ſatis conſtare poſſe conſtituit cl. Riverius (*c*), quantus ſit validi fetus impetus ad ſui excluſionem molienдам. Quid ſi membrum aliquod, manus, pes, genu, cubitus, vena umbilicalis, manus una cum pedibus, ſive tranſverſus infans ejiciatur? Quid ſi hæmorrhagia a conatibus, ac niſubus ſuperveniat, ut alibi dictum eſt (*d*)? Quid ſi uteri inflammatio (*e*)? Sed nullum propemodum dicendi finem faciam, ſi ſingula velim perſequi, quæ mortem & fœtui, & matri inferre poſſunt, cum Avicennas jam aperte docuerit, quod ſi Mulier quatuor diebus in partu laboret, vix fieri poſſe, quin fœtus moriatur, aut mater aliquid mali patiatur. Quod narrat Hollerius gravidæ cuidam manus fetus per umbilicum erupiſſe, & quidem quindecim diebus ad partum uſque, ſalva matre, vivo; & vitali fœtu, inter rariores caſus referendum eſſe, quibus confidendum non eſt, optime animadvertit Jo. Fortis (*f*).

IV. *Patet hinc ea omnia, quæ partum difficilem efficiunt, eadem & fetum extinguere &c.*] In partu difficili quomodo fœtus extingui queat hactenus demonſtratum eſt: interdum etiam ante labores partus ex cauſis abortum provocantibus mori, & ſi nondum determinatum pariendi tempus attigerit abortum facere, ſi vero ad illud tempus pervenerit, partum difficilem, quia ad legitimum, & naturalem partum fœtus cum Matre cooperari debet, ut e car-

(a) *Op. Chir. nov. lum. cap.* 23. *p.* 75.
(b) *Ap. Jo. Manget. Bib. med. pract. t.* 3. *lib.* 14. *p.* 845.
(c) *loc. cit.* (d) *Cap.* 3. *com.* 3. (e) *Cap.* 6. *com.* 3.
(f) *loc. cit.*

e carcere ſuo egrediatur, adnotavit laudatus Riverius. Hinc omnes cauſas quæ partum difficilem efficere valent, ſi majores gravioreſque ſint fœtum extinguere poſſe non immerito opinatus eſt.

V. *Excluſo fœtu ſecundina quandoque retinetur, unde æquale vitæ periculum &c.*] Plerique Medicorum fœtus, ac ſecundinæ retentionem valde pertimuerunt, quod per aliquot dies in utero morantes fœdam putredinem acquirunt, unde febris acuta, nauſea, lypothymia, dyſpnœa, ſudor diaphoreticus, extremorum frigiditas, hyſterica ſuffocatio, epileptici inſultus, & mors tandem ſubſequitur. Quod tamen non adeo conſtans eſt, ut in dubium revocari non poſſit, cum obſervationibus non paucis compertum ſit fœtus jam mortuos, ſecundinas diu in uteri cavitate ſervari poſſe nullo fere ægrotantium diſcrimine. Has tamquam raros caſus, ut notat Riverius (g) numero collegit Skenchius, & tranſcripſit Sennertus de multis Mulieribus narrans, quibus fetus in utero mortui, & corrupti ſunt, officula vero per uterum, alvum, veſicam, & tumorem in Abdomine apertum excreverunt. Alteram idem Riverius ſubdit, quæ omnia fœtus oſſa per umbilicum excrevit, & poſtea coaleſcente umbilico perfecte reſtituta eſt. Qui hæc diligenter teneat minus mirabitur duas hiſtorias a Jo. Forti referri (*h*), alteram Benedicti, Langii alteram, quarum illa conſtat Mulierem per tres integros Menſes, hac vero per annos fœtum corruptum in utero continuiſſe ſuperſtites. Quo loco quæſtio occurrit inter Medicos. Non defuerunt enim ſubtiliores Medici, qui acquieſcere non modo potuerunt obſervationibus, quibus compertum eſt ſecundinas, fœtus mortuos diu in uteri cavitate corruptos ſervari poſſe nullo ægrotantium diſcrimine, ſed ne iis quidem, quibus ſtabilitum eſt Menſes, Lochia ſumme fœtida contineri, quin inſignis inflammatio, aliique graviſſimi morbi proficiſcantur, niſi forte ab exteriore aere optime munita incorrupta ſerventur. Hinc fœtuum abortu natorum meminit quidem cl. Mauriceau (*i*), qui Menſe plus uno jam mortui in ventre jacebant, ſed qui vix ulla corruptionis præbebant inditia; alterius quoque, qui ad quinque uſque Menſes emortuus a Matre geſtatus fuit, ſed abſque ulla inſigni corruptione. Fetum etiam mortuum memorat Hildanus, qui trium Menſium ſpatio in utero ſervatus eſt, ſed incorruptus: deſcribit & alterum Elias Camerarius, qui in quatuor fere Menſium ætate conſtitutus ad partum uſque naturalem fetum alterum comitatus eſt nullo prorſus aut fratris, aut matris detrimento, ſed corruptionis expers, & propterea quod ab externo aere munitus, ut cl. viri Boerhaavius, Queſnay, la Mothe aliique, quos memoravimus oſtenderunt. Quid de obſervationibus dicendum, & quæ in E. N. C. extant, & Kerkringii, & Ruyſchii, quorum alibi meminimus (k), quibuſque conſtat placentam aut in fruſtula diviſam, aut integram, & incorruptam, aut aridam, & ſiccam per quadraginta & ultra dies, quatuor poſt Menſes, per annum, & dimidium foras profiliiſſe? His tamen quemadmodum explicandæ ſint obſervationes a nobis prius allatæ viderint alii. Parum ne videatur officula vidiſſe cl. viros per uterum, veſicam, & tumorem in Abdomine apertum per umbilicum excreta, & poſtea omnibus hiſce partibus coaleſcentibus Mulieres in priſtinum valetudinis ſtatum reſtitutas fuiſſe? O ſingularem illarum Mulie-

(g) *loc. cit.* (h) *l. c.* (i) *Vid. cap. 6. com. 3.*
(k) *cap. 6. com. 3.*

lierum felicitatem, quibus lacerationes, rupturæ, abſceſſus, ulcera viſcerum mirabili prorſus naturæ opere perſanata ſunt! Quibus rite perpenſis illud citra ullius erroris ſuſpicionem affirmari poſſe videtur, fœtus mortui, ſecundinæ retentionem ſemper periculi plenam. Niſi enim corruptio dictis de cauſis contingat, at illud ſaltem pertimeſcendum eſt, de ſecundina ſpeciatim loquendo, ut adeo uteri parietes diſtendat, ut naturalem extremorum vaſculorum, quæ placentæ avulſione aperta ſervantur corruptionem, atque coarctationem impediant, aut eoſdem in continuas nunquam intermiſſas, atque effrænes contractiones ſollicitent, quibus ſanguis vi utque impetu ex apertis eorum orificiis ejectus inſignes hæmorrhagias cieat non prius definentes, quam ejecta una vel altera maſſa carnoſa non ſolum ab integra placenta, ſed a nonnullis ejuſdem laciniis, & ſucco nutritio in iis per calorem condenſato repetenda, ut ſupra a nobis eſt demonſtratum (*l*). Quid de inflammationibus uteri dicam, quas relicta ſecundina ob violentam uteri contrectationem, quæ ab imperitis obſtetricibus fieri plerunque ſolet ad ejuſdem extractionem moliendam non raro ſuccedere citato loco oſtendimus, Niſi hæc triſti fato contingant, ſuppuratio præcaveri vix poteſt, quæ non omnis periculi expers eſt. Sed plura inferius, ubi de ſecundinæ extractione.

VI. *Si partus difficilis accidat Matris debilitate alimentis reſtaurantibus, vino &c.*] Medicamenta, quæ paſſim in partu difficili, ac laborioſo adhiberi ſolent a Medicis vix percenſeri numerando poſſunt. Inter interna omnia ex Cinnamomo deſumpta, aqua, pulvis, eſſentia, crocus ejuſque extractum, dictamus creticus, myrrha, & trochiſci ex eadem parati, Eryſimum in vino, decoctum Leucoji, Sabinæ, Filicis, Ariſtolochiæ, ſuccinum, & ex iiſdem elicitum oleum cum vino, aut aliquo liquore, cordialia cujuſvis generis valida, pulvis ſecundinarum, teſticulorum equi, mithridatum cum aqua ſucci Meliſſæ, tot. citr. ſcorzoner. theriacal. quibus elixir vitæ addunt: Inter externa ſternutatoria ex pyrethro, helleboro, pipere longo, caſtoreo, unctiones externæ ex oleo quidem ſuccini umbilico, ventri ex oleo lilior. albor. amygdalar. dulc. ſemin. lin.: fomenta ex plantis emollientibus, nec non origano, pulejo, calamentho, artemiſia, ſabina, lavendula, feniculo, & ſimilibus, quæ paſſim ab Hipppocrate, Aetio, Oribaſio, Celſo, Camerario, Riverio, Geſnero, Amato, Jo. Forti, Augenio, aliiſque varie mixta, ac præparata commendantur. Pro amuletis vero lapis Aetites, ideſt Aquilinus in nido Aquilæ repertus femoris internæ parti prope pubem alligatus, gagates, pyrites, exuviæ ſerpentum plantis pedum appoſitæ, oculi leporis Menſe Martio capti ſtudioſe exempti, & cum pipere, in orbe exſiccati, aliaque id genus, quæ a Rhaſi, Serapione, Dioſcoride, Plinio, Æliano, Ficino, Hartmanno, Valeriola aliiſque recenſentur, quæque adeo eximias habere vires ad fœtum cum vivum, tum mortuum, & ſecundas expellendas reputantur, ut ſi diutius relinquantur, & uterum plane propellant. Non eſt cur hiſce aut ridiculis, inanibuſque, aut ſumme activis, & ſpirituoſis medicamentis diutius immoremur, cum jam de his ſatis ut arbitror dictum ſit, cum de Molis ageremus (*m*). Nunc innuiſſe ſufficiat peſſimæ ægrotantium incolumitati conſuli, ſi ea quæ pellendi virtute ſint prædita nullo habito cauſarum diſcrimine in uſum vocentur, & Mu-

(l) *Ibid.* (m) *Cap.* 8. *com.* 17.

Mulieribus varie in partu laborantibus exhibeantur. Ad cauſas nimirum ſummo ſtudio, omnique animi contentione attendendum, & ubi cognoveris partum laborioſum, difficilem a ſolidarum partium laxitate, a ſpirituum inertia, atque ſegnitie pendere, quod a Matris debilitate facile conjicies, tunc haud inficias ire auſim vinum generoſius, cardiaca medicamenta ſupra recenſita locum habere, licet a mitioribus ſemper exordiendum traderem, ut ſunt aqua ſuc. Meliſ. Cinnam. confect. hyacinth. &c.

Quibus ſucceſſu temporis ſi dolores ſegniores ſint, levioreſque, clyſteres addantur ex ol. Chammom. &c.] Neque invitus etiam conceſſerim Clyſteres non ſolum emollientes, ſed irritantes locum habere, cujuſmodi ſunt, qui ex decoctione carminativa parantur addita Colocynthide, eaque omnia, quæ ſolidas concutiendi partes, fluidorum vero orgaſmum, ac rareſcentiam ciendi virtute donantur, unde ſpiritibus materia præbeatur ad vires erigendas, atque hinc partum promovendum apprime commoda, & neceſſaria, dummodo tamen a levioribus, ſegnioribuſque doloribus indicentur, quos & accelerare ad partum opus eſt, & majores reddere. Ejuſmodi ſunt boli ex dictam. cretic. pul. trochiſ. de myrrh. borac. miner. decoctum dictam. Cretic. Croc. flor. lilior. albor. pulvis Heurnii, Tulpii, teſticulor. equi, ſecundinar. aliaque, quæ paſſim deſcripta ſuo loco extant (*n*).

VII. *Si tenella ſit, & anguſta &c. ante partum, & in partu ſoli clyſteres ex decoctione althe. &c.*] Quid porro mali pertimeſcendum non eſt, ſi ſpirituoſa hæc, acria, atque extimulantia medicamenta in uſum vocentur in eo caſu, in quo partes, per quas tranſire fetus debet plus æquo anguſtæ, atque adſtrictæ ſint? Tunc enimvero ea in uſum vocanda, quæ laxandi, atque emolliendi virtute ſunt prædita; cujuſmodi ſunt clyſteres ex decoctione alth. mercurial. lilior. albor.; peſſaria ex butyro, adipe anſerino, oleum amygdalarum dulcium, & ſi plethorica ſit mulier venæ ſectio ex brachio primum, mox pede. Hinc quæſtio eſt inter Medicos, nolentibus aliis detrahendum eſſe ſanguinem, aliis vero contendentibus quo ex loco mittendus. Quæſtioni anſam dedit Hippocrates, qui venæ ſectionem in partibus inferioribus his verbis proponit: *Si vero prægnans multo tempore cohibeatur, & parere non poſſit, ſed diebus pluribus ex partus labore laboret, ſit autem juvenis, & in vigore, & multo ſanguine referta, ſecare oportet venas in malleolis, & ſanguinem detrahere virium reſpectu habito.* Quod pleriſque minus placuit adnotante Riverio (*o*), ceu remedium maxime reformidandum, cum in partu vires, quæ venæ ſectione infringi poſſunt ſint omni diligentia, ceu ad partum neceſſariæ ſervandæ. Hos tamen & falſa ſentire, & ignorare prorſus, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, ac perutilia oſtendit laudatus Riverius, docens ſi a plethora pariendi difficultas oriatur, quod innuere voluit Hippocrates, inquiens: *Si Mulier ſit juvenis, & in vigore, & multo ſanguine referta, dubium non eſſe quin maxime conferre poſſit, cum venæ plurimo ſanguine refertæ omnes vias interiores anguſtiores efficere ſoleant.* Sed non levior contentio, ubi ad locum mittendi ſanguinis ventum eſt. Hippocrates enim venas inferiores ſecandas eſſe tradidit, eumque ſectatus eſt Riverius pro venæ ſectione ab Hippocrate propoſita acriter dimicans, nihil de loco differens. Cum ex ſaphena quoque ſanguinem mittendum eſſe docuerint Jo. Fortis, & Mauriceau in Molæ expulſione; quæ laborem ac difficulta-

tem

(n) *Vid. Cap.* 8. *com.* 15. (o) *L. c.*

tem non leveſh conjunctam habet, ut ſupra vidimus (*p*), eo res adacta, ut communi fere Medicorum conſenſu ſtatutum ſit, ubi ſanguis in partu laborioſo, ac difficili mittendus, ex venis inferioribus mittendum eſſe procul dubio aſſeruerint. His tamen minime aſſentitur Jacobus Meſnard (*q*), qui ſanguinem ex brachio mittendum ſuſtinet, ac tum præſertim cum os uteri non a natura, ſed a ſanguine uberius in uterum influente anguſtum factum ſit: quo ex loco repetitis vicibus educendum eſſe jam & ipſi nos oſtendimus, ſi plethorica fuerit Mulier, ac ſolum ſaphenam ſecandam cum depletis vaſis ſanguinis curſus ad inferiores partes accelerandus eſt, ac partus procurandus.

VIII. *Si abſque hymenis laceratione graviditas contigerit, aut os uteri cicatrice aliqua &c.*] Qua ratione, aut modo Mulieres abſque hymenis laceratione gravidæ fieri poſſint arduum adeo, atque inſolens explicatu videtur, ut niſi ſolertiſſimi Mauriceau obſervationes aliter ſuaderent ad aniles fabulas referendum id eſſe plerique non immerito conjicerent. Ad hujuſce rei ſtatum melius intelligendum nonnulla in memoriam ſunt revocanda, quæ ſupra dicta ſunt (*ſ*) de ſterilitatis cauſis, ex quibus conſtat laudatum Mauriceau juvenculas plures vidiſſe, quæ licet nullum verum, realemque pudendi virilis ingreſſum viris conceſſerint, eorum tamen ludis, ac jocis ſe gravidas deprehenderunt. Cujuſce quidem præclari phænomeni rationem ſubtilius perquirentem eam in utero ad externum vulvæ ingreſſum vi actus venerei accedente, majorique tunc impetu ejaculante viro ſemine, ab utero eodem recepto repoſuiſſe, dummodo recta linea externum orificium verſus ejiciatur, cui ad amuſſim reſpondet internum, oſtendimus. Neque ulla ratione obſervationibus deceptum, cum poſt conceptionem hymenem in Mulieribus integram omnino, atque parum adeo perforatam deprehenderit, ut vix digiti auricularis extremum introduci poſſit, in altera vero vix ut calami Scriptorii capacitatem æquaret, præſertim cum digitorum ope hymenem non modo exploraverit, atque ejuſdem capacitatem detexerit, quæ callidis nonnullarum artificiis inſigniter imminui poteſt, ſed in iis viris expertum id fuerit, quæ eamdem dirumpere nulla ratione potuerunt. Quid ſi diſrupta jam hymene, & conceptione fecundum conſuetas naturæ leges jam peracta cicatrice aliqua os uteri coaluerit? Quænam impellentia, aut alia ad partum promovendum medicamenta in uſum vocentur? De hymenis laceratione vix ſuppetunt, quæ dicam, cum rariſſimum ſit id evenire, ne nulla ratione fieri poſſe dicam cl. Mauriceau inſigni veneratione proſequens, qui id ſe deprehendiſſe teſtatus eſt (*t*), ſi vero oris uteri coalitus partum difficilem efficiat, nihil meo quidem judicio præſtandum traderem, ſi illud excipias, quod in ſterilitatis curatione ſupra dictum eſt (*u*), ut nempe chirurgica ſectio inſtituatur iiſdem omnibus ſervatis cautelis, quas ne repetendo obſcuriores reddamus legi citato loco malumus, quam hic denuo referri.

IX. *Si tardus ſit partus nullo autem graviore ſymptomate comitatus, frequenter Mulier deambulet &c.*] Nemo ignorat tempore partus jam jam imminente dolores lumborum, ac inguinum cum vi deprimente per vices ingruentes ſentiri, & humorem aliquem glutinoſum profluere, qui cum ru-

O o be-

(p) *Cap. 8. com. 16.* (q) *Cap. 6. art. 5.* (r) *L. c.*
(ſ) *Cap. 8. com. 2.* (t) *L. c. com. 10.* (u) *L. c.*

beſcere incipiat certiſſimum partus indicium eſt : Genuinos dolores a ſpuriis tactu dignoſcere callidæ obſtetricis eſt, cum ſpurii uteri os arctius conſtringant, genuini vero illud dilatent. Si hi per intervalla Mulierem corripiant, recta autem fit uteri, ac infantis poſitura, nonniſi ſolius naturæ auxilio opus eſſe, atque obſtetrice, ut fœtum exeuntem humaniter excipiat, & funiculum umbilicalem abſcindat manifeſta res eſt. Si vero ſegnius invadant dolores, levioreſque, & partus in longius tempus protrahatur nullo inſigni gravique Mulieris incommodo, dolores naturales ſuo tempore, & modo inſtar nimbi irruentes expectandi, quibus ventris, & inteſtinorum muſculi adſtricti tantam depreſſionem, impetumque in uterum faciunt, quaſi a corpore expellendus eſſet, quorum dolorum impulſu aperiri uterum, ac fœtum in oſtium expelli, & Mulierem partum edere deprehenſum eſt : ideoque Mulieres brachiis ſuſtentatæ confirmandæ, recreandæ, a medicamentis propellentibus abſtinendum, aqua rumpenda non eſt, ut fere minus peritæ obſtetrices facere plerunque ſolent, adverſus quas altiori voce exclamavit cl. Harvæus, eaſque, ut alibi vidimus (x) juſtiſſimis objurgationibus increpavit.

X. *Si partus difficilis, ac laborioſus hæmorrhagiam uteri inducat, tunc fetus ſtatim extrahendus &c.*] Vid. caput 3. com. 5.

XI. *Si contra naturam poſitus ſit infans totum perito pariter Chirurgo opus committendum.*] Si loco capitis altera ſolum manus, pes, genu, cubitus, vena umbilicalis, aut manus una cum pedibus prodeant, aut tranſverſus ejiciatur infans grave periculum & matri, & fetui impendere ſupra oſtendimus. Quocirca omni ſtudio curandum eſſe Medentes uno ore affirmant nullo modo ejuſmodi partum excipiendum eſſe, ſed in uterum retrudendum, & ad legitimam formam convertendum. Id fieri paſſim contendunt puerperam in lecto ſupinam collocando, capite demiſſo, & clunibus elatis, ventrem poſtea verſus præcordia blande ipſis comprimendo, & in uterum fetum ipſum compellendo : tandem occaſionem infanti miniſtrandam eſſe alia forma exeundi artificioſa manu procurando, ut faciem tergo Matris obvertat, dein nates, & crura verſus Matris umbilicum elevet, & ad legitimum partum acceleret. Quæ quamvis perbelle dicantur, niſi tamen obſtetricandi artis peritia adſtiterit, credi vix poteſt, quam male parturientium ſaluti conſulatur. Exemplo ſit fetus, qui alterutro pedis, aut utroque primum prodit. Optime dictum eſt a pleriſque naturalem ſitum procurandum eum obvertendo. Sed ecquis id ſe facilius, ac tutius obtinere poſſe confidat, quam pedibus (ſi uterque exierit) trahendo? Major difficultas in eo ſita videtur, ſi alteruter tantum. Quærendum enim reſtat ſiniſter ne ſit, an dexter, & qua ratione ſitus, ut inde facilius appareat, ubinam etiam alter reperiatur, qui ſimul extrahendus eſt : Sed ſi forte obſtetrix, aut Chirurgus introducta manu in pedem incidat alterius fœtus, nec plane id ſe offendiſſe aſſequatur, quid non periculi & Matri, & fetui impendere judicemus? An pes qui primum prodit obligandus, dum alterum diligentius perquirimus? An repertis pedibus una vice trahendus fetus nulla faciei habita ratione, quæ ſi pubem ſpectet, verendum eſt, ne mentum ab oſſe pubis præpediatur? An ad collum uſque exeunte fetu, capite vero grandiore exiſtente ſolis pedibus omni vi avellendus nulla oris dilatatione quæſita, an

(x) *Cap. 6. com. 3.*

an etiam niſu in humeros facto? Quid ſi in violento niſu caput a reliquo corpore ſeparetur, intuſque occluſum permaneat? An ſola manu ori intruſa, an uncinis in orbitam, aut aures immiſſis ejiciendum? Niſi autem præſtare id valeat an ſectio curanda, & ubi curanda videatur, qua ratione, aut modo? Quid ſi caput adhuc placenta obducatur? Hæc ne prius, quam illud ejiciendum? Sed jam fœtus alterutra, a utraque manu una cum capite exire primum cogatur. Unuſquiſque jam facile intelligit in uterum repellendam. Ecquando autem? Longe ne ab aquarum affluxu, nec ulla manus dilatantis ope? an doloribus veris, ac legitimis ſupervenientibus manus ejicienda, ut fetui locus præbeatur? Si ſola manus exeat, aut etiam integrum brachium aqua ne frigida, aut linteo aqua imbuto prædictæ partes tangendæ, ut vivo exiſtente fetu vi frigoris percitæ eædem cito retrahantur? Sed ecquis tantas habere vires fetum exiſtimet, ut ex ſe nulla Chirurgi ope præſtare id valeat? Vel ſi valeat ratione virium, ecquis ratione ſitus id efficere poſſe confidat? An manus introducenda, ut pedes inveniat, & una fetum dextere extrahat, an vero naturalis ſitus procurandus? Si primum facilius eſſe clare internoſcat, an manus intra membranas, & fœtum, an vero intra eaſdem, & uterum immittenda? Mortuo jam fetu exiſtente, an brachium ferro ſecandum, an vero variis contorſionibus a reliquo corpore prope articulum avellendum, ut nulla hinc oſſis durities uterum lædat? Jam & pedes, & manus ſimul interdum extra uterum egredi nituntur. Qua ratione pedes a manibus diſtingui poſſe cenſeas, cum arcte adeo ſimul invicem uniti ſint, ut eadem figura præditi videantur, & ubi id noveris an manus ſolum, vel pedes ſimul uteri fundum verſus propellendi? Si aquæ non ita pridem effluxerint, an pedes trahendi nulla obverſionis cura adhibita, an vero ſicco utero exiſtente caput ipſum, & manus repellenda, ut inde in naturalem figuram redactum exeat? Quid ſi genu primum prodeat? Quomodo a cubito diſcerni poſſe exiſtimes, quomodo a capite, ſi vix illud digitis tangas? Sed jam ore dilatato id aſſequeris: an ſinendum ut hac figura ulterius prodeat, an vero genu quoque projiciendum, ut pedibus ope digitorum inventis extractio perfecte contingat? Quid ſi homoplata uteri orificio aptetur? Quid ſi dorſum, ſi podex? Si primum an intus pellenda, ut caput in naturalem ſitum redeat, an vero curandum, ut pedes ſint præ manibus, atque ad exitum perducantur? Sin alterum jam nulla ratione exitum ſibi comparare poſſe fetum, immo in proximo ſuffocationis diſcrimine verſari tam ipſe intelligis, quam qui maxime. Pedum ne vero magis ſollicitus eris in extractione tentanda, quam capitis? Si tertium tandem, quibuſnam exire poſſe notis intelligas, & ubi exire nullatenus poſſe cognoveris; an per nates exitus procurandus, an vero podex projiciendus, & manu coxis applicata ad pedes uſque, iſtos educendos credas perinde ac ſi primum prodierint? Quid de partu judices, in quo ventrem, pectus, aut latera fetus apponit? An manus oleis oblinita introducenda, qua fetus repellatur, & inde totus obvertatur? Recte quidem. Sed cum caput ab ore æque diſtet, ac pedes, quo eamdem dirigas ut caput, vel pedes digitis apprehendas, atque ad exitum pares? Quamquam nonne tutius pedes exibunt? Perpende quæſo gemellos, eorum alterutrum manu, aut pede exire ſimul reputa. Putas ne optato extractionis fine potiri poſſe, niſi unius manum, aut pedem ab alterius manu, aut pe-

de clare dignoſcas? Quo modo autem dignoſcas, niſi manu immiſſa, quo tandem deſinant percipere ſcias, ut inde quinam prius extrahendus conſtituas? Funiculum quoque prius exeuntem contemplare, & an vivi, vel mortui fetus inditia præſeferat, diſtingue: Si vivi qua ratione intus pellendum exiſtimes, ne ulterius prolabatur, & infantis caput exire commode poſſit, quo tempore, quomodo ab externi aeris injuriis foveas, ſi denuo elabitur: elabente vero omni quantumvis adhibita diligentia, cum in mortis diſcrimine verſetur Mulier, & fetus, extractione ſubita per caput, an per pedes tentanda? Fetum monſtroſum & hydropicum animo, & cogitatione percurre, putas ne ſolam inciſionem rem omnem abſolvere? Si vero ſuffiçiat, quod in monſtroſo fetu, aut duobus ſimul arcte unitis difficillimum eſt, quomodo ſcindens ferrum injicies, qua arte elaboratum, quo dirigas, quas partes ſecueris? Sed nullum propemodum dicendi finem faciam, ſi ſingulos velim perſequi modos, quibus partus difficiles contra naturam contingunt, & in quibus ſummo obſtetricantium conſilio, dexteritate, prudentia, anatomica partium cognitione opus eſt, pelvis præſertim, ejuſdem capacitatis, & figuræ, oris uteri ſitus, ejuſdem ſtatus ante, & in partu, uteri deſcenſus ante puerperium, ut inſtantis partus ſigna ſilentio prætercam, naturalis, difficilis, pravæ infantis verſionis, ſitus, fœtuum numerum, inſtrumenta aliaque fere innumera, quæ cum olim a pleriſque Veterum Paulo Egyneta, Aetio, Celſo, Benivenio, Valeriola, Rouſſeto, Paræo, Carolo Stephano, Bauhino, aliiſque expoſita, nuperius vero dilucide explicata ab Henrico Deventerio, Franciſco Mauriceau, Puzos, Dionis, la Mothe, atque Italo noſtro Sebaſtiano Melli, qui hanc potiſſimum Chirurgiæ partem luculentiſſime petractarunt, partus difficilis cauſas clariſſime demonſtrarunt, & modum partus incommoda arte removendi ſignificanter indicarunt.

XII. *Si Mulier in niſu partus intereat, aut ante partum &c. ſectio periti ſemper Chirurgi manu &c.*] Chirurgica operatio, qua ſectis Abdominis tegumentis, & cæſo utero fetus educitur, cæſareo partui nomen fecit, qui duobus potiſſimum modis fieri olim conſuevit: Primum cum fetus, & mater viverent: deinceps cum mater mortua eſſet, & fetus viveret. De ſectione in ſecundo caſu variæ extant hiſtoriæ. Ita ab utero extractum fuiſſe Scipionem Africanum Plinius teſtatus eſt (*a*): unde primus Cæſar a cæſo Matris utero dictus fuit: Manlium item Carthaginem cum exercitu ingreſſum, ut refert Jo. Fortis (*b*): Sic Sanctium Navarræ Regem: Sic Villicam quamdam cum ob ulcus uteri parere non potuiſſet, viginti diebus ſine cibo, & potu perſtitiſſe, & ex eadem mortua extractum fuiſſe fetum ad Sacrum Fontem Fortunatum vocatum memorat idem Jo. Fortis (*c*). Sectio in priore caſu num ſit inſtituenda quæſtio eſt non levis momenti. Cum Mulieres in mortis diſcrimine prope certiſſimo conſtitutas nihilominus operatione cæſariana inſtituta adhuc ſuperſtites fuiſſe nonnulli deprehenderint, ad eamdem ut fetus vita ſervetur confugiendum eſſe aſſerere non dubitarunt. Ita fere Franciſcus Rouſſetus, qui plurimas hiſtorias refert, quatuor ab aliis relatas, ſex a ſe ipſo obſervatas, in quibus ſuperſtites ambo fuerunt, Mater ſcilicet, & fetus: ut eas ſilentio prætercam, quarum meminimus Skenchio, Sennerto, & Riverio præeuntibus, quibus conſtat Mulieres ſe-

(a) *Hiſt. nat. cap. 9.* (b) *Cap. de part. cæſar.* (c) *Ibidem.*

fœtibus in utero mortuis, & corruptis, oſſicula per alvum, veſicam, & tumorem in Abdomine apertum, umbilicum excreviſſe, & poſtea viſceribus coaleſcentibus perfecte reſtitutas fuiſſe. Contrariam tamen ſententiam alii ſuſtinent, & ab operatione cæſariana vivente adhuc matre ita abhorrent, ut nil crudelius, nil inhumanius, truculentius nihil præcipi poſſe facile opinentur. Ita autem opinantibus anſam dedit cl. Mauriceau, qui inhumanum, crudelem, ac barbarum morem Mulieres vivas ſecandi, ut fœtus vita ſervetur, altiori voce damnavit & e medio tollere quantum ei licuit conatus eſt. Neque ſane eum fallunt rationes multæ deſumptæ non modo a necis periculo, quod in ejuſmodi operatione Mulieribus impendet, ſed nece ipſa procul dubio conſequutura: quæ res rationes quæcumque a primis excogitari poſſint, nihili prorſus faciendas eſſe, facile evincit. Neque vero excuſatione digni videntur allato extremo Mulierum ſtatu, cum morbi non raro citra omnem expectationem ſolius naturæ opere ſolvantur: multo minus inducta ſpe poſſe adhuc mulieres poſt operationem Chirurgicam in priſtinum valetudinis ſtatum reſtitui, quod omnino falſum eſſe maxime nobilium Chirurgorum experientia compertum eſt, qui cum eamdem adhibuiſſent, funeſtam conſtanter fuiſſe ingenue confiteri non dubitarunt. Quo loco laudatus Mauriceau juſtis ſe laudibus æquare non poſſe teſtatur cl. Gulielmò, qui ut homines a triſti adeo, ac ſumme perniciosa methodo abduceret, eamdem ſe bis coram cl. Paræo inſtituiſſe ſummo cum dolore fatetur, eamque ab aliis peritiſſimis Chirurgis, qui eo nervos induſtriæ omnes intenderunt, ut ſecundum vota reſponderet ter celebratam vidiſſe, ſed lethali ſemper eventu. Mirum eſt inficiari Paræum operationem cujus meminit cl. Gulielmò celebratam vidiſſe. Verum id effeciſſe conſtat, ſi Mauriceu audimus, ne Poſteri ejuſcemodi ſævitiei eumdem indulſiſſe intelligerent. Obſervationes ſupra memoratas de fœtibus in utero mortuis, & corruptis, quorum oſſicula per alvum, veſicam, tumorem in Abdomine apertum, umbilicum excreta ſunt ſuperſtite Muliere tanti facit, quanti poteſt, ac debet. Mira eſt enim naturæ vis, ejuſque operandi ratio longe diverſa ab arte. Illa enim ſi viis conſuetis uti non poſſit, alias molitur, & dum ex apertis partibus extraneorum corporum excretionem promovet, eodem ipſo tempore, eaſdem nullo ſuperveniente ſanguinis fluxu conſolidat, atque ad cicatricem perducit. Quod de vulneribus arte excitatis affirmari non poteſt, per quæ inſignis ſanguinis copia ejici plerunque ſolet, præſertim ſi magna ſint, atque utero inflicta, ut fere in cæſariana operatione neceſſum eſt. Quæ potiſſimum effecerunt, ut cl. Paræus, licet inficiaverit ſe operationem, cujus meminit cl. Gulielmo celebratam vidiſſe, eam tamen nonniſi poſt Matris obitum inſtituendam eſſe ſcriptum reliquerit. Id quoque docere viſus eſt Riverius ipſe, qui poſtquam oſtenderit ſublata omni partus ſpe, aut etiam jam mortui proxima nonnullos Authores ad ſectionem Cæſarianam accedere, atque de ea quidem Franciſcum Rouſſetum elegantiſſimum ediſſe tractatum monuerit, ſubdit (*d*): *Attamen quia hæc operatio periculi, & terroris plena, raro, aut nunquam tentanda Medico prudenti, ſi nomini ſuo conſulere voluerit*. Franciſci Rouſſeti meminit & cl. Jo. Fortis (*e*) pluri-mas hiſtorias narrantis, quibus conatur oſtendere eamdem operationem poſſe aliquando ſuccedere, at periculoſiſſimam eſſe non modo affirmavit, ſed

cum

(d) *Pr. med. lib.* 15. *cap.* 18. (e) *L. c.*

cum conſulere eamdem potuiſſet in juvene nobiliſſima Orthopnęæ vi prope ad ſuffocationem ducta, & accedentibus ſtertore, & impedita prorſus deglutione morti quamproxima, puero adhuc vitali exiſtente, partum quidem Cæſarianum dubio procul in uſum vocandum conſuluit, a *Matre extremum ſpiritum trahente*, & paulo infra: *ultimo exhalante ſpiritu*. Rouſſeti meminit & cl. Mauriceau, at cum ſuſtinere pugnaciſſime voluerit memorato illo ſuo tractatu ante Matris obitum inſtitutam operationem ſervari ipſam poſſe temerarii, deceptoriſque titulo inſignivit. Sed quid hiſce rebus diutius immoremur? Cur eam operationem celebrandam eſſe judicemus, quam cum dubiam, atque ancipitem eſſe ille idem affirmat, qui eam proponit, tum vero lethalem eſſe plerique uno ore conſentiunt? Sed de rationibus altius adhuc repetitis, quibus liquido conſtare poteſt nullo unquam in caſu viva adhuc Matre operationem Cæſarianam inſtituendam eſſe ſi quis curioſius doceri velit, adeat laudatum Mauriceau, qui argumentum loculentiſſime pertractavit ſi quis alius. Cum vero inſtituenda eſt, de modo etiam docebitur, quo inſtituenda, qui in eo primum verſatur, ut Muliere jam morti proxima totum id præſto ſit, quod ad operationem neceſſarium eſt, deinceps, ut Matrem extremum ſpiritum trahente aliquid inter dentes intrudatur, & uteri oſculum ab obſtetrice apertum ſervetur non ob id potiſſimum, ut plerique tradiderunt, ne deficiente aere fętus in utero ſuffocetur, quod nullius putat eſſe emolumenti, ſed ne a veteri, communique conſuetudine recedentes omnem Medici muneris partem rite adimplere nullatenus videamur: deinceps ut cultro acutiſſima acie prædito, cujus deſcriptionem, ac figuram exhibet ænea tabula, confeſtim ad ventris inciſionem inter Muſculos rectos deveniatur, non tamen uſque adeo profunda, ſed ad peritonæum ſolum uteri longitudinis circiter, inde ſumma tantum cuſpide Peritonæum incidendum ad digitos ſiniſtræ manus intromittendos, quibus aliquantulum ſurſum peritonæum attollitur, ut dextera manu infinuetur ferrum ad ejuſdem, quod elevatum eſt incidendum ſecundum vulneris longitudinem, atque ut tota manus intro devolvi poſſit uſque ad uterum, qui æquali prorſus ratione ſecandus, ac peritonæum, curando quamdiligenter, ut leviter prima vice infigatur, & ſenſim pervadat, ut integre quidem, ſed tuto pertundatur, & aperiatur. Quæ omnia aliquibus fortaſſe Veteres ſumma veneratione proſequentibus arridere nulla ratione poterunt, qui primum ad lateris partem per ſiniſtrum Mulieris hypochondrium, utpote magis liberum, minuſque impeditum circa uteri eminentiam operationem inſtituendam eſſe autumant: deinceps ad credendum vehementer adducti cum ſint uteri craſſitiem eſſe duorum, aut trium digitorum, eamque in gravidis etiam ſervari, ad digiti craſſitiem novaculam prima vice infigi poſſe exiſtimant. Sed his primum reſpondetur rationibus a majori promptitudine deſumptis, qua operatio contingit inciſione in medio ventris inter duos muſculos rectos peracta, cum ſola tegumenti, albæque lineæ ſectio ſufficiat, quando ad lateris partem duos obliquos tranſverſoſque muſculos ſupra utrinque poſitos craſſitiem inſignem efficientes ſecari oporteret, atque propterea majorem ſanguinis copiam effundi, quod licet parvi faciendum videatur, quo uberius tamen ſanguis effluit, eo magis afferri impedimentum, quo operationem rite intueri Chirurgus poſſit perſpicuum eſt. Quid quod eodem teſtante Mauriceau uteri craſſities partus tempore monetam argenteam vix

æquet

æquet ea ſui parte excepta, cui placenta adhæret, quo in loco ſubſtantia donatur quaſi ſpongioſa, reliqua tamen ſubtiliori reddita, quemadmodum veſicæ contingit, quæ urina diſtenta tenuis apparet, vacua vero ad ſemi-digiti craſſitiem ſeſe prodit? Ex quibus apparet, ſi ad digiti craſſitiem ferrum prima vice infigatur ſummum ſubeſſe periculum, ne fœtus quoque ſectis membranis lædatur. Uteri ſectione peracta membranas quidem aperiendas, & digitis intromiſſis lacerandas, atque aquoſa excrementa excernenda, ſed cavendo diligentiſſime, ne fœtus lædatur, ut monuimus, omnes fere uno ore conſentiunt. Sed hæc ſatis de Cæſariano partu.

XIII. *Ubi ex prægreſſis cauſis fetum extinguentibus, atque ex ceſſante ipſius motu admota ad ventrem manu &c. fetum eſſe mortuum cognoveris.*] Fetus mortui ſigna colligi primum ex ceſſante fœtus motu admota ad ventrem manu, aut tepentium rerum applicatione perſpicuum eſt, quandoquidem inter potiora graviditatis ſigna ſenſibilem infantis motum recenſeri ſupra a nobis eſt demonſtratum. Idque ita verum pleriſque Mulieribus eſſe videtur, ut etiam nulla cauſa præcedente, qua fetus ægrotare queat, debilis plus æquo evadere, aut alia ratione male affici, ſi ejuſdem motum minime percipiant, ſtatim de ipſius morte ſuſpicentur. Quod ubi Medentes confirmatum habuerint rebus tepentibus admotis, & roborantibus, quibus ut ait Riverius (*f*) illius vis ſopita ſolet exſuſcitari, jam nullus ambigendi locus relinquitur, præſertim ſi cauſæ præceſſerint, quibus in vitæ diſcrimen fœtus plerunque adducuntur, quas ad acutam Matris ægritudinem, ad copioſam ſanguinis miſſionem, & inediam aptiſſime retulit Jo. Fortis (*g*), & exemplo didicit in Muliere, quæ cum gravida eſſet in octavo Menſe angina Cynanche acutiſſima correpta fuit, ex qua cum immineret ſuffocatio repetitæ, ac liberales venæ ſectiones celebratæ ſunt, cucurbitulæ ſcharificatæ variis locis appoſitæ inſigni tamen cum virium jactura, maxime vero quia affectionis, tempore parum, aut nihil cibi deglutire potuit, unde fœtus interiit. Quid ſi non hæc, ſed alterutra ex iis, quæ difficilem partum efficiunt prægreſſa prius fuerit, aut quæ abortum promovent? Res clare apparet ex ſupra allatis (*h*), ubi ea omnia, quæ partum difficilem efficiunt, eadem & fetum extinguere oſtendimus, eaque addenda, quæ abortum provocant, unde reciproca mortui fœtus, & partus difficilis cauſa.

Fœtum jam mortuum præter motus privationem indicare potiſſimum pondus ad latera, dum ab uno in alterum ſe Mulier convertit Hippocrates jam olim docuit (*i*): pondus lapidis diceres, qui ab una in alteram partem dilabitur. Quibus ſi accedit ventris frigiditas tactu ſenſibilis extincto, ut ajebant Veteres, calore nativo, & diſſipatis ſpiritibus, quæ in fetu continebantur, oculi concavi, faciei pallor, partium extremarum frigus, mammarum extenuatio, quam præ cæteris Hippocrates (*k*) & Celſus (*l*) ſupra citati memorarunt, jam fetus mortui ſuſpicionem foveri, aut confirmari tradunt omnes fere cum Veteres, tum Recentiores. Sed niſi fetidi odoris ex utero excretio contingat, quod nutreſcentis fetus inditium haberi conſuevit, atque inde conſequens ob elevatos vapores Abdomen inſletur, teter odor, & graveolens ſpiritus non ſolum ex ore matris, ſed etiam ex toto corpore exhalet, dictis vaporibus ad os ventriculi, & caput de-

(f) L. c. cap. 19. (g) L. c. (h) Com. 4. (i) De ſuperfet. 6.
(k) 5. aph. 54. (l) De re med. 7.

delatis certum capi poſſe argumentum fetus in utero mortui plerique tradiderunt. Sed ne his quoque omnino fidendum eſſe docuit Riverius (*m*), qui poſtquam jam dictas affectiones omnes numerando percenſuit, *ſi ante fetum Secundina excludatur, certiſſimum eſt*, inquit, *fetus in utero mortui inditium*. Et revera habuit, cur non immerito de aliis omnibus in non levem ſuſpicionem veniret. Si enim de motu ſermo ſit, quem percipere Mater aſſerit in fraudem facile induci poſſunt Medentes, ut cl. Mauriceau animadvertit, qui plures ſe vidiſſe Mulieres teſtatus eſt, quæ mortuos fetus pepererunt, ac ferme corruptos, quos pridie moveri ſe deprehendiſſe ajebant; alias e contra, quæ vivos fœtus ediderunt, quos plures ante dies jam mortuos ex ceſſante ipſorum motu dicebant, propterea quod diſruptis membranis, atque aquis effluentibus, ita quandoque uteri compreſſione fetus conſtringitur ut nulla ſui parte moveri queat. Fœtidi odoris ex utero excretionem quod attinet, quam certum mortui fœtus argumentum eſſe plerique voluerunt, eam equidem tanti facio, quanti potuit, ac debuit laudatus Mauriceau, cum ab aliquo effuſi ſanguinis grumo diu in utero contento oriri poſſit, quod nullum affert impedimentum, quominus vitam vivere fetus poſſit. Quid vero dicendum putes de iis, quos ab externo aere munitos incorruptos per integros annos ſervari ſupra adnotatum eſt? His igitur alia addenda, quibus certius fetus in utero mortui argumentum ſumi poſſit: inter quæ ab Auctoribus recenſita *certiſſimum*, inquit Baglivus, *& fere infallibile eſt Teneſmus, ſive crebra voluntas fæces dejiciendi Mulieri ſuperveniens*. At ſi forte Diarrhea laborante Muliere, aut Dyſenteria, quæ in Teneſmum plerunque abeunt, nec fetus intereat, quis putet certiſſimum eſſe mortui fetus inditium? Quapropter aut omnia ſimul ſigna in unum colligenda, quæ ubi inter ſe conveniant certam diagnoſim conſtituant, aut concludendum nullum eſſe maxime proprium, & inſeparabile mortui in utero fetus ſignum, ſi illud excipias, cujus meminit Jo. Hallen. (*n*), qui cum adnotarit pro certo cognoſci vix poſſe vivi ne, an emortui ſint infantes in utero, ex tactu maxime ſignum omnium certiſſimum obtineri ait, videlicet cuticulæ capitis ſupremæ diſſolutionem, quæ nonniſi poſt obitum infantis contingit. Subtilius ne an verius non facile dixerim, cum id multorum experientia compertum non ſit.

Nec inflammationis periculum adeſſe, dicta omnia impellentia in uſum vocanda.] Plerique Medicorum, ubi fœtum eſſe mortuum agnoverint, cum Mulieris ſtatum periculi plenum eſſe exiſtiment, vereanturque, ne ex frequentibus lipothymiis, aut ſyncope intereant, ſtatim ad medica auxilia confugiendum eſſe conſtituunt, per os quidem aperientibus, irritantibus, & fœtum mortuum provocantibus, per uterum vero laxantibus, & eundem extrahentibus. Si vero medicamentis non cedat fœtus, ad ferrum, & manuale opus deveniendum. Ita fere Jo. Fortis, Riverius (*o*), aliique fere omnes Veteres, ut a Schenkio, & Sennerto colligi facile poteſt. Ab his equidem libentiſſime fuerim, ſi res ſit cum Mulieribus, in quibus nulla uteri inflammationis inditia deprehendantur, quæ cum adſint tantum abeſt, ut ad iſtiuſmodi impellentia medicamenta confugiendum eſſe intelligam, ut cane pejus & angue evitanda eſſe haud equidem intutum exiſtimem pronuntiare.

Secus fœtus mortui eductio tentanda, quemadmodum &c.] Sed erunt nonnul-

(m) *L. c.* (n) *Synop. Med. ar.* 1479. (o) *L. c.*

nulli, qui a nobis jure merito poſtulaverint, quonam auxilii genere iſtiuſmodi Mulieres pertractandas judicemus? Si enim fœtus mortui extractione Chirurgica dicamus, non leve ſubeſſe periculum ii nobis reponent, ne ferri introductione, aut manus contrectatione nerveas uteri fibras proritante, convellente, ſanguinis curſus, qui ſegnior quam par eſt fieri incepit omnino ſiſtatur, atque hinc vera inflammatio excitetur, aut jam facta augeatur, aut confirmetur. Emollientia hinc, ac relaxantia, cum externa, tum interna, ac medicamenta, quibus inflammatio parumper ſedetur, antequam Chirurgica operatio inſtituatur pugnaciſſime ſuſtinebunt. Eſt hæc nimirum trita, ac vulgaris methodus, cui acquieſcere nulla ratione potuit cl. Mauriceau (*p*), qui ad inflammationis cauſam diligenter attendens, hanc omni ſtudio removendam eſſe ſubita fœtus mortui extractione ſcite admodum prudenterque opinatus eſt. Qua enim ratione, aut modo fieri poſſe dicamus, ut inflammatio uſque adeo imminuatur, ut operationi locus detur, niſi eadem prius ad tollendam morbi cauſam inſtituatur? Immo eam tanto magis increſcere ad corruptionem uſque, quanto magis in longum protraheretur manifeſtiſſimum judicaverim. Sed hæc ſatis de tempore, quo fœtus mortui extractio inſtituenda.

Eaque manu primum, ſi fieri poſſit: contra vero etiam ferreis inſtrumentis.] Nunc de modo dicendum, circa quem variæ occurrunt Auctorum ſententiç ad trutinam, ut ajunt, revocandæ. Altera quidem illorum, qui ſolius manus miniſterio inſtituendam putant: Altera illorum, qui inſtrumentis. Tertia demum, qui manu primum, ſi fieri poſſit, tum inſtrumentis. Priorem ſententiam tenuit olim Carolus Stephanus, Bauhinus, aliique, ut ex Schenkio, & Sennerto conſtat: Alteram Paulus Ægyneta, Aetius, Celſus, Benivenius, Valeriola, Paræus: Tertiam demum Mauriceau, aliique, qui nuperrimis temporibus floruerunt Chirurgi magni nominis. Quem quidem modum antiquiſſimum eſſe conſtat ex Hippocrate, qui eumdem variis in locis (*q*) indicavit, quique in eo fere totus ſitus eſt, ut Elixir vitæ paretur, nec non vinum aromaticum reficiendis ſpiritibus exhibenda, & aſpergenda: deinde ut ſolis manibus inunctis, quoties manus, aut pedes prę-mittantur, ipſis apprehenſis, fœtus extractio tentetur. Hanc variis aliis caſibus, qui non raro contingunt illuſtravit cl. Mauriceau. Quid enim ſi pedibus apprehenſus fœtus ob corruptionem inſignem a capite ſeparetur, atque in utero illud reliquo educto corpore ſuperſtes maneat? Tunc enimvero nulla interpoſita mora dexteram manum injiciendam docet, & alterum, aut duos digitos in os capitis immittendos, pollice mento appoſito, ut ſenſim, ſenſimque attrahat. Quid ſi ſolus pes, aut manus primum egrediatur, eaque ſic tumeant, ut nonniſi ſummo cum Matris niſu repelli intus queant? Tunc vero pluribus, iteratiſque contorſionibus, eorum ſeparationem ab articulis procurandam ſuadet, ut inde manus in uterum injici commodius queat, atque hinc pedes abripi pro contenti fœtus extractione. Ex quibus apparet nulla nec ſerra, nec cultro, nec uncino, aliiſque inſtrumentis opus eſſe, ſi manus ope optato fine potiri valeamus. Quod magni faciendum eſt, ne aut Mulier in non leve aliquod vitæ diſcrimen adducatur; aut Chirurgus in inſigne ſui nominis detrimentum, ſi forte contingat, ut morbi vi preſſa in ipſa operatione; aut paulo poſt Mulier intereat. Atque

 hiſce

(p) *l. c. cap. 30.* (q) *lib. de exect. fœt. & 4. de ſuperfœtatione.*

hiſce finibus coercitam Caroli Stephani, Bauhini, aliorumque opinionem omni commendatione digniſſimam eſſe facile judicaverim. At ſi Mulieris valetudo ambigua ſit, immo ſummis periculis obnoxia, propterea quod nullam præſtare manus opem poſſit, non multum a ratione aberraſſe procul dubio ſentiendum, qui fetus extractionem inſtrumentis moliendam eſſe conſtituerunt, atque ea fere ratione, quam Paulus Ægyneta, Aetius, Celſus, aliique Veteres Scriptores docuerunt, quæ in eo verſatur, ut reclinata in lecto ſupina Muliere, miniſtræ duo crura elevata utrinque ſuſtineant, & alas pudendi diductas ſervent; tunc Chirurgus ſiniſtram manum oleo madentem in uteri oſculum immittat, illudque dilatet, inquiratque locum uncino infigendo idoneum, ut poſtea dextera manu inſinuata, ſiniſtra infigatur, nec ſolum recta, ſed etiam in latera velut in dentium extractione fieri ſolet, extrahatur, in orbem quoque circumducendo. Uncinorum figuras, & conditiones exhibet cl. Mauriceau (r), atque iis quibus ordinaria fetus extractio fieri ſolet, alium addit, quo caput a reliquo corpore ſeparatum, & in utero relictum extrahi poſſit, nec non inſtrumentum ab eodem inventum *Tiretete* gallico ſermone dictum, quod multo præſtantius uncinis eſſe tradidit, ſi rite Chirurgus utatur. Ex quibus liquido conſtare arbitror recte ſenſiſſe, qui fetus mortui extractionem manus ope inſtituendam eſſe affirmarunt, recte, qui inſtrumentis, & eo ſolum in caſu, in quo manus fruſtra operatur, ut a laudato Mauriceau demonſtratum eſt, quem omnes fere hac in parte ſequuti ſunt.

XIV. *Idem dicendum de Secundina retenta, quæ ubi nec hæmorrhagia, nec inflammationis periculum &c. relaxantia, atque emollientia primum, mox impellentia &c.*] Utrum Secundina poſt enixum partum in utero retenta remediis, quæ paſſim ad Molas, & fœtum mortuum ejiciendum adhiberi ſolent ſit petractanda, an vero manus ope ſtatim ab utero divellenda, & extrahenda, vel demum totum naturæ opus committendum, nihil nec medicamentis agendo, nec manu, quæſtio eſt inter medicos tanta, ut nil ſit illuſtrius. Nonnulli, qui remediis in morborum curatione omnem fidem adhibent, nec ad ullam Chirurgicam operationem, licet eadem indicari videatur deveniendum eſſe exiſtimant, niſi primum a medicamentis initium duxerint, ii ſane ſecundinæ retentæ expulſionem eorum uſu procurandam eſſe in animum ſibi facile inducunt. Atque ea quidem vel externa ſunt, vel interna. Inter externa principem obtinet locum venæ ſectio, quæ ubi nulla cervicis uteri inflammatio, aut dolorifica uteri ipſius regionis tenſio prohibere videatur ex pede celebrata commendatur. Hanc ad fetum mortuum expellendum adhibuiſſe conſtat cl. le Feure (ſ): hanc ad Secundinæ expulſionem promovendam Tulpium (t): hanc cl. Jo. Forti (u). Poſt venæ ſectionem ſequuntur injectiones in uterum inſtitutæ, eæque ex decoctionibus, aut oleis emollientibus paratæ, quibus ſe firmiter conſtanterque uteri dilatationem eodemque tempore Secundinæ expulſionem obtinuiſſe Salius teſtatus eſt (x) unde tanquam infallibile remedium prædicavit. Iiſdem quoque ad faciliorem uteri orificii dilatationem, ac Secundinæ corruptionem ciendam uti conſuevit cl. Mauriceau (z), atque ex decoctione quidem paratis mal-var.

(r) *l. c. tab.* 27. (ſ) *op. tom.* 1. *ſ.* 314. *p.* 148.
(t) *lib.* 4. *obſ.* 42. *p.* 344. (u) *loc. cit.*
(x) *Com. in Avic. lib.* 3. *fen.* 21. *tract.* 2. (z) *loc. cit.*

var. alth. parietar. femin. lini additis magna copia oleis lilior. albor. butyri: quandoque vero ex decoctione hordei, agrimoniæ, malvar. alth. & ol. amygdal. dulc. ubi Secundinæ corruptionis ſuſpicionem adeſſe deprehenderit, ad uterum a pravis iis impreſſionibus, quæ ab hoc potiſſimum fonte prodire ſolent, præcavendum. Jam interna medicamenta quod ſpectat ea cuncta numerando percenſuimus de molis agentes (*a*), & de partu difficili (*b*), ſcilicet dictamum creticum, trochiſcos de myrrha, boracem mineralem, caſtorium, pulverem Tulpii, Heurnii, Secundinas præp. earumque ſpiritum, jecur Anguillæ, pulverem teſticulorum equi, aliaque id genus, quæ paſſim a viris cl. Hippocrate, Plinio, Bonaciolo, Geoffroji, Fallopio, Jo. Forti, Guarinono, Cardilucio, Corbejo, Etmullero, Junchero, Nentero, Geſnero, Augenio, aliiſque ad fecundas expellendas tantis laudibus efferuntur, ut ſi quid in ſumma rerum anguſtia ſperandum, ab hiſce fere remediis ſperari jure merito poſſe confidant. Quid oleum Juniperi commemorem a Rulando commendatum; quid ſuccum fol. leviſtici cum vino Rhenano a Foreſto, quid Mercurium vitæ ab Angelo Sala, ſi pares habere inſignes facultates ſui tradunt Auctores? Qui Secundinæ retentionem e contra valde exhorreſcunt, ac niſi ſtatim poſt enixum partum eadem ejiciatur, in mortis diſcrimine prope certiſſimo Mulieres verſari ad credendum vehementer adducuntur, ii ſane neglectis quibuſcumque medicamentis, ſpretiſque periculis ad Secundinæ extractionem nulla interpoſita mora deveniendum eſſe facile conſtituunt. Iſtorum pavoribus anſam dedit primus omnium Maſſarias (*c*) qui Mulieres, quibus poſt enixum partum Secundina retenta fuit, ante quartum diem quandoque derepente interiiſſe teſtatus eſt: immo paulo infra (*d*) nullam vidiſſe, quæ ante quartum diem hac de cauſa non interierit; audacter affirmat. Hac eadem de cauſa ante quartum diem quoque ſæpe ſæpius perire Mulieres Petrus Franciſcus Frigius ſcriptum reliquit (*e*): Rariſſimum eſſe, ut corrupta exeunte Secundina convaleſcant. Citiſſime Mulieres vita privari, ſi retenta Secundina corrumpatur narrat Jo. Heurnius (*f*). Quid Salium memorem qui Secundinæ retentionem Mulieres certo certius ad interitum ducere haud dubie affirmavit (*g*)? Quid Chriſtianum Langium, qui (*h*) niſi forte extrahi Secundina poſſit, aut quovis alio auxilii genere expelli deſperatam rem eſſe tradidit, & alibi (*i*) deſperatiſſimam? Quid Hildanum, qui poſt fœtus mortui extractionem ad Secundinæ quoque extractionem quamdiligenter attendendum eſſe admonuit, niſi enim id brevi contingat de Muliere actum eſſe (*k*)? Et quod magis intereſt, atque ad rem noſtram potiſſimum facit, niſi eadem manus ope extrahi poſſit, remedia impellentia ore ſumpta aut inutilia, aut noxia evadere, ac plerunque Mulieres miſellas mori aſſeruit. Quid la Mothe, cui quoties Secundinam aliquam, utcumque exiguam feliciter extrahi contingit, toties Mulierem ab Orci faucibus eripuiſſe videtur, cum Secundinam in utero re-

P p 2 tenta-

(a) *Cap.* 8. *com.* 17. (b) *com.* 7.
(c) *Prælect. de morb. Mul. cap.* 13. *de puerp. p.* 408.
(d) *lib. c. p.* 409. (e) *Com. Epid. Hippocrat. p.* 3. *ægr.* 4.
(f) *Com. aph. Hippocrat.* 5. *aph.* 49.
(g) *Annot. in Altom. cap.* 115. *p.* 471.
(h) *Diſput.* 44. *ſ.* 15. *p.* 590. (i) *Prax. Med. cap.* 24. *ſ.* 58.
(k) *Epiſt. ad Croqu. p. m.* 658.

tentam nonniſi ad extraordinarium naturæ effectum referendum eſſe procul dubio ſuſtineat? Hinc queri juremerito videtur Vualdchmidius obſtetrices, & adſtantes ſæpius nimis indulgere parturientibus, eaſque poſt enixum partum e ſella dimittere, utut Secundinæ nondum extractæ ſint: verum in eo errare graviſſime, quandoquidem parturientem nunquam dimittendam, vel in lectum deducendam, niſi prius Secundinas reddiderit, eas vero tutius, ac commodius manu perita ab utero divelli, & extrahi, ubi funiculus umbilicalis, qui indicis loco eſt, recens adhuc eſt haud dubie aſſeruit, veritus fortaſſe ne eadem parumper retenta brevi putreſcat, hinc febris, & dolor ventris inſignis, & tormina infra umbilisum circa uteri regionem ſuperveniat; ſin fruſtulatim prodeat, aliquando crudelem hæmorrhagiam excitet, difficultas, anhelitus ſubſequatur, halitus fœtens intolerabilis, lypothymiæ, & tandem convulſiones, aliaque graviora accidentia, quibus Mulieres de medio tollantur, ut a Riverio præfertim demonſtratum eſt (*l*). Quæ ſane omnia ſi dixiſſent antequam cum multis, ac frequentibus, tum certis ac conſtantibus obſervationibus compertum fuiſſet retentam in utero Secundinam putreſcere, & ſexta, aut ſeptima die prolabi cum Mulieris ſalute, quandoque tardius etiam diutius eadem retenta, & copioſa ex utero effluente ſanie, nullum revera quæſtioni locum reliquiſſent. Omnes enim Secundinæ retentionem, ut ipſi maximopere horreſcentes ad ejuſdem extractionem deveniendum eſſe uno ore affirmarent. Dolendum autem alias fere innumeras iis omnino contrarias obſervationes Medicis Græcorum, atque Arabum libros legentibus paſſim occurrere, quæ anſam pleriſque dederunt ad vehementer credendum ubi levibus admotis medicamentis optato fine potiri non valeamus totum naturæ opus committendum, cum ſecunda putreſcens facile poſtea elabatur. Hinc orta litigia. Jam vero cum ſecunda non ſtatim poſt partum exierit, dolorem ventris inſignem, & tormina infra umbilicum circa uteri regionem, & rigores, & febres ſupervenire Hippocrates primus omnium docuit (*m*), at cum diſceſſerit ſecunda, ſanari, & Mulierem ſubdit. Multum vero putreſcere, diſcedere vero ſexta, aut ſeptima die, aut etiam tardius adjecit. Hippocratem Filomenus apud Aetium (*n*) ſequutus eſt, qui poſtquam Secundinæ extrahendæ modum Medentibus indigitarit, & ſi uteri orificium adeo anguſtum fuerit, ut manus introduci non poſſet, remedia docuerit, quibus idem dilatandi facultas ineſt; atque alia multa percenſendo numeraverit extrinſecus applicanda, ſternutatoria, ſuffumigia, quibus impellendi virtus ineſſe reputatur, nec tamen ſic dilatari queat, ut operatio rite ſuccedat nihili faciendam ſecundæ retentionem tradit, cum paucos infra dies corrupta, ac ſanioſa ex utero excernatur. Filomeni opinioni omnino adhæret Paulus Ægyneta (*o*); qui Mulierem diutius divexandam eſſe inficiatur, ſi levibus nonnullis iteratiſque conatibus extrahi Secundina non poſſit, quandoquidem eadem brevi poſt corrupta, ac putrida ſit exitura. Si in Gyneciorum libris Moſchionem audimus, in eo vero verſamur, cui titulus *de utero* (*p*), Secundinam extrahendi modus paſſim occurrit, lenemque admodum, ac mitem eſſe oportere non modo conſtat, ſed ſi hac etiam adhibita diligentia, adhuc tamen extrahi nequeat, ad ea quæ relaxandi, atque emolliendi vim habent confugiendum eſſe edocemur, quo plerun-

que

(l) *l. c. cap.* xx. (m) *de morb. mul.* (n) *Tetr.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 24.
(o) *lib.* 6. *cap.* 75. *p. m.* 264. (p) *Tom. t.* 1. *p.* 1. *c.* 14. *p.* 29.

que fit, ut omne id, quod uterum infeſtat, exeat tandem. Si inter Arabes facile principem Avicennam conſulimus (q) Secundinam provido naturæ conſilio commiſſam fœtidam, ac putrefactam prolapſuram eſſe non ſemel teſtatur, atque Ludi quoque cujuſdam Medici antiqui opinionem affert, quæ cum Greco-rum opinione plane convenit, ut Albucaſim inter Arabes non obſcuri nominis ſcriptorem prætercam, qui quoties levibus non cedat Secundina, adhuc tamen deſperandum non eſſe non modo aſſerit, ſed injectiones in uterum adhibendas, quibus eadem corrumpatur, atque paucos poſt dies foras ejiciatur. His fere cum firmiter adhæruerint viri cl. Pedemontanus, Gordonius, Altomaris, Mercatus, Foeſius, Rocheus, Piſo, Cæſalpinus Chriſtophorus a Vega, aliique a cl. Paſta memorati (r), eo res adacta, ut quibuſnam fides habenda, difficile fit conſtituere, præſertim cum dubium non tollant omne. & Petrus Foreſtus (ſ), qui quamvis Græcorum opinionem ſectetur, in utero tamen quandoque relictam Secundinam necem intuliſſe deprehendit; & Fabricius ab Aquapendente, (t) qui licet Secundinæ retentionem minus pertimeſcendam eſſe docuerit, propterea quod corruptam paucos poſt dies eamdem exiiſſe ſæpe viderit, quandoque tamen id non modo non accidiſſe, ſed mulieris interitum vidiſſe teſtatur; & Elias Camerarius, qui fortem Secundinæ uteri parietibus adhæſionem magni faciendam eſſe admonuit, cum male puerperam minetur. Neque vero deterrere nos debent funeſtiſſimi caſus, qui paſſim leguntur, & in Marchetto (u) narrante de utero loco Secundinæ abrepto, & extracto, & in la Mothe (x) de portione uteri ſubſtantiæ avulſæ, & in Werhof (z), & Bartholino (a), aliiſque ab Hallero memoratis (b), qui perniciofiſſimos operationis effectus adnotarunt, cum eadem ab perito Chirurgo fit inſtituenda, a prudenti Medico conſulenda, qui quo manus dirigenda, quid digitis apprehendendum ignorare non modo non debent, ſed violentiæ gradus, quæ clauſo jam uteri orificio, aut Secundina uteri parietibus firmiter adhærente neceſſario conſequitur ſolidarum uteri partium reſiſtentiæ, atque fluidorum per ipſas excurrentium indoli, parturientis viribus aptare, ad eas lacerationes, ſciſſuras, abraſiones uteri ſubſtantiæ præcavendas, a quibus hæmorrhagias oriri Aretæus adnotavit (c), convulſiones Paræus (d), uteri inflammationes Platerus primum (e), mox Boerhaavius (f). Quod ſi probe diligenterque teneatur, jam quæſtionis momentum eo redigi poſſe perſpicuum eſt, ut fine labore ſummo, ac difficultate diſcutiatur. Ubi nimirum agere peritus debeat Chirurgus, prudens Medicus conſulere, antequam operationem aggrediantur in ea ſedulo, & accurate animum, curamque convertent, quæ cum Secundinæ retentione conjuncta ſunt, & ubi nec hæmorrhagia, nec inflammationis periculum prohibeat, res vero fit cum debili, ac cachochyma muliere, non ſolum emollientia, & relaxantia, quibus uteri orificium, ſi plus æquo anguſtum fit, dilatetur, adhibebunt, ita ſuadente cl. Mauriceau, qui ut alibi a nobis dictum

(q) *lib.* 3. *fen.* 21. *tract.* 2. *cap.* 16. *f.* 397.
(r) *l. c. confid.* 13. (ſ) *lib.* 28. *obſ.* 79.
(t) *Op. di Chirurg. p.* 2. *cap.* 87. (u) *Obſ. med. Chir.* 61.
(x) *Obſ.* 399. *p.* 608. (z) *l. c. p.* 291. (a) *Cent.* 2. *hiſt.* 91.
(b) *De concept. tex.* 685. (c) *Lib.* 4. *cap.* 11. *p. m.* 70.
(d) *Gynæc. tom.* 2. *cap.* 18. (e) *Prax. tom.* 2. *cap.* 13.
(f) *apud Haller de concepti. tex.* 685.

ctum eſt (*g*) violentam uteri orificii dilatationem tanti faciebat, ut Secundinas hac de cauſa utero hærere ſæpius maluerit, atque earum extractionem in alud tempus differre. Quod Paulus ipſe Egyneta docere olim viſus eſt (*h*) inquiens: *Si os occluſum ſit, nec inflammetur, nullam vim adhibere neceſſe eſt, ſed inſtillationibus lenibus, & copioſis inſidentibus, inſperſionibus, & cataplaſmatis uti, ut ſic aperto vulvæ orificio commode extrahi ..... poſſit*, nempe fœtus, de quo loquitur: cum idem in extractione quoque Secundinæ præſtandum docuerit (*i*). Ex quibus apparet emollientia externa hic præ cæteris commendari, atque optime hac in re ſenſiſſe videntur Avicennas, Salius, Mauriceau, Jo. Fortis aliique, qui ad expellendam Secundinam injectionibus, ut ſupra vidimus, emollientibus uſi ſunt. Tum vero adhibebunt impellentia omnia, quæ in molis, & fœtu mortuo commendavimus (*k*), ita poſtulante Solidarum partium laxitate, cruoris, ac ſpirituum inertia, atque ſegnitie, ut illæ videlicet in validiores, vehementioresque contractiones agantur, hæ vero exagitentur, atque ea ratione afficiantur, qua opus eſt ad uberiorem ſpirituum ſecretionem, atque expeditiorem in univerſi corporis fibras, ac propterea ipſius uteri influxum, ut inde dictis de cauſis retenta Secundina extra uteri confinia educatur. Atque optime hoc in caſu ſenſiſſe quoque videntur Hippocrates, Plinius, Bonaciolus, Geoffroy, Fallopius, Jo. Fortis, Guarinonus, Cardilucius, Corbejus, Etmullerus, Juncherus, Nenterus, Geſnerus, Augenius, aliique, qui hæc ad Secundinas expellendas inſignes habere vires teſtati ſunt.

XV. *Si e contra inflammationis periculum adſit &c. Solam venæ ſectionem.*] A cl. Andrea Paſta quamlibentiſſime fuerim, qui eorumdem uſum condemnat, ſi plethorica fuerit mulier, ſi robuſta, ſi orgaſmo ſanguinis æſtuet, ac rareſcentia, ſi ad functiones omnes obeundas alacris, atque expedita: quo caſu venæ ſectionem ratione plenitudinis habita inſtituendam crediderim, atque eam multo magis, ſi uteri inflammationis ſuſpicio adfuerit ex brachio primum, mox pede celebratam ob rationes alibi allatas (*l*); ex pede ſolum cum nihil iſtiuſmodi accidiſſe noverimus; ut fere la Feure, Tulpius, Jo. Fortis tradiderunt.

XVI. *Si ſanguinis hæmorrhagia urgeat ad Secundinæ extractionem ſtatim deveniendum, etiamſi vim &c.*] Si hæmorrhagia ſanguinis cum Secundinæ retentione conjuncta ſit, ecquis ad ejuſdem extractionem ſtatim confugiendum eſſe non putet? Jam hæmorrhagiam ab extraneis corporibus prodeuntem nec venæ ſectioni, nec adſtringentibus medicamentis obtemperare, immo ſolam ejuſmodi corporum extractionem ad cohibendum fluxum, vel morbi recidivam præcavendam parem eſſe D. Puzos præeunte alibi adnotavimus (*m*). Quo loco etiam longa experientia D. la Mothe (*n*) compertum eſſe vidimus perdurante ſanguinis fluxu, aut extranei corporis nondum ex utero ejecti, aut alicujus tantum portionis, aut unius alicujus integri, perfectique in utero remanentis inditium prope certiſſimum præberi, quod quantumvis mole minimum ſit, membranarum tamen uteri, vaſorumque ſanguinem effundentium orificia patula, & aperta conſervat. Non immerito propterea ab eodem la Mothe traditum (*o*), etiamſi violenter ſit dilatandum uteri ori-

(g) *cap.* 8. *com.* 15. (h) *cap.* 74. *lib.* 6. (i) *l. c. cap.* 75.
(k) *V. l. c. com.* 17. 18. (l) *V. cap. VI.* (m) *Cap.* 8. *com.* 8.
(n) *Obſ.* 13. (o) *Obſ.* 394.

orificium, Secundinam extrahendam, ut ſanguis ſiſtatur. Si hiſce tantum finibus coerceatur illorum opinio, qui Maſſariam, Frigium, Heurnium, Langium, Hildanum, laudatum la Mothe, Vualdchmidium ſectantes Secundinam ſtatim a partu extrahendam prætendunt, non eſt cur multum pugnemus. Cum enim uteri orificium ſtatim poſt partum apertum ſit, nihilque aliud intuentibus appareat a vaginæ principio ad uteri uſque fundum, quam inſignis cavitas adnotante cl. Dionis (*p*), manum introduci in uterum commode poſſe, nullaque difficultate, ac Puerperæ dolore manifeſta res eſt. Quod diligenter tenens Deventerus (*q*) vomitus, aut ſternutationis promovendæ, aliarumque rerum, quæ Secundinam expellere reputantur minus ſollicitus, quæ in anguſto, duro, ac dolente utero ſumme eſſe nocua opinatur, manus injicit, ut ejus ope Secundinam educat, naturæ hac via laborem ſubtrahens, quam tamen ubi præ hæmorrhagiæ vi, aut inflammationis periculo res in arduo ſita non ſit, multo tutius operari ſentiendum eſt, quam expertiſſimum quemque Chirurgum. Quid enim quod aliqua ſemper violentia opus ſit in Secundina extrahenda? Cum nimirum difficulter ex utero plerunque ejiciatur, quod uteri parietibus firmiter adhæreat, eam avelli non poſſe, etiamſi aliqua ſui parte ſeparari jam cœperit, aut minus adhæreat, ut cl. Mauriceau fere tradit (*r*), quem cl. de Buffoon in hac parte ſequutus eſt (*ſ*), niſi digiti inter ipſam, & uterum immittantur, eo uſque dum tota ſeparetur, perſpicuum eſt. Quid ſi omni ſui parte jam utero æqualiter adhæreat, atque ea ratione, ut unum idemque corpus videatur? Jam id non ſemel deprehendiſſe teſtatus eſt cl. la Mothe (*t*). Vel ab inferiori, ac poſteriori uteri parte exordiamur, ut idem la Mothe animadvertit (*u*), quem cl. Solingenius, atque Hartranfftius ſectati ſunt (*x*), eodem ipſo tempore, quo pollice, & indice Secundina paulatim avellitur, aliorum digitorum ejuſdem manus dorſo uteri parietes in arcum flexos ſervandos eſſe paſſim exiſtimant, ut facilius hinc Secundina avellatur, atque uteri parietes in naturali eorum directione, ac ſitu permaneant. At ſi Secundinæ marginem ab uteri ſubſtantia manu in uterum immiſſa internoſcere clare Chirurgus nequeat, non leve ſubeſſe periculum, ut digiti in ipſius corpus inſigantur, aut eadem diſrumpatur, nec integra omnino ejiciatur, aut in uteri quoque ſubſtantiam ſeſe iidem inſinuent, altiuſque penetrent, atque hinc inflammationes uteri, aut ſanguinis profluvia, aut ſæviſſimæ convulſiones, atque alia læthalia ſymptomata proficiſcantur aptiſſime adnotavit cl. Paſta. (*z*) Quod internoſcere quamvis periti ſit Chirurgi, immo certiſſima ſigna tradantur, eamdem ne ſemper Secundinæ retentionis cauſam eſſe judicemus? Jam frequentius Secundinæ retentionem ab interni uteri orificii conſtrictione repetendam eſſe cl. Mauriceau præeunte ſupra adnotavimus. Tunc vero optime ſe gerere, qui ab emollientibus, ac relaxantibus initium curationis ſumunt dictum eſt. At in ejuſdem dilatatione quaſi per gradus procedendum jam Hippocrates docuit (*a*), cum ob alias rationes, tum ob hanc potiſſimum, ne uteri ſubſtantia diſcerpatur, aut

(p) *Des accouch. liv.* 1. *p.* 52. (q) *De art. obſtetric. cap.* 28.
(r) *l. c. lib.* 2. *cap.* 10. (ſ) *hiſt. naturel. tom.* 4. *chap.* 11.
(t) *Obſ.* 383. 389. 390. 393. (u) *l. c.*
(x) *Apud Haller. de concept. tex.* 685. (z) *l. c. n.* 199.
(a) *De morb. mul. lib.* 1.

aut inflammetur, ut jam Salius animadvertit (*b*). Adeo verum eſt magna ſemper violentia opus eſſe in Secundina extrahenda, quæ niſi a mortis diſcrimine prope certiſſimo, in quo mulieres ſint conſtitutæ propter hæmorrhagiam indicetur, nunquam adhibenda.

XVI. *Si ſanguinis hæmorrhagia urgeat, ad Secundinæ extractionem ſtatim deveniendum, etiamſi vim adhiberi oporteat, quæ tamen &c.*] Hoc loco fateor me juſtis laudibus æquare non valere novam expertiſſimi Ruyſchii methodum, quæ, ut conjicit laudatus Paſta, in evitanda non ſolum inſigni in uterum violentia conſiſtit, aut nimis notabili, ut cl. Mauriceau illam nuncupavit; ſed in ea quoque, quæ inſigni, minuſque notabili minor eſſet, veritus enimvero, ne hæc eadem plus damni Puerperæ afferret, quam quod ex Secundinæ retentione impenderet. Si miti hac lenique ratione Secundinæ extractionem obtinere non poterat, ne in ſummum vitæ periculum mulierem adduceret violentia, quæ major eſſet adhibenda, omnem ſollicitudinem relinquebat, Secundinam naturæ curæ, ac diligentiæ committens, ut eadem poſtea extra corporis confinia foras ejiceretur. Et vero ecquis non videat quemcumque violentiæ gradum plus damni afferre, quam Secundinæ retentionem? Id quod præ ceteris animadvertit cl. Werlhof (*c*) ſcriptum relinquens, tunc cum Secundina, aut aliqua ejuſdem portio uteri parietibus firmiter adhæret frequentius quidem corruptione ſubſequente per ſe avelli, atque extra uterum cum ſymptomatibus minime ſpernendis exire, tutius tamen, quam ſi violenter extrahatur, atque uterus, aut adjacentes partes lædantur. Violentam Secundinæ extractionem remedium eſſe morbo deterius idem Mauriceau teſtatus eſt. Quapropter ſatius eſſe putat, ubi anguſtum nimis ſit uteri orificium (*e*), nullaque inſignis adſit hæmorrhagia (*f*), ut ſæpe dicimus expulſionem naturæ committere, quam violentiam nimis notabilem utero inferre, quæ ejuſdem inflammationem ciere valet, qua in majus vitæ periculum mulier adducatur: id quod pluribus etiam exemplis didiciſſe affirmat (*g*) in mulieribus, quæ in puerperio interemptæ ſunt, quarum mortem non tam ad Secundinæ retentionem, quam ad inflammationem, qua uterus in violenta extractione affectus eſt, aptiſſime retulit. Hinc læthalem jure merito cl. viri Barbetta (*h*), atque Heiſterus (*i*) appellarunt, damnavit Leporinus, ac expertiſſimus Werlhof expreſſe prohibuit. Quandoquidem demonſtratum eſt externis, atque internis adhibitis medicamentis, ubi locum habere poſſe videantur, tentandam eſſe Secundinæ extractionem, ſed cautiſſime, ſi vero optato fine hac ratione potiri non valeamus, ſatius eſſe opus omne naturæ committere, quam in violenta extractione majus vitæ mulierum periculum facere; jam liquido apparet omnes, qui hactenus de Secundinæ retentione ſcripſerunt vera dixiſſe, dummodo tamen quæ ſcripſerint non tamquam generale axioma accipienda eſſe illorum ſectactores contendant, ſed peculiari caſui, variiſque circumſtantiis, quæ paſſim viſuntur, aptanda.

XVII. *Quæ ſi brevi naturæ opere non ejiciatur ſolis injectionibus ex decoctione malvarum &c.*] Si nonnulli forte objiciant tunc cum nec medicamentis, nec

(b) *In Avicen. lib.* 3. *fen.* 21. *tr.* 2.
(c) *Obſ. de feb. ſect.* 6. (d) *oſſ.* 164. 176.
(e) *oſſ.* 104. 597. 614. 639. *&c.* (f) *oſſ.* 235. 597.
(g) *oſſ.* 162. 294. 578. 658. (h) *Chir. p.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 155. (i) *l. c.*

nec manu expelli, aut extrahi poſſit Secundina, ſuppurantia ſaltem in uterum injicienda, ut in pus mutata ſenſim effluat, ut præ cæteris a Riverio (*k*), & a Jo. Forti (*l*) traditum eſt, iis quamlibentiſſime indulgebimus: dummodo tamen mitiora ſeligantur, inter quæ decoctiones malvar. alth. parietar. ſemin. lin. addit. ol. lil. albor. & butyr. eminent, quibus ad faciliorem uteri orificii dilatationem, ac Secundinæ corruptionem ciendam uti conſueviſſe Mauriceau ſupra vidimus. Deinceps ſi uterus ſit detergendus a pravis impreſſionibus, quæ a Secundinæ corruptione proficiſcuntur parentur ex decoctione hordei, agrimoniæ &c. ut idem Mauriceau egregie præcepit. Sic enim fiet, ut facilius copioſum pus effluat ex utero, quod boni ominis eſſe, ac magnam vim facere ad ſperandum fore, ut corrupta, ac putreſcens Secundina ſexageſimo quoque die foras ejiciatur Sennertus (*m*) adnotavit, niſi præ morbi vi jam citius mulier intereat, ut ipſe Jo. Fortis teſtatus eſt. Quod licet cl. Paſtæ minus arrideat, nunquam ſe vidiſſe affirmanti (*n*) Secundinæ corruptionem in longum adeo tempus protrahi, immo vix alteram, aut tertiam hebdomadem abortuum Secundinas attingere, exempla tamen earum, quæ ſuppuratæ, atque in pus ſumme fœtidum redactæ triginta, quadraginta poſt dies ex utero effluxere in Mauriceau (*o*) paſſim leguntur, atque cl. Werlhof (*p*) confirmare eadem videtur, qui cum docuerit ſatius eſſe Secundinam integram, aut aliquam ejus portionem, cum uteri parietibus firmiter adhæret in eodem relinquere, quam eam extrahendo utero ipſi, aliiſque adiacentibus partibus noxam inferre, ad id vehementer credendum adductum fuiſſe ſubdit, poſtquam longa experientia compertum habuerit quamplurimas mulieres, quæ abortum eodemque tempore Secundinæ retentionem paſſæ ſunt, quæ poſt aliquot etiam menſes vel integram, vel in fruſtula diviſam feliciter eamdem excreverunt.

(k) *l. c.* (l) *l. c.*
(m) *Pract. lib.* 4. *p.* 2. *ſect.* 7. *cap.* 2. (n) *l. c. ſect.* 103. *n.* 2.
(o) *Obſ.* 297. 474. 551. (p) *l. c.*

F I N I S.

INDEX RERUM, ET VERBORUM.

A

Abortus quinam dicendus? 52. 244. 245.
Quas cauſas agnoſcat? 53. 234. 235.
Hæmorrhagiæ uteri cauſa cur? 54
Fluoris albi. 86
Sterilitatis. 200
Abortus remedia. 237. 238
Cur metuendus? 257
Imminentis ſigna quænam? 273
Abortiva medicamenta quænam? 247.
Nullius ſæpe efficaciæ ſunt. ibid. 248.
Abſorbentia quomodo agant ad abortum præcavendum? 270
Acetum roſaceum proficuum in Syncope gravidarum. 263
Et ſimplex. 264
Acida an optima ſint. 29
Quomodo menſes ſupprimant? ibi.
Acidum pancreatis proxima affectionis hyſtericæ cauſa eſſe nequit. 111.
Remota quomodo eſſe queat? 115
Acus punctura minus tuta in tympanitide. 193
Adſtringentia ad abortum præcavendum commoda quænam? 271
Aer valde calidus quid præſtet in corpus? 26
Frigidus quid? ibid.
Cur Menſes ſupprimat. 27
Optimus quinam dicendus. ibid.
Purus quinam. 28
Infectus cur fæminis infeſtus? ibid.
Quinam eligendus? ibid.
Humidus, & paluſtris cur fluoris albi cauſa? 86
Intemperatus Chloroſeos cauſa. 174
Frigidior Tympanitidis uterinæ. 186.
---- Et partus difficilis. 284
Aer præſtantiſſimum elaſticum. 178
Æſtus inſignis corporis acredinis inditium cur? 35
Ætas juvenilis furoris uterini cauſa. 169.
---- Decrepita morbis obnoxia. 4
Pubeſcens corporis mutationes inducit. 113
Menſtrui ſanguinis copiæ tribuit. 8.
Ætas juvencula quomodo ſterilitatem efficiat? 200
---- Cur partum difficilem. 280
Ætas juvenilis quomodo fluori albo tribuat? 83
Agni caſti virtutes in furore uterino. 193.
Alimenta optima quænam? 28
Alimenti inopia abortus cauſa. 246
Aloes quibus conſtet principiis? 41
In hyſtericis malis minus tuta. 42
Quas vires habeat? 155
Hæmorrhagia laboranti exhibenda non eſt. ibid.
Aloes purgans ſimul, & diureticum. 159.
Alvi fluxus in gravidis cauſæ, remedia. 234. 236
Ejus cauſæ aliis communes. 239
Alvi ſtypticitatis in gravidis cauſæ. 234.
Aliis communes quænam? 239
Peculiares in gravidis. 241. 242
Aluminoſa quandonam adhibenda in gonorrhæis? 99
Qua forma? ibid.

Alumen quid ſit, & quomodo agat. 64.
Non ſemper tutum remedium, nec omnibus præſcribendum. 65
Amnii liquor fetus nutritioni neceſſarius. 10
Excrementitius humor non eſt. ibi.
Amaſiorum blanditiæ quomodo furori uterino tribuant? 169
Amor quid ſit? 169
Quomodo concilietur? ibid.
Quomodo furorem uterinum excitet? 170
Ambari efficacia in ſterilitatem quænam? 224
Anaſtomoſis quid ſit? 50
Uteri hæmorrhagiæ cauſa. ibid.
Animi vis inſignis ad alterandum corpus. 30. 84
Animi quies quantum commoda. ibi.
Animi pathemata uterinæ hæmorrhagiæ cauſa. 55
Propterea in eadem affectione evitanda. 73
Hyſtericæ affectionis cauſa. 116. 117.
Inflammationis uterinæ. 139
Evitanda propterea in hoc morbo. 156
Læthalium morborum cauſa. 140
Puerperis infeſta. ibid.
Tympanitidis cauſa. 186
Abortus cauſa. 256
Partum difficilem cur efficiant. 284
Animi quies optimum auxilium ad præcavendum abortum. 269
Ani clauſura in hyſterica affectione unde? 110
Ani hæmorrhoidum in gravidis cauſæ proximæ aliis communes. 239
Remotæ differunt. 241. 244
Anodyna medicamenta quandonam commoda in paraxyſmo hyſtericæ affectionis? 123
Quænam ſint? ibid.
Antimonium diaphoreticum quomodo agat in gonorrhæis. 98
Aorta deſcendens in fæminis quomodo ſe habeat? 15
Apoplexiæ cauſa quænam. 119
Ejus ſymptomata frequentiora. ibi.
Aquæ frigidæ noxiæ quam plurimæ. 27.
Aqua frigida menſes ſupprimit. ibi.
Aquæ frigidæ vis inſignis in ſapore, aut Syncope hyſterica. 125. 264
Aquæ frigidæ potio fluentibus Lochiis uteri inflammationis cauſa. 140
---- Aliorum graviorum morborum, ſi nimis frigida bibatur. 141.
Aquæ Nocerianæ facultas in Menſium ſuppreſſione. 44
In fluore albo legitimo. 91
In cancro. 161
Aquæ Beatæ Virginis, Brandulenſes optimæ in uteri hæmorrhagia. 71.
Brandulenſes infecundas reddunt Mulieres. ibid. 223
Primæ, aut Aponenſes commodiſſimæ in gonorrhæis. 100
Item, & Brandulenſes in uteri abſceſſu. 157
Beatæ Virginis, aut Aponenſes in ſterilitate eximiæ. 223
Aquæ Tetutianæ minus commodæ in dyſenteria gravidarum. 265
Aquæ acidulæ cur noxiæ in gonorrhæis. 101
Cur commodæ in hyſterica affectione? 129
In uteri ſcirrho? 159
An in ſterilitate locum habere queant.
Aqua ſpermatis ranarum optima in uteri hæmorrhagia. 63
Aqua pariter Sperniolæ cur. ibid.
Aqua an fluiditatem ſanguini conciliet. 66
Si frigida exhibeatur optima in uteri hæmorrhagia. ibid.
Aqua aurantiorum viridium melior decoctione in uteri hæmorrhagia. 69
Foliorum quercus in fluore albo. 94
Aqua decoctionis hordei optima in ardo-

ardore fluoris albi. 95
Aqua Menthæ Quercetani quomodo paretur? 99
Eximii uſus in gonorrhæis. ibid.
Aqua ſtyptica Lemerii paris efficaciæ. ibidi.
Aquæ potus liberalis uteri inflammatione detentis cur concedendus? 154
Moderate tepida exibenda. 155
Aqua Reginæ Ungariæ optima in Syncope gravidarum. 263. 264
Aqua ſimplex ſubacidis alterata cujuſnam abortus remedium? 270
Arcanum duplicatum quid ſit? 40
Artemiſia quas vires habeat in morbis Mulierum? 43
Aromatica volatilia cur in ſterilitate commoda? 225
Aſcites quomodo differat ab uteri hydrope. 187
Utriuſque ſigna quænam? ibid.
Aſelli decocti oleo ſeminum lini proficui in hæmorrhoidibus. 267
Aſtrorum potentia in corpora nulla. 4

B

Balnea emollientia in Menſium ſuppreſſione commoda. 37
Balneorum facultates eximiæ. 44
Balneum, cui brachia immergantur optimum in uteri hæmorrhagia. 61.
Balnea, & fomenta regioni uteri æque commoda. 65
Quomodo paranda. ibid.
Balnea aquæ dulcis quid præſtent in cancri curatione? 161
In furore uterino. 191. 192
Balſamica cur purgantibus intermiſcenda in gonorrhæa? 98
Balſamum Copaiba cæteris præferendum. ibid.
Balſamum Galbanetum uterinum Sennerti eximium in hyſterica affectione. 123
Bardanæ radix eximia in fluore albo. 92
Bellidis virtus in fluore albo notho. 94
Borax mineralis quandonam locum habeat in uteri inflammatione? 156.
Boracis mineralis vires ad molas expellendas. 230
Ad partum difficilem accelerandum. 288
Bryoniæ radix ſpecificum in hyſterica affectione nullius virtutis. 127. 128.
Quomodo adhiberi queat, & quando? ibid.
Bubo venereus undenam oriatur? 89. 90.
Bulbus recens Ari quomodo agat? 43

C

Cachexia in uteri hæmorrhagia unde? 49
Camphora quid præſtet in furore uterino? 192
Cancri curatio nulla. 161
Cancer externus minus periculi portendit. ibid.
Cancri fluviatiles in oleo cocti optimi in hæmorrhoidibus. 267
Cardiaca medicamenta quandonam adhibenda in partu difficili? 288
Quænam? ibid.
Carnes Animantium optimæ quænam? 28
Carnes fumo induratæ cur Menſes ſupprimant? ibid.
Carnes volucrium fluoris albi cauſa. 83.
Carnes aſſatæ optimæ in fluore albo. 95.
Caſſiæ vires in gonorrhæa. 96
In hæmorrhoidibus. 268
Caſtoreum optimum in affectione hyſterica. 128
In expellendis molis. 230
Centaurium minus quas vires habeat? 43

Cera-

Ceratum Tacamahaca optimum in uteri hæmorrhagia. 70
Cholorofeos eſſentia, cauſæ, progno-ſis. 164. 31
Curatio. 166
Cholorofim ſumme intereſt a cachexia diſtinguere. 172
Quomodo? 172. 173
Ejus cauſæ perperam aſſignatæ. 173
Quænam vere ſint? 174
Cur contumax morbus ſit? 175
Cur in viſcerum tumores tranſeat? 176.
Cur in hydropem? ibid.
Cibi opipari ſanguinis plethoræ tribuunt. 8
Cibi acres aromatici quomodo uteri hæmorrhagiam inducant? 55
Cibi ſalvia, & rore marino alterati optimi in fluore albo. 95
Ciborum nauſea quomodo abortum faciat? 246
Cibi pravæ indolis evitandi in Lienteria gravidarum. 265
Ciborum qualitas eligenda in morbis acutis prægnantium. 272
Cichorii vires quænam? 44
Clavus hyſtericus undenam oriatur? 114.
Clyſteres commodi ad menſes revocandos quinam? 44
In uteri hæmorrhagia. 62
In paroxyſmo hyſtericæ affectionis. 122.
In uteri inflammatione. 151
Clyſteres acres quas vires habeant ad molas expellendas? 231
Ad partum accelerandum. 288
Quandonam emollientes adhibendi? ibid. 229
Cocholatæ uſus in ſterilitate eximius? 224.
- - - - In vomitu gravidarum. 262
Coitus in furore uterino eximiæ virtutis. 192
Colica hyſterica undenam oriatur. 109.
Colica Pictonum cur dirus morbus. 183
Conceptione peracta quid utero accidat. 9
Conceptio quid ſit? 199
Ejus cauſæ quænam? ibid.
Conceptio falſa quandonam contingat. 200
Conſerva roſarum eximia in uteri hæmorrhagia. 70
Conſerva roſarum, cytoniorum proficua in alvi fluxibus gravidarum. 265
Conjugium optimum hyſtericæ affectionis remedium. 114
Convulſio in uteri hæmorrhagia unde? 49
Convulſionis cauſa undenam repetenda. 185
Cordis palpitatio hyſterica unde? 110
- - - - In Menſium ſuppreſſione. 32
Cordis palpitationis cauſæ in gravidis aliis communes. 239
Non ita remotæ. 241. 242
Cornu Cervi vires in fluore albo notho. 92
Corpus quandonam debitam ſtaturam acquirat? 4
Crocus quas vires habet? 41
Cur minus tutus quandoque in Menſium ſuppreſſione? 42
Efficax ad molas expellendas. 231
Ad partum accelerandum. 288
Crura fœminarum craſſiora cur? 11
Cubiculus moderate frigidus eligendus in uteri hæmorrhagia. 73
Cucurbitulæ ad mammas an applicandæ in uteri hæmorrhagia? 60
Quomodo applicandæ? 61
Cuticulæ capitis diſſolutio in fetu, mortis ejuſdem ſignum. 296

D

DEambulatio interdum partus difficilis remedium. 290
Decubitus gravidarum in ventrem quomodo partum difficilem efficiat? 284

Dentes in pueris quandonam erumpant? 4
Quandonam deſinant? ibid.
Diarrhææ bilioſæ cur acredinem ſanguinis arguant? 35
Diarrhææ in gravidis cauſæ. 234. 236
Ejus cauſæ proximæ aliis communes. 239
Diapidiſis quid ſit. 50
Diaſcordei Fracaſtorii virtus in fluore albo. 94
Dictami Cretici vires ad molas expellendas. 229
Dies critici ſeptenario numero continentur. 4
Diæreſis quid ſit. 50
An uteri hæmorrhagiæ cauſa? ibid.
Diætæ regimen in fluore albo. 95
Diæta omnium præſtantiſſimum auxilium in cancri curatione. 162
Optima in furore uterino. 192
Diæta tenuis in morbis acutis abortus cauſa. 246
Interdum præſervativum eximium. 269.
Dolores vagi in Menſium ſuppreſſione unde. 31
Dolor nephriticum mentiens in hyſterica affectione unde? 109
Dolor in cancro intolerabilis quibuſnam leniendus? 162
Dolor in Tympanitide quinam? 183
Quas partes occupet? 188
Dolores colici, illiaci hyſterici a doloribus partus diſtinguendi. 280
Partum difficilem quomodo reddant. 284

E

Ebuis vires in fluore albo notho. 92.
Electuarium de hiera cum croco in Menſium ſuppreſſione commodum. 42
Electuarium excel. Sacchii quomodo paretur? 98
Cur vires inſignes habeat in gonorrhæis celticis. ibid.
Emulſiones frigidæ optimæ in fluore albo legitimo. 91
Etiam proficuæ in abortu. 270
Endiviæ vires quænam. 44
Emplaſtra graveolentia commoda in hyſterica affectione. 122
Epilepſiæ ſymptomata maxime propria. 119
Quomodo differant ab hyſtericis? ibid.
Eruca efficax in ſterilitate. 224
Exercitio nimio Menſtrua imminuuntur. 8
Exercitii moderati utilitates. 11. 85
Exercitii violenti incommoda. 29
Abortus cauſa. 254
Extremorum frigus in uteri hæmorrhagia cur? 49
Extranea corpora in utero poſt partum relicta uteri hæmorrhagiæ cauſa. 54
Cur ſtatim ejicienda? ibid.
Et cauſa hyſtericæ affectionis. 115
Extrinſeca medicamenta in uteri ſcirrho plurima. 159
Quo ordine adhibenda? ibid. 69

F

Fabæ an inter ſterilitatis cauſas referendæ? 204
Faciei pravus color in Menſium ſuppreſſione unde? 31
In uteri hæmorrhagia? 49
Falſum germen quid ſit? 211
Ejus varia deſcriptio. ibid.
An ad uterinos polypos referendum? 212
An vere detur? 214
Falſi germinis expulſio an naturę committenda? 228
Fetus quandonam in utero ſeſe moveat? 4
Quandonam ad exitum promptus. ibid.
Quomodo in utero nutriatur. 9. 10
In gravidis uteri hæmorrhagia la-

borantibus ſtatim extrahendus. 57.
Fetus mortuus diu in utero incorruptus ſervari poteſt. 137
Fetus an extra uterum accreſcant. 207.
Eorum exempla non pauca. ibid.
Quomodo formentur in utero. 209. 210.
Grandiores monſtroſi quomodo abortus cauſa. 250
Contra naturæ ordinem poſiti, aut numero plures. ibid.
Cur in utero moriantur. 274
Fetus mortui ſigna. 275. 295. 296
Fetu mortuo quid agendum? ibid.
Fetus ante ſeptimum Menſem an vivere poſſint? 276
Ad abortum revere referenda. 278
Fetus retentio in utero cur pertimeſcenda? 286
An incorruptus diu ſervari poſſit? ibid.
Fetus mortui eductio quo tempore, & modo inſtituenda? 297
Fecunditatis eſtimatio undenam repetenda? 218
Commoda quenam. 219
Febris lenta in uteri hemorrhagia unde? 49
Febris lactea cur diſtinguenda a febre uteri inflammationi ſupervenienté? 142
Quomodo? 143
Fermentatio ſanguinis menſtrui fluxus cauſa perperam habitus. 5. 6
Flatus in hyſterica affectione unde? 110.
Flatuum cauſę quenam? 180
Flatuum eruptio in tympanitide cum levamine unde? 185
Flatus diſcutientia quenam. 193
Num in tympanitide ſint adhibenda? ibid.
Fluida aliis fluidiora quomodo ſimul viſcidiora? 24
Fluoris albi eſſentia, differentię, ſigna. 74
Prognoſis, remedia. 75. 76. 77
Fluor albus quas vias agnoſcat? 78
Benignus a virulento qua ratione diſtinguendus. 78. 79
Virulentus in quo conſiſtat? 81
Quomodo differat a fluore albo? 82.
Fluor albus notus cur feminis cachecticis familiaris? 85
Cur otioſis & ſomno deditis? ibid.
Fluor albus legitimus cur omnis periculi expers. 88
Nothus cur ſteriles, & melancholicas reddat feminas? ibid.
Cur in uteri prolapſum deſinat? ibid.
Fluor albus virulentus quomodo tractandus? 95
Fomenta emollientia quandonam in Menſium ſuppreſſione commoda? 37.
Fotus quot modis pręparari queant? 152
Eorum uſus eximius in plerìſque morbis. ibid.
Ex ſola aqua tepida cur in puerperis. 153
Frictiones quandonam commodę in Menſium ſuppreſſione? 37
Aſperę brachiis inſtitutę optimę in uteri hemorrhagia? 61
Frictionum vis in ſopore, aut Syncope hyſterica. 125
Frictiones in uteri inflammatione quo in loco inſtituendæ? 153
Frigus extremorum in hyſterica affectione unde? 110
Fungus Melitenſis optimus in uteri hæmorrhagia. 63
Funiculi ad fetus collum circumplicatio an detur? 253
Quomodo abortum faciat. 254
Quomodo partum difficilem? 283
Furoris uterini eſſentia, cauſæ, ſigna, prognoſis, curatio. 163. 166
Furor uterinus quomodo differat a ſalacitate, ab uteri fervore, a pruritu? 167

Furoris uterini triplex gradus. 170
Quomodo dignoſcatur. ibid.
Symptomatum explicatio. 171
Cur in Mania terminetur? ibid.

G

GAleopſis optima in fluore albo notho. 93
Gelatinæ raſuræ eburis, cornu cervi eximii uſus ad abortum præcavendum. 270. 275
Generatio quid ſit? 276
Glandoſum corpus, ſeu Proſtata gonorrhææ ſedes. 81
Globi ſenſus in hyſterica affectione unde? 109
Glutinoſa ad abortum præcavendum commoda quænam? 271
Gonorrhæa in feminis quid ſit? 81
Quam ſedem agnoſcat? ibid.
A fluore albo quomodo diſtinguenda? 82. 87
Gonorrhæa interdum ad extremum uſque vitæ comitatur. 83
Gonorrhææ ſigna multa, ſed incerta. 86
Undenam probabiliora deſumenda. 87. 88.
Grana cur citius, aut ocyus germinant? 277
Graviditas quid ſit? 33
Quomodo a Menſium ſuppreſſione diſtinguenda. ibid.
Gravidæ omnibus morbis ordinaiis premi ſolent. 258
At præcipuis quibuſdam vexantur. ibid.
Guajaci ejuſque corticis virtutes in fluore albo notho. 92
Interdum noxium. 93
In gonorrhæis quoque diuturnis. 99. 100.
Interdum noxium. 100
Gummi Sagapenum quas vires habeat? 41
Cur minus tutum quandoque in Menſium ſuppreſſione? 42
Gummi arabicum, tragacanthum optimum in uteri hæmorrhagia. 67.
Gummi elemi eximii uſus in gonorrhæis. 98
Gummata reſinoſa cujuſnam efficaciæ in uteri ſcirrho? 158
Quomodo exhibenda. ibid.
Cur evitanda in cancro? 160

H

HÆmorrhagiæ menſtruis ſuppreſſis quænam contingant? 17
Hæmorrhagiæ aliarum partium in Menſium ſuppreſſione parum periculoſæ. 36
Hæmorrhagiæ primum ſiſtendæ levioribus medicamentis. 66
Hæmorrhagiæ molis ſupervenientes cur plerunque læthales. 220
Quomodo tractandæ? ibid.
Hæmorrhagiæ abortus cauſa. 246
Hæmorrhoides Menſtruorum loco. 17
Hæmorrhoidalis fluxus ſalutaris quinam. ibid.
Hæmorrhoidum in gravidis cauſæ. 334.
Hiera purgans ſimul, & diureticum. 159.
Hirudines quandonam applicandæ in hæmorrhoidibus? 267
Horminum optimum in fluore albo notho. 93
Horrores confuſi in uteri ſuppuratione unde. 144
Humores craſſi, viſcidi, & lenti quid ſint? 24
Quomodo inter ſe differant? ibid.
Humores tenues, fuſi quid ſint. ibid.
An Menſes ſupprimere valeant. ibid.
Hydatides quid ſint? 177
Hydropem conſtituunt veſicularem. 178
Hydrops fluori albo cur ſuccedat? 89.
Hydropis uteri eſſentia, differentiæ, cauſa, ſigna. 164. 165

Curatio. 166
Hydropis uteri differentia ab hydrope ovarii. 177
Hydrops ſeroſus a tympanitico diſtinguendus. 178
Tympaniticus frequentior eſt. ibid.
Quas cauſas agnoſcat? 180
Hydrops uterinus a graviditate diſtinguendus. 188
Cur difficilis ſanationis? 189
Hydrops ſeroſus cum tympanitico cur facile conjungatur? 190
Hymen quid ſit? 200
An virginitatis nota? 201
An ſine ejuſdem laceratione graviditatio fieri queat? ibid.
Hymenis ſectio quandonam inſtituenda in partu difficili? 288
Hypochondriaca affectio in quoſnam morbos terminetur. 112
Hyſtericæ affectionis cauſæ. 102. 103
Differentia ab affinibus morbis. ibid.
Curatio in paroxyſmo. 103. 104
Extra paroxyſmum. 105
Hyſterica affectio omnium morborum ſpecie illudit. 106
Ejus ſymptomata male explicata per vapores. 107
Male per uteri aſcenſum. ibid.
Male ab aliis per tubas, ac teſtes dimotos. 108
Quomodo commode magis? 109. 110.
Hyſtericæ affectionis ſymptomata eadem quæ hypochondriacæ. 111
Hinc cauſa eadem nonnullis habita, ſed perperam. 112
Hyſterica affectio in quoſnam morbos terminetur? ibid.
Hyſtericæ affectionis cauſæ remotæ. 113.
Differentia ab aliis morbis quomodo ſtatuenda? 118. 119
Hyſtericæ Mulieres a mortuis quomodo diſtinguendæ? 120
Hyſterica affectio cur raro læthalis? ibid.

I

Icterus in hyſterica affectione unde? 109
Ictus ſupra regionem uteri inflammationis ejuſdem cauſa. 142
Jecur anguillæ ad molas expellendas efficax. 231
Illiaca affectio in hyſterica affectione unde? 109
Immerſio in aqua frigida cur Menſium ſuppreſſionem cieat? 27
In aqua calida quomodo eoſdem promoveat? ibid.
Quomodo morbis capitis medeatur? ibid.
Impotentia conjugalis a Dæmone an detur? 205
Imperforatio uteri cur partus difficilis cauſa. 282
Impellentia medicamenta in metu inflammationis ad fętum mortuum ejiciendum minus tuta. 296.
Quandonam adhibenda in Secundinæ retentione? 302
Infantes quandonam periculis vitæ obnoxii? 4
Inanitas ſanguinis Menſes ſupprimit. 23.
Injectiones adſtringentes cur evitandæ in fluoris albi initio? 94
Quo tempore, & quomodo inſtituendæ? ibid.
Injectiones quandonam, & quænam adhibendæ in gonorrhæa? 99
Utrum in uteri inflammatione locum habeant? 151
Cur variandæ pro vario morbi ſtatu? 152
In ſomnium exerciti actus venerei unde? 168
Inflatio tympanitica quandonam feminis familiaris? 186
Inflatio, & tympanitis quomodo differant? 187
Inflatio uteri a graviditate diſtinguen-

 guen-

guenda. 188
Intempeſtivi, & inordinati Matris motus quomodo partum difficilem efficiant? 283
Intenſum coeundi deſiderium in furore uterino unde? 168
Ipecuacahanæ radix evitanda in dyſenteria gravidarum. 265
Ira uteri hæmorrhagiæ cauſa. 55
Cauſa abortus. 256
Iſchuria a nimia urinæ copia quomodo fiat? 23
Juniores cur narium hæmorrhagiis obnoxii fiant? 17
Juniperi baccæ quas vires habeant? 43.
Juſcula cichoracea commoda in uteri inflammatione. 153
Cur parca doſi exhibenda. 154
Juſcula gelatinoſa eximia in vomitu gravidarum. 261

L

Labor moleſtus gravidæ abortus cauſa. 254
Lactis materia non ex ſolo ſanguine. 10
Lac eximium in fluore albo legitimo. 91
In gonorrhæis ex decoctione Sarzæ, & Chinæ. 101
In hyſterica affectione. 129
In cancri curatione. 161
Ad abortum præcavendum cum Chocolata. 271
Lactantes cur non concipiant? 194
Lactis vires inſignes adverſus ſuppreſſionem Menſium? 44
Lamium optimum in fluore albo. 93
Lapis medicamentoſus Crollii eximius in gonorrhæis. 101
Laſſitudo totius corporis in Menſium ſuppreſſione unde? 32
Laudanum cytoniatum optimum in uteri hæmorrhagia. 68
Quandoque adhibendum in gonorrhæis? 97
Laudanum hyſtericum de le Febour eximium in hyſterica affectione. 123.
Laudanum liquidum in hyſterica affectione. 125
In lochiorum ſuppreſſione. 155
In cancro. 162
Laxantia medicamenta num in Tympanitide adhibenda? 194
Lenientia in furore uterino commoda. 191
Linariæ vires in hæmorrhoidibus. 267.
Librorum impudicorum lectio quomodo furori uterino tribuat? 169.
Lochiorum nomine quid veniat. 12
Lochiorum ſuppreſſio cur peſſima puerperis? 137
Cur ſemper pertimeſcenda? 139
Quandonam læthalis? 143. 144
Lumbrici cur ſeptimo anno familiares? 4
Luna nihil tribuit menſtruo ſanguinis fluxui. 5
Qua ratione agere poſſit? ibid.
Lymphæ genitalis vitia quomodo hyſtericæ affectioni tribuant? 113
Fluori albo quomodo? 79
Furori uterino quomodo? 168
Chloroſi qromodo. 174

M

Macies in uteri hæmorrhagia unde? 49
Magiſterium oſſis Sepiæ quomodo agat in gonorrhæis? 98
Maleficia num inter ſterilitatis cauſas referenda? 205
Malvacea proficua in gonorrhæa. 97
Mala a ſuppreſſis menſibus, vel immodice fluentibus plurima. 22
Martialia quomodo agant contra Menſium ſuppreſſionem? 41
Quomodo adhibenda? ibid.
Martialibus cur purgantia intermiſcenda? 42

Martialia in hyſterica affectione cur anthyſtericis, & opiatis conſocianda? 128
Membranæ uteri cur facilius diſtendantur? 16
Menſtrui ſanguinis fluxus principium, finis, ſigna antecedentia, comitantia cauſæ. 1. 2
Quid ei nomen dederit? 3
Menſtrua cur decimo quarto anno compareant? 4
Cur ſeptimo ſeptenario deſinant? 4. 5.
Menſtrui fluxus termini. 5
Ejus cauſa in fermentatione quomodo explicetur? 5
Menſtruum fluxum quænam moveant, & cohibeant? 6
Sanguineæ maſſæ excrementum per-peram habitum. 7
Ejus cauſa cur plethora. 11
Menſtrua an ex uteri, vel vaginæ vaſis exeant? 14
An ex arteriis, vel venis? ibid.
Menſtruus ſanguinis fluxus in quibuſdam gravidis ſine noxa adeſſe poteſt. 245
Sæpe tamen abortum facit. 246
Menſes quomodo naturaliter ſupprimantur? 22
Præternaturaliter quomodo? ibid.
Menſium ſuppreſſionis præternaturalis cauſæ quænam? 23
Menſium ſuppreſſio a graviditate diſtinguenda. 32. 33
Ejus cauſæ quomodò inveſtigandæ? 34
Menſium ſuppreſſionis undenam repetenda? 36
Menſes diu ſuppreſſi uteri hæmorrhagiæ cauſa. 52
Inflammationis uteri. 136
Hyſtericæ affectionis. 114
Menſium ſuppreſſio a graviditate diſtinguenda. 18
Mejendi difficultatis gravidarum cauſæ proximæ. 239
Remotæ. 241
Metus inter præcipuas abortus cauſas. 256
Menta eximii uſus in gonorrhæis. 99
Mithridatum inter opiata non ignobile. 123
Mœror in Menſium ſuppreſſione unde? 32
Molarum eſſentia, cauſa, ſigna, prognoſis. 194. 195
Molæ quomodo generentur? 200
Molæ ſpuriæ quid ſint? 213
Quomodo differant a veris. ibid. 214.
Dari revera contra nonullos ſuſtinetur. 215
A falſo germine utrum oriantur? ibid.
Spuriæ an placentæ reliquiæ eſſe poſſint. 216
A graviditate diſtinguendæ. 217. 218.
Ad annos perdurant. 219
Quandonam periculoſas hæmorrhagias inducant? 220
Molarum excretio quandonam procuranda? 232
Qua ratione? 233
Morbi a celtico veneno quinam? 90
Morbi gravidarum quinam? 234
Morbi acuti partum difficilem efficientes quinam? 281
Motus localis optimus in fluore albo. 95
Motus undas repræſentans in hyſterica affectione unde? 109
Motus Animalium unde? 185
Motus ceſſans fętus mortui ejuſdem ſignum firmum non eſt. 296
Mucilaginoſa quomodo agant ad abortum præcavendum? 271
Mulieres ultra annos quinquaginta non menſtruantur? 3
Quæ ultra menſtruantur morbo aliquo premuntur. 4
Cur varie menſtruum fluxum patiantur? 8
Prægnantes quandoque ſine noxa purgantur. 9

Lactantes quoque non purgantur. 10
Mulierum ſtructura diverſa a viris. 11.
Mulierum debilitas cur partui diffi- cili tribuat? 280
Mulieres ſiccæ, pingues, gibbæ, clau- dicantes cur partui difficili ob- noxiæ? 280
Myrrhata medicamenta num locum habeant in uteri inflammatione? 155.
Quandonam? 156

N

NAturales actiones cur pro varie- tate temperamenti variæ? 277
Narcotica quandonam adhibenda in uteri hæmorrhagia? 68
In cancro. 162
Nauſeæ, ac vomitus gravidarum cau- ſæ aliis communes. 239
Quænam differant? 241
Nauſea ac vomitus in hyſterica af- fectione unde? 109
Nitrata medicamenta in uteri hæ- morrhagia commoda. 62
Nitrum nonnullis ſuſpectum perpe- ram habitum. 63
Vel ſimplex, vel corallatum ſem- per optimum. ibid.
Optimum in fluore albo legitimo, & gonorrhæa. 96
Nitrum ſtibiatum quid ſit? 154
Cur eximias habeat vires in uteri inflammatione? ibid.
Noſtalgia quid ſit? 28
Quas cauſas agnoſcat? ibid.
Nutrientia medicamenta cujuſnam ſuppreſſionis Menſium remedia. 39.

O

OBſtructiones imi ventris unde- nam repetendæ. 25
Odoramenta fetida optima in ſopore, aut Syncope hyſterica. 125
Quandoque abortus cauſa. 257
Suaveolentia e contra ad hyſteri- cam affectionem diſponunt. 116. 122
Quandoque in Syncope optima. 118.
Oleum amygdalarum dulcium opti- mum in Menſium ſuppreſſione. 39. 43
In paroxyſmo hiſtericæ affectionis. 122.
Extra paroxyſmum. 130
In uteri inflammatione. 151
Ad molas expellendas. 229
Ad leniendas hæmorrhoides. 267
Oleum buxi deſtillatum optimum in hæmorrhoidibus. 207
Oleum quoque papaveris, nymphææ. ibid.
Olea inodora extrinſecus applicanda cur puerperis conveniant? 153
Omenti craſſities quomodo abortus cauſa. 249
Opium torrefactum in uteri hæmor- rhagia proficuum. 69
In fluore albo. 93
Opium in hyſtericæ affectionis paro- xyſmo eximium. 123
Opium extrinſecus applicatum com- modum in cancri curatione. 162
Organica uteri leſio cur contumacis hæmorrhagiæ cauſa? 70
Cur remediis non facile cedat? 71
Oris detorſio in apoplexia unde. 119
Os ſacrum in feminis quomodo ha- beat? 16
Otii noxæ inſignes. 85
Otio inſenſibilis perſpiratio cohibe- tur. 8
Ovum in utero fecundatum quomodo explicetur? 9
Ovariorum uſus ad generationis opus quantus? 206
Ovum quomodo fecundetur. 207
Male diſpoſitum quomodo molam excitet? 209

Pal-

P

Palpitationis cordis in gravidis cauſæ, curatio. 235. 236
Papaver album proficuum in cancri dolore. 162
Extrinſecus adhibitum quas vires habeat? ibid.
Paralyſis. Colicæ Pitonum ſuperveniens unde? 183
Partus cauſæ quænam. 53
Partus octimeſtres an ad abortum referendi. ibid.
Partus naturalis quinam dicendus? 53.
Partus contra naturam quinam? 54
Cur uteri hęmorrhagiam inducat? ibid.
Partus laborioſi quomodo fluori albo tribuant? 86
Quomodo uteri inflammationi? 137.
Partus facilis, at violentus quomodo? 138
Quomodo ſterilitatem cieant? 203
Partus difficilis eſſentia, cauſæ, prognoſis, curatio. 274. 275
Partus cauſa eſt excrementorum ſtimulatio. 279
Partus difficilis differentia a laborioſo, & contra naturam quænam? 285.
Partus facilis ſigna quænam? 285
His nihil fidendum cur? ibid.
Partus difficilis cauſæ cur & fętus mortui cauſæ? 285. 286.
Partus a mala infantis poſitura Chirurgo committendus. 288
Partui cæſariano quid nomen dederit? 292
An Veterum mos ſervandus. 292
Qua meliori ratione inſtituendus? 294.
Pelvis capacitas in feminis quænam? 16.
Periodica menſtrui ſanguinis purgatio a ſanguinis profluvio diſtinguenda. 13
Pendulus uteri ſitus cur menſtruis tribuat? 16
Periodice fluentes Menſes in gravidis quandonam abortum cieant? 14
Peſſaria in uteri hæmorrhagia an conveniant? 65
Quænam eligenda in graviori caſu? 66.
Quid ſint. 142
Quomodo uteri inflammationi tribuant? ibid.
Peſſaria acria quas vires habeant ad molas expellendas? 232
Percuſſio ventris quomodo abortus cauſa? 254
Peponum virtus in gonorrhæa. 97
Pica & malacia in gravidis unde? 242
Pinguedo nimia ſterilitatis cauſa. 26. 202.
Et Menſium ſuppreſſionis. ibid.
Pillulæ de tribus commodæ in Menſium ſuppreſſione. 42
Pillulæ ſuccinatæ Cratonis, capitales Paracelſi eximiæ in fluore albo. 91
Pillulæ adſtringentes in gonorrhæis quænam? 98
Pillulæ tartareæ Bontii optimę in hyſterica affectione. 128
Pillulæ aloeticę num locum habeant in uteri inflammatione? 155.
Piſtachia commoda in ſterilitate, & cur? 224
Plethora quomodo menſtrui fluxus cauſa? 11
Quomodo in feminis elaboretur? ibid.
Menſtruorum phænomenis explicandis commoda. 12
Perperam a nonnullis rejecta. 15
Quomodo interdum Menſium ſuppreſſionis cauſa? 23
Uteri hæmorrhagiæ. 51
Plethora quomodo fiat? ibid.
Ejus differentiæ. 52
Placenta in utero relicta hæmorrhagiæ cauſa. 54
Statim extrahenda, ut hæmorrhagia

gia ſedetur. 57
An in molas, aliaſque maſſas creſcat? ibid.
An corrumpatur? 58
Placentæ avulſio quomodo fluori albo tribuat? 86
Plantæ vulnerariæ quænam? 67. 93. 99.
Adſtringentes quænam? 70. 99
Refrigerantes quænam? 91
Portulaccæ vires. 44. 267
Polypoſæ concretiones, in viſceribus a ſanguine effuſo quomodo? 214
Polypi uterini quid ſint? 212
Quas cauſas agnoſcant? ibid.
Pollutiones involuntariæ in viduis unde? 84
Profluvium ſanguinis in gravidis unde? 13
Prolapſus uteri quibus remediis tractandus? 77. 78. 101
Pulvis Heurnii quibus conſtet? 67
Optimus in uteri hæmorrhagia ſi ſemen hyoſciami dematur. 68
Ad molas expellendas efficax. 230
Pulvis Tulpii ejuſdem virtutis. ibid.
Uterque ad partum accelerandum aptiſſimus. 288
Pulvis teſticulorum equi ad molas expellendas efficax. 231
Pulveres abſorbentes in fluore albo quas vires habeant? 91
Pulveres temperantes ad abortum prę-cavendum quinam? 270
Quomodo exhibendi? ibid.
Pulſationes in regione uteri ſuppreſſis Menſibus unde?
Pulvis Wedelii abſorbens in cancro proficuus. 161. 93
Purgantia medicamenta quomodo agant? 39
An in Menſium ſuppreſſione locum habeant, & quænam? 39
Minus tuta in uteri hæmorrhagia. 62.
Eximia in fluore albo notho. 93
In gonorrhæis an locum habeant? 96.
Cum Mercurio exhibita commodiſſima. 97. 98
Noxia in paroxyſmo hyſtericæ affectionis. 122
Extra paroxyſmum etiam repetenda. 127
Quænam eligenda. ibid.
Helleborata in furore uterino cur noxia. 191
Purgantia utrum conveniant in ſterilitate, & quando? 223
Purgatio per epicraſim quomodo inſtituenda in hyſterica affectione? 126
In Menſium ſuppreſſione. 40
Purgatio in uteri abſceſſu cur repetenda. 157
Purgatio per helleborum quas vires habeat in cancri curatione? 161
Purgatio in vomitu gravidarum an inſtituenda? 260
Quibus medicamentis? 261
Ptiſana laxans Riverii quas vires habeat in fluore albo? 93
Puerperæ tamquam vulneratæ ſunt conſiderandæ. 156
Ob ſuppreſſa lochia cur in hyſterica mala labantur? 114

R

Radices aperientes dictæ quænam. 40.
Quomodo agant? ibid.
Eximiæ in Menſium ſuppreſſione.
Radicæ biſtortæ, tormentillæ optimæ in uteri hæmorrhagia. 67
Rhabarbarum cæteris anteponendum in Menſium ſuppreſſione a viſciditate ſanguinis. 40
Rhabarbarum torrefactum in uteri hæmorrhagia commodum. 72
Rhabarbari uſus in hyſterica affectione eximius. 127
In fluore albo. 92
Rhabarbarum purgans ſimul, & diureticum. 159
In vomitu gravidarum proficuum. 261.

Re-

Refrigerantia quondonam commoda in ſterilitate ? 225
Regio calida,aut frigida quaſnam alterationes in ſanguinem inducant? 8
Remedia lochia impellentia in uteri inflammatione quænam ? 155
Partum provocantia innumera. 287
At plerunque mala niſi cauſæ opponantur. ibid.
Remedia reſolventia cur leviora primum adhibenda ? 158
— Quænam ſint ? ibid.
Reſpiratio anhelofa in Menſium ſuppreſſione unde ? 32
Ros maris eximii uſus in fluore albo notho. 93
Rumor improviſus quomodo abortus cauſa ? 256

S

SAbina quas vires habeat ? 42
Sal volatile Anglicum oleoſum Sylvii eximium in hyſterica affectione. 125
Sales tartarei, lixivioſi quid ſint ? 40
Sales lixiviales quas vires habeant in hyſterica affectione ? 127
Sal prunellæ quid ſit ? 154
In uteri inflammatione commodus.ib.
Saltus, ſuſpiria vehementia quomodo abortum faciant ? 255
Sales volatiles oleoſi proficui in Syncope gravidarum. 263
Sambucus eximius in hæmorrhoidibus. 267
Sanguis menſtruus ejuſdem conditionis ac cæterarum venarum. 7
Qua quantitate ejiciatur ? ibid.
Quomodo variet in diverſis feminis. 8
Sanguis magis redundat in feminis, quam in viris. 11
Sanguis menſtruus ex quibus vaſis exeat ? 12
Sanguinis circuitus a quo dependeat? 21.
Sanguinis vitium quomodo Menſes ſupprimat. 23
Sanguis tenuis, & fuſus quomodo Menſes ſupprimat? 24. 25
Frequentius uteri hæmorrhagiæ cauſa. 51
Sanguinis fluiditas quid ſit. 52
Sanguis in utero poſt partum relictus hæmorrhagiæ cauſa. 54
Sanguinis curſus per uterum lentus fluoris albi cauſa. 80
Sanguinis in cavitatem effuſus niſi exterior aer accedat incorruptus ſervatur. 137
Saponacea quomodo agant ? 43
Sarſæ perillæ vires in fluore albo. 93
In gonorrhæis diuturnis.
Mercurio anteponenda ? 100
Interdum noxia. ibid.
Sanitas corporis in quo conſiſtat ? 21
Saſſafras optimum in fluore albo. 93
Saturnus extrinſecus commodus in cancri curatione. 162
Secundinarum pulvis ad molas expellendas quas vires habeat ? 230
Secundinæ retentio quomodo pertractanda ? 275. 276. 298
Cur pertimeſcenda ? 286. 299
An incorrupta diu ſervari poſſit. ib.
An ſtatim extrahenda ? 299
Quandonam ? 302. 303
Violentia evitanda in extractione. 304.
Seminis fluxus in feminis quid ſit? 52
Quomodo differat ab abortu. ibid.
Semen quo tempore generari incipiat ? 83
Retentum in feminis hyſtericæ paſſionis cauſa. 114
Semina plantarum quomodo fæcundentur ? 210
Semen hyoſciami adhibendum non eſt. 68
Senectus quandonam incipiat. 4
Septenarius numerus cur in Medicina magni faciendus ? 4
Septenario numero quid tribuendum. ibid.
Seroſorum humorum copia in fluore albo unde. 85
Cur varii coloris & fœtidi. ibid.

Seroſi humores in corpore redundantes fluoris albi cauſa. 79
Serum lactis deſtillatum optimum in fluore albo. 91
Serum in cavitates quot modis effundatur? 179
Quomodo varias hydropis ſpecies efficiat? ibid.
Simaroubæ cortex præſtantiſſimus in dyſenteria. 265
Somni utilitates, & damna. 29
Specificum Helvetii quas vires habeat? 63
Quomodo conficiatur. 64
Specifica in uteri hæmorrhagia quænam? 69
Specificum Hippocraticum Janfortianum quid ſit? 94
Specifica contra ſterilitatem quænam? 225.
An ſine diſcrimine adhiberi queant? ibid.
Ad molas expellendas quænam? 230
Quædam ridicula. 231
Specifica ad retinendum fętum. 268.269
Sperma ranarum optimum in uteri hæmorrhagia. 63
Spirituum animalium debilior craſis hyſtericæ affectionis cauſa. 116
Quomodo ſanguinis craſim pervertat, & graviorem morbum efficiat? 117
Spiritus volatiles urinæ, ſal armoniaci, & ſimiles quandonam locum habeant in paroxyſmo hyſtericæ affectionis? 124. 127
Spiritus vini rectificatiſſimus quandonam? ibid.
Spirituoſa in Sincope gravidarum optima quænam? 262
Quænam evitanda? 264
Spaſmi effectus quandonam laxitas ſit? 183.
Sputum ſanguinis periodicum in Menſium ſuppreſſione quid ſit? 36
Sternutatoria quandonam adhibenda in hyſterica affectione? 120
Quænam eligenda. ibid.
Stomachi cruditas in uteri hæmorrhagia unde? 49
Sterilitatis eſſentia, cauſæ. 194
Prognoſis, curatio. 195. 196
Sterilitas an a Mulieris vitio dependeat? 196
A ſanguinis, & ſpirituum vitiis quomodo oriatur? 204
Sterilitatis dedecus undenam repetendum. 217
Sterilitas vitio feminæ an cognoſci queat, & quomodo? 220
Vitio viri quomodo? ibid.
Sterilitas raro tollitur. 221
Sterilitatis remedia a cauſis deſumenda. 225
Strangulationis ſenſus in hyſterica affectione unde? 110
Styptica quomodo cognoſcantur, & quænam ſint? 70
Succinum quas vires habeat? 42
Optimum in gonorrhæis. 98
Num locum habeat in uteri inflammatione? 155
Succi cichoracei optimi in fluore albo. 91
Solatri, Sedi, Geranii &c. in cancro cur proſint? 162
Succi limonum, granatorum optimi in vomitu gravidarum. 263
Succi ſubacidi cujuſnam abortum remedia? 270
Suffumigia ſuaveolentia num in hyſterica affectione locum habeant? 122
Quid in eorum uſu ſervandum? ibi.
Superfœtatio an detur? 251
Abortus cauſa eſſe poteſt. 253
Supinus decubitus commodus in uteri hæmorrhagia. 72
Suppurantia interdum in ſecundinæ retentione commoda? 305
Syncopes cauſa quid ſit? 118
Quomodo differat ab hyſterica affectione? ibid.
Quandonam ejuſdem effectus? ibid.
Syncopes gravidarum cauſæ proximæ aliis communes. 239
Remotæ differunt. 241. 242

Syru-

Syrupus diacodii eximius in gonorrhæa. 97

T

TAbes cur fluori albo ſuperveniat? 89
Tamarindi optimi in uteri hæmorrhagia. 62
In fluore albo. 93
Tartarus vitriolatus quid ſit? 40
Temperamentum ſanguineum quid ſit? 8
Bilioſum quid? ibid. 24
Quomodo menſes ſiſtere queat? 25
Tenuitatem, ac fuſionem ſanguinis arguit. 35
Melancholicum e contra craſſitiem. ibid.
Terrea, atque imbibentia corpora commoda in fluore albo notho. 93.
In gonorrhæis. 98
Teneſmus fetus mortui ſignum firmum non eſt. 296
Therebintinata eximia in gonorrhæis. 97.
Eo magis ſi cum Mercurio conſocientur. ibid.
Theriacæ virtus in fluore albo. 94
Tinctura corallorum in uteri hæmorrhagia eximia. 68
Anodyna Helvetii præſtantior. ibid. 69.
Succini, Caſtorei optimæ in paroxyſmo hyſtericæ affectionis. 123
Trochiſci de Carabe, de Spodio quibus conſtent. 94. 270
Quas vires habeant in fluore albo notho? 94
Trochiſci de mirrha optimi ad partum accelerandum. 288
Triphera magna c. o. opiatum non ignobile. 123
Tubæ Fallopianæ, aut ovaria male affecta hyſtericæ affectionis cauſa. 113.
Tumores uteri quotuplices ſint? 25
Imi ventris quomodo Menſes ſupprimant? ibid.
Tumor in menſium ſuppreſſione unde? 31
A tumoribus ſcirrhoſis diſtinguendus. ibid.
Tumores in uteri cavitate reperti quinam? 219
Tuſſis ſicca, & ferina in hyſterica affectione unde? 110
Tutia vino albo infuſa valde proficua in gonorrhæis. 99
Tympanitidis duratio undenam. 186
Undenam nomen acceperit. 188
Cur poſt paſtum exacerbetur. ibi.

V

VAgina tantum gonorrhææ ſedes perperam habita. 81
Vaſa cum vaginæ, tum uteri in menſtruantibus cur aperiantur. 13
Valvulæ uterinæ quomodo ſanguinis motum retardent? 16
Vaſorum vitium in menſtruis ſuppreſſis quodnam? 23
Vaſa uteri obſtructa cur Menſes ſupprimant? 25
Venæ ſectio in Menſium ſuppreſſione an locum habeat? 37
Quo ex loco. 37. 38
In uteri hæmorrhagia. 58
Quo ex loco, & qua quantitate? 59.
Quandonam nocua? 60
In fluore albo eximia. 90
In gonorrhæa. 96
In hyſterica paſſione. 121
Etiam extra paroxyſmum. 126
In uteri Inflammatione. 148
In uteri ſcirrho. 157
In furore uterino. 190
In ſterilitate. 222
In gravidis. 258
Quo tempore? 259
Quo loco? 260
Ad molas expellendas. 229
In palpitatione cordis. 263

In ſyncope extra paroxyſmum. ibid.
In alvi fluxibus gravidarum. 264
In hæmorrhoidibus dolentibus. 265
In alvi ſtypticitate gravidarum. 268.
In mejendi difficultate. ibid.
Ad abortum præcavendum. 269
Statim a terrore in gravidis. 272
In partu difficili. 286
In cancro occulto. 160. 161
In ſecundinæ retentione. 302
Venenum celticum quas vires habeat? 81. 82. 89
Veneris appetitus naturalis unde oriatur? 167
Præternaturalis unde? ibid.
Cauſæ. 168
In virginibus, & viduis quænam? 113. 114. 84
Ventris ſtypticitas inſignis in Tympanitide. 183
Ventris inflatio quomodo differat a Tympanitide? 184
Ventris refrigerationes inflammationis uteri cauſa. 139. 140
Vermiculi ſeminis virilis an ovum fœcundent? 208
Dari in ſemine dubitandum non eſt. 209
Verbaſcum commodum in hæmorrhoidibus. 267
Veſica cur difficilius perrumpatur? 23.
Veſicæ collum gonorrhææ ſedes. 81
Vertigines in hyſterica affectione unde? 110
Vetulæ cur non concipiant? 204
Veſtimentorum compreſſio abortus cauſa. 249
Victus opiparus fluoris albi cauſa. 83.
Furoris uterini. 169
Victus ratio optima puerperis commoda. 156
Paulo liberalior quandonam concedenda? 157
Victus pravus Chloroſeos cauſa. 174. 175.
Victus ratio in gravidis quænam inſtituenda? 261
Paulo liberalior in caſu inanitatis. 271
Vigiliæ acredinis ſignum. 36
Vini abuſus uteri hæmorrhagiæ cauſa. 55
Vinum auſterum quandoque remedium. 72
Eo magis lentiſco, & ſantalis alteratum. ibid.
Vinum liquoreſque ſpirituoſi fluoris albi cauſa. 83
Vinum abſyntites optimum in fluore albo. 95
Vini optimi vis inſignis in ſopore, aut Syncope hyſterica. 125
In vomitu gravidarum. 263
Quandonam eodem abſtinendum ad præcavendum abortum? 270
Vinum generoſius partus difficilis remedium. 288
Viri quandonam purgatione menſtruæ ſimili corripiantur? 17
Virgines novem annorum quandoque menſtruatæ. 3
Virium debilitas inſignis in uteri hæmorrhagia unde? 49
Vincula ſupra genua optima in uteri hæmorrhagia. 61
Vitriolata medicamenta minus tuta. 64. 227.
quandoque tamen in gonorrhæis commoda. 99
Viſcerum imi ventris affectiones quomodo hyſtericam paſſionem cieant. 115
Vitium in laxitate, & adſtrictione quid ſit? 188
Unguentum refrigerans Galeni, Popule, commodum in hæmorrhoidibus. 267
Vomitos gravidarum quanti faciendus. 263
Vomitus contumaces abortus cauſa. 246.
Vomitus cur minus tutus in uteri hæmorrhagia? 62

Si excitandus, quonam remedio? ibid.
Ulceris uteri ſigna multa, ſed incerta. 86
Ulcera ſordida gonorrhææ ſupervenientia. 89
Urentes capitis dolores acredinis ſanguinis inditia. 36
Urinæ ruſæ acredinis ſanguinis & ipſæ inditia. 35
Urinæ ſtillicidium, aut ſuppreſſio in hyſterica affectione cur? 110
Urinæ claræ, limpidæ, & copioſæ in hyſterica affectione cur? 111
Uterus in graviditate an claudatur? 33.
Uteri hæmorrhagiæ eſſentia, cauſæ internæ, externæ. 45
Prognoſis, curatio. 45. 47
Quot modis contingat? 50
Uteri hæmorrhagia in annoſioribus feminis periculoſa. 56
In gravidis plerunque læthalis ni fetum edat. 57
Uterus totus fluoris albi ſedes. 79
Quomodo cavus ſit Muſculus? 80
Uterus e ſede ſua dimoveri non poteſt. 88
Uteri prolapſus nomine quid intelligendum? 89
Quotuplex ſit? 101
Uterus e ſede ſua dimoveri nequit. 108.
Nec ejus tubæ, aut teſtes. ibid.
Uterus ejuſque adhærentes partes exquiſitiſſimo ſenſu præditæ. 109
Uteri inflammationis cauſæ, ſigna exitus in ſuppurationem. 130
In ulcus, in ſcirrhum, in cancrum. 131
Curatio. 131. 132
Uteri ſcirrhi curatio. 133
Cancri. 134
Uterus cur facile inflammetur, ut cætera viſcera. 135
Uteri inflammationis gradus quinam? 136
Peculiares quænam cauſæ? ibid.
Uteri contrectatio ab imperita obſtetrice inflammationis cauſa. 141.
Uteri conſenſus cum omnibus corporis partibus. 144
Uteri ſuppuratio, ulcus quomodo noſcatur? ibid.
Uterus cur ſcirrhoſus facile evadat? 145
Quomodo cognoſci queat? ibid.
Uteri cancri diviſio in occultum, & ulceratum optima. 145
Utriuſque cauſæ quænam? ibid.
Uteri inflammatio cur ſemper timenda. 146
Gangræna, ac ſphacelus quomodo contingat? 146
An tolli queat uteri ſectione? 147
Ulcus cur difficilius ſanetur? ibid.
Scirrhus contumaciſſimus. ibid.
Ubi in cancrum tranſierit cur læthalis? 148
Cancer quandonam facilius ſuccedat? 159
Uteri morbi tympanitim excitantes quinam? 187
Uteri clauſura quotuplex. 202
Quomodo tractanda? 209. 222
Quomodo ſterilitatem inducat? ibi.
Uteri mala figura quomodo ſterilitatis cauſa? 203
Uteri laxitas quomodo? ibid.
Uteri anguſtia quomodo abortus cauſa? 249
Uteri morbi quomodo. ibid.
Uteri vitia partum difficilem efficientia quænam? 281

F I N I S.

Errata Corrige.

Pag. 8. lin. 10. obſtet, abeſt. 12. 44. locorum, lochiorum. 12. 46. conjiciuntur, conjiciunt. 13. 45. Molne, Mothe. 15. 23. fluento, fluenti. 22. 1. Lanoius, Langius. 24. 40. fluxu, fluxui. 26. 23. eodem, eadem. 27. 28. tutum, intutum. 32. 27. ſanguinis, lenteſcentis ſanguinis. 40. 37. digeſticorum, digeſtivorum. 43. 22. oleoi, olei. 68. 39. quod, id. 100. 22., & 180. 45., nec non. 184. 44. acuto, aucto. 104. 37. angelicum, anglicum. 111. 26. fligmorum, Higmorum. 127. 16. diſponamus, diſponant. 128. 10. baſis eſt, &, baſis eſt aloes. ibid. 22. in quo, in quæ. 138. 38. ſpes, ſpe. 133. 6. .s. m. ℥ .s. m. 145. 2. ſcirhoſa, ſcirhoſus. 151. 29. cenſent, cenſeant. 155. 14. aboritur, oboritur. 181. 31. ſic ſuo, ſic a ſuo. 186. 29. quæ, qui. 193. 33. ut, &. 201. 29. id comate ſuo excitant, idiomate ſuo vocitant. 205. 4. afficere, efficere. 206. 33. vigere, rigere. 207. 4. Littorio, Littrio. ibi. 25. oculis, ovulis, 209. 8. hujuſce. Qui, hujuſce Ævi. 214. 12. ptimum, primum. 225. 39. pylari, pylori. 235. 24. ad i, ad ℥ i. 237. 26. junguntur, unguntur. 247. 28. thermopotatione.... gravitatis, thermopotationem.... graviditatis. 261. 35. qui, quæ. 267. 8. fovendum, ad fovendum. 279. 32. difficili, difficilis. 280. 19. excretione, excretionem. 283. 21. funiculum, funiculus. 291. 6. a utraque, aut utraque. 293. 41. mortui, morti. 294. 4. a Matre, at Matre. ibid. 18. matrem, matre. 295. 43. dutreſcentis, putreſcentis. 300. 11. ſuperveniat, ſuperveniant.